Julii-Augusti 1927

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XXVII

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXVII

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

—

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XXVII

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, Canada

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXVII

25322

v.27
1927

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis octobris propositas.

—

I.

In Jo., II, 1-11. — Homilia.

Q. *Expositis circa evangelium Missæ dominicæ II post Epiphaniam* (Jo., II, 1-11) *explicationibus ad textum intelligendum requisitis, et intuitu homiliæ habendæ, lectioni evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ, cujus objectum sit : Quodnam sit, in ordine gratiæ, munus Beatæ Mariæ Virginis, quam per hoc tempus Nativitatis Domini Filio suo ubique juxtapositam cernimus, et quænam esse debeant sensa nostra erga ipsam.*

R. *Explicationes ad intellectum Evangelii præparatoriæ.*

A pauco tantum tempore inchoaverat Jesus vitam suam publicam. A Joanne baptizatus, per 40 dies secesserat in desertum, redierat ad ripas Jordanis et ex discipulis Baptistæ, vocatione provisoria, quinque (1) aut sex

(1) Quinque explicite nominantur qui vocati fuerunt : Joannes et Andreas (*Jo.*, II, 35-40), Petrus (vv. 41 s.), Philippus (vv. 43 s.) et Nathanaël (seu Bartholomæus, vv, 44-51) ; ex v. 41 autem non immerito videtur posse colligi etiam Jacobum, fratrem Joannis, fuisse a Joanne inventum et adductum ad Jesum, eodem modo quo Petrus fuit ab Andrea ad Jesum adductus.

primos discipulos sibi adjunxerat. Cum illis, Judæa relicta, Galilæam petit advenitque in parvo pago Cana. — Hîc nuptiæ aguntur, in familia modestioris (1) conditionis, ut apparet tum ex eo quod et Maria, ipsa non dives, invitata erat, tum ex eo quod, ob Mariam invitatis quoque Jesu et sequacibus ejus, vinum defecturum est.

Ad narrationis evangelicæ faciliorem intellectum notetur in loco convivii adfuisse sex hydrias lapideas cum aqua destinata ad omnigenas illas ablutiones ad quas Judæi, sive ex ipsa lege mosaica, sive ex interpretatione et traditione rabbinorum, quam frequenter adstricti existebant (2). Notetur quoque, etiam in modestioribus familiis nuptias solitas fuisse celebrari non parca solemnitate, variis ministris, ex amicis vel vicinis vel aliunde adhibitis, una cum sic dicto architriclino, aliis ministris præposito, cujus erat convivium ordinare vinumque prægustare.

Nuptiæ istæ erunt Jesu occasio nunc primum manifestandi suam gloriam sicque confirmandi fidem discipulorum suorum, eruntque et Mariæ occasio manifestandi mirabilem ejus indolem et egregias dotes, quibus et nos ad fiduciam in eam ejusque Filium provocemur.

Sequatur *lectio evangelii.*

Applicatio.

Quam pulchre hoc facto quasi symbolico describitur nobis *munus Mariæ* in ordine gratiæ. Sicut enim hîc Jesus suum miraculum peragit mediante Maria, sic in universo ordine supernaturali per Mariam, universalem mediatricem, quaslibet gratias suas ad homines derivari facit: voluit enim Deus, ut ait s. Bernardus, ut omnia per Mariam ab ipso reciperemus; divinus Salvator omnium gratiarum nobis fons existit, Maria canalis.

---

(1) Quod vino utuntur in convivio, nequaquam honestioris familiæ indicium est: erat enim vinum potus cujuslibet familiæ, etiam pauperioris, consuetus et quotidianus.

(2) Copia vini sic miraculose effecti fuit sat magna, siquidem una metreta æquivaluit circiter 40 ex nostris litris.

Sed et pulchre quasi descripta jacent in Evangelio hodierno *sensa* quæ *erga Mariam* gerere debemus. Oportet enim ut :

1°/ Mariam *admiremur* et imitemur, nimirum egregiam ejus *bonitatem et misericordiam* : vide quam sponte et quam statim (1) advertat necessitates miserorum, etiam minores ; vide quam illico misericordia commoveatur — est enim et ipsa non ignara mali —, quam statim meliori quo potest modo succurrere satagat ; — ejus *fiduciam in Jesum* : quæ nullum hucusque viderat a Jesu patrari miraculum, ad omnipotentiam ejus provocat, miraculum petit, imo in re non tanti momenti ; quæ non obscuro modo repellitur (2) nihilominus credere et sperare pergit, certa se esse exaudiendam ; — ejus *potentiam in Jesum* : ecce enim, ut manifeste ex verbis Jesu colligitur, ob interventum Mariæ anticipatur hora a divina Providentia statuta qua Jesus manifestationem gloriæ suæ inchoet (3).

2°/ *Ad Mariam* accedamus *integra fiducia* in efficaciam ejus mediationis apud Filium, confisi nimirum bonitati et misericordiæ qua, provida mater nostra, etiam nostras necessitates advertet, condolebit, succurrere parata existet ; — imitantes fidem ejus et fiduciam in Deum ; — confisi omnipotentiæ ejus supplici, qua apud Filium suum intercedere potens existit. — Quæ nostra fiducia in Jesum et Mariam eo major esse poterit quo, mandata divina implere satagentes sanctitatemque vitæ sectantes, in praxim deduxerimus aureum illud monitum quod ad servos convivii nuptialis dirigebat : « *Quodcumque dixerit vobis facile* ».

---

(1) *Deficiente vino*, ex voc. græco legi deberet : quum vinum esset inferius, seu *non sufficeret* ; ergo nondum deficit, sed post tempus deficeret. Maria illud ex modo agendi vel loquendi architriclini vel sponsi aut sponsæ suspicata fuerit.

(2) *Mulier, nondum venit hora mea*, ait Jesus, i. e. hora a divina Providentia statuta ut primum suum miraculum efficiat. — Quod non impedit quominus uno momento postea, et quidem præcise ob orationem et instantiam Mariæ, hora illa adventura sit.

(3) Vide notam præcedentem.

Utinam hæc documenta evangelica nostra faciamus! Utinam per Mariam deducamur vel magis ac magis intime penetremus in egregium illud convivium nuptiale quod est sacra Communio, in qua Jesus, sicut in Cana Galilææ cibum et vinum semper melius (1) nobis proponit bibendum, corpus et sanguinem suum! Utinam tandem per Mariam deducamur ad nuptias illas æternas ubi unio Deum inter et animam consummabitur nobisque præbebuntur epulæ et vinum omnibus terrenis excellentiora (2), ubi quam perfectissimo modo Jesus nobis, discipulis suis, manifestabit gloriam suam.

A. Vander Heeren.

II.

De Christo Deo-homine.

Q. *Explica hanc propositionem : Christus est verus Deus et verus homo.*

R. Ad explicandam hanc propositionem oportet indicare : 1/ pro quonam supponat (3) vox *Christus*, subjectum propositionis ; 2/ quid in duplici prædicato, *Deus-homo*, de Christo pronuntietur, et quidem insistendo, nam nihil aliud facit adjectivum *verus*, quod ad utrumque prædicatum adjicitur ; 3/ cur *duplex prædicatum*, potius oppositum utpote designans ens necessarium et ens contingens (4), de uno eodemque subjecto dici queat.

1/ *Christus* seu *Messias* (5) est nomen concretum, « in quo intelligitur et divinitas ungens et humanitas

---

(1) Cfr v. 10. — Sensus hujus v. nequaquam est convivas esse ebrietate captos. Revera *cum inebriati fuerint* facile intelligi potest de sola satietate ; cæteroquin architriclinus enuntiat principium generale quod non necessario his concretis adjunctis applicatur.

(2) Cfr *Matth.*, xxvi, 29.

(3) De suppositione terminorum lege De Jaegher, *Instit. philos.*, n. 27, p. 29, Brugis, 1920².

(4) Cfr s. Thomas, *Summa contra gentiles*, IV, 39.

(5) Cfr *Jo.*, iv, 25 coll. *Ps.* ii, 2 et *Is.*, ix, 25.

uncta » (1) ; designat porro suppositum tum divinæ tum humanæ naturæ, seu Verbum factum hominem (2), quod merito hoc nomine *Unctus* appellatur, quoniam in vetere testamento jam ungebant sacerdotes, prophetas ac reges (3), atque Christus revera hoc triplex munus exercuit et exercet, ut in tractatu de Deo redemptore latius evolvitur et demonstratur.

2/ De Christo, supposito utriusque naturæ, divinæ et humanæ, *vere et proprie* prædicatur utrumque nomen significans naturam in concreto : Deus et homo.

a/ Dicendo Christum esse *Deum*, affirmamus Christo inesse naturam divinam, *non* quidem *in se* sed in persona, nimirum *in secunda persona ss. Trinitatis* consideratam. Etenim doctrina catholica habet Deum assumpsisse naturam humanam, sed unionem Dei ad carnem factam esse non in natura sed in persona, et quidem in persona Filii : « Solus Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate naturæ : in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati » (4).

b/ Dicendo Christum esse *hominem*, quoniam « nomen homo significat naturam humanam in concreto, prout scilicet est in aliquo supposito » (5), affirmamus inesse Christo naturam humanam *in supposito* spectatam, videlicet in supposito *divino*, quandoquidem fide edocemur Christum esse unum suppositum, secundam personam ss. Trinitatis (6).

Ad insistendum, uti jam notavimus, additur Christum esse *verum* Deum et *verum* hominem, quod pulchre evol-

---

(1) *Sum. theol.*, III, q. 16, a. 5, c.

(2) Cfr *Jo.*, I, 14 coll. *Sum. theol.*, III, q. 16, a. 5, c. et a. 10, ad 3.

(3) *Lev.*, VIII, 1 s. ; *III Reg.*, XIX, 16.

(4) *Conc. tolet.* IX (a. 675), in symb. fidei (*Enchir.*, n. 284) et vide *Collat. Brugen.*, XXI, p. 182 s.

(5) *Sum. theol.*, III, q. 4, a. 3, ad 2.

(6) De assumptione naturæ humanæ et cur non sit dicendum Deum assumpsisse hominem, quamquam Verbum merito dicitur homo, postquam naturam humanam assumpsit, vide *Collat. Brugen.*, XXI, p. 183 s.

vit symbolum « Quicumque », sub nomine s. Athanasii positum (1) : « Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris in sæculo natus : perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens » (2).

Idem sæpius ob grassantes errores in variis conciliis fuit solemniter definitum ; ita jam in quattuor prioribus conciliis œcumenicis, nicæno, constantinopolitano primo, ephesino et in chalcedonensi, quod statuit : « Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato » (3).

Multæ revera fuere ab initio hæreses de Christo, Deo-

---

(1) Hoc symbolum, quod in Breviario legimus, videtur prius latine fuisse concinnatum et critici sat communi consensu illud nunc s Athanasio († 373) abjudicant, sed ceterum de hujus documenti ætate, auctore et loco redactionis disputant ; vide *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 443 s., ubi p. 445 explicatur ejus valor dogmaticus

(2) *Enchir.*, n. 40.

(3) *Conc. chalced.*, œcum. IV (a. 451), contra monophysitas (*Enchir.*, n. 148). Ad textum citatum observa Christum esse consubstantialem Patri, quoniam eamdem substantiam *numero* cum Patre habet ; nobis vero, quatenus eamdem substantiam *specifice*, humanam scilicet, nobiscum habet. — Symbolum conc. nicaeni, œcum. I (a. 325) habes apud *Enchir.*, n. 54 ; idem symbolum secundum redactionem concilii constantinopolitani primi, œcum. II (a. 381), quod ad usum liturgicum adaptatum recitamus tanquam « Credo » in Missa, lege apud *Enchir.*, n. 86. — Textum conc. ephesini, œcum. III (a. 431), in anathem. s. Cyrilli contra Nestorium, videsis apud *Enchir.*, n. 113 s. — In concilio constantinopolitano secundo, œcum. V (a. 553), rursus quædam scripta nestorianismo faventia, quæ ediderant Theodorus mopsuestenus, Theodoretus cyrensis et Ibas, sub nomine « trium capitulorum » damnata fuere ; lege can. 8 (*Enchir.*, n. 220).

homine, quarum præcipuas quasdam saltem indicare juvat :

a/ Divinitatem Christi negabant jam sæculo primo cerinthiani et ebionitæ, qui Christum proclamabant merum hominem (1) ; ita rursus sæculo secundo adoptianistæ, uti Theodotus, Artemas, et postmodum sæculo tertio Paulus samosatenus, qui Christum dicebant Filium Dei adoptivum per gratiam ; sæculo quarto Arius, qui docebat Christum esse meram creaturam ; ita tandem initio reformationis sociniani, atque postea protestantes liberales necnon modernistæ. Cum iis erroribus annumerare est doctrinam, quæ dicitur kenotica (2), et tenet Verbum a momento incarnationis usque ad resurrectionem, aut divinitatem, aut attributa quædam divina, aut saltem eorum exercitium amisisse, adeo ut Christus mortalis vel non fuerit Deus, vel conscientiam suæ divinitatis non habuerit.

b/ Humanitatem vero Christi negabant jam sæculo primo exeunte plures gnostici ; sæculo secundo Marcion ejusque asseclæ, ut Appelles (3) ; sæculo tertio manichæi et sæculo quarto priscillianistæ non pauci, qui omnes tribuebant Christo corpus apparens aut phantasticum, quare et docetæ (4) vel phantasiastæ nominati sunt. Circa integritatem corporis Christi errabant adhuc ariani, qui somniabant corpus Christi non fuisse informatum anima, sed ipsum Verbum, cui tamen divinitatem ab-

---

(1) Jam s. Joannes, uti notum est et ipse testatur (*Jo.*, xx, 31), divinitatem Christi præcipue, sed etiam sparsis seminibus gnosticismi et docetismi, humanitatem Jesu vindicare intendit.

(2) Sic dicitur ab argumento principali, quod desumebant ex verbis s. Pauli ad Philipp., II, 7 : « Semetipsum exinanivit = ἑαυτὸν ἐκένωσεν ».

(3) In specie Marcion volebat Christum cum apparenti corpore perfectæ staturæ, et sine ulla relatione ad Mariam, subito in Judæa apparuisse ; Appelles vero, et ita etiam Valentinus gnosticus, Christo tribuebat corpus aëreum, de cœlo allatum, quocum per uterum Mariæ, tanquam aqua per canalem, transivit.

(4) A verbo græco δοκέω = apparere.

judicabant, vires animæ supplevisse ; ita etiam Apollinaris, episcopus Laodicææ, qui Christo denegabat animam rationalem (1); denique Petrus Olivi, damnatus in concilio viennensi (2), qui volebat animam non intellectivam sed sensitivam informare corpus (3).

3/ De uno eodemque Christo prædicamus naturam tum divinam tum humanam, quia, quod diximus supra, Christus est suppositum duplicis naturæ, seu quoniam in uno supposito, nimirum secunda persona ss. Trinitatis uniuntur duæ naturæ in persona ; aliis verbis, propter unionem singularem, quam hypostaticam appellamus, et in sequenti responsione paucis explicamus.

Ita porro excludimus errorem nestorianismi, damnati in concilio ephesino, qui duas admittebat in Christo personas physicas (4) ; excludimus æque errorem eutychianismi seu monophysismi, damnati in concilio chalcedonensi, qui duas naturas in unam coaluisse profitebatur.

Doctrina catholica hæc habet : « Unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis (ἐν δύο φύσεσιν) inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter [esse] agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente (εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν), non in duas personas partitum aut divisum » (5). H. Lamiroy.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXVI, p. 408 s.

(2) *Conc. vien.*, œcum. XV (a. 1311-12), apud *Enchir.*, n. 481 s.

(3) Cfr Van Crombrugghe, *Tract. de Verbo incarnato*, p. 2 s. et p. 24 s., Gandæ, 1920[2] ; Van Noort-Verhaar, *Tract. de Deo Redemptore*, n. 12, p. 9 et n. 28, p. 21, Hilversum, 1925[4].

(4) Errorem Nestorii renovavit sæculo superiore Günther († 1863), qui quum personam defineret « substantiam sui consciam », duas personas in Christo debebat admittere ; vide damnatas ejus opiniones a Pio IX, apud *Enchir.*, n. 1655 s.

(5) *Enchir.*, n. 148 coll. epist. dogmatica s. Leonis I, de incarnatione contra Eutychen, diei 13 junii 449, apud *Enchir.*, n. 143 s. — Alii errores christologici, nempe de voluntate Christi (imprimis monothelismus) damnati sunt in conc. constantinopolitano tertio, œcum. VI a. 680-681 (*Enchir.*, n. 289 s.).

III-IV.

De jejunio eucharistico.

Q. *Infirmus a mense decumbens sumpsit aliquid, post mediam noctem et quidem pluries, per modum potus, quamvis sine gravi incommodo jejunium servare potuisset. Quæritur an hac die communicare possit?*

Quid si idem infirmus hac nocte sumpsisset aliquam medicinam solidam?

Prænota 1) Non agitur de infirmo qui in periculo mortis versatur. Uti in præcedenti responso explicavimus, quicumque in mortis periculo versatur communicare potest fracto jejunio naturali, sive sumpserit aliquid per modum potus, sive per modum cibi (1).

2) Quæstio igitur est de infirmo nondum vel non jam periclitante, qui morbo afficitur vel cujus vires corporis senio aut debilitate vere fractæ sunt (2), et quidem adeo ut *jam* (3) *a mense* (4) in lecto decumbat vel, quod æqualis conditionis est, jam a mense cubiculo sese continere cogatur, quin tamen in lecto decumbere queat. Ceterum, non obstat infirmum aliquibus diei horis surgere, dummodo jam a mense ad conditionem habitualem seu statum decumbentis sit redactus (5).

3) Præterea, agitur de infirmo qui jejunium naturale fregit eo quod sumpsit, in priore casu, aliquid per mo-

---

(1) Vide *Collat. Brugen.*, XXVI (1926), p. 459.

(2) Sic, qui nullo morbo affectus, ob aliquam fracturam incedendi potentiam non habet et jam a mense cubiculo se continere debet, privilegio canonis 858, § 2 uti non potest.

(3) Non sufficit ut prævideatur infirmum per mensem decubiturum esse.

(4) Mensis computandus est ad normam can. 34, § 3, 3°, ita ut qui decumbit inde a 4ª die unius mensis possit frui privilegio inde a 5ª die mensis sequentis. Ante codicem sufficere dicebant ut infirmus decumberet spatio dierum circiter 30, adeoque post dies 27 vel 28 jam admittebatur ad s. communionem, læso jejunio.

(5) Cfr *responsum S. C. Concilii*, 6 martii 1907, apud *Collat. Brugen.*, XII (1907), p. 429.

dum potus, in altero, aliquam solidam medicinam. Porro, quid veniat nomine sumptionis *per modum potus* declaratum est a S. C S. Officii, die 7 sept. 1897 (1). Hoc nomine venit jusculum, caffæum, lac, aut alius cibus liquidus, etsi aliqua substantia ei permixta sit, puta leves pastilli farinæ, panis radula tritus, ovum dilutum et alia hujusmodi. Oportet ut mixtio, etsi aliquatenus densa esse possit, liquida tamen maneat Dein, oportet ut fragmenta solida quæ forte admiscentur aliquo modo speciem liquidi participent, adeoque et comminuta sint et liquido imbuantur.

Ovum in statu suo naturali, idest non decoctum, sumi opinamur per modum potus (2), est enim liquidum ; non autem saccharum quod in statu *solido* introducitur, quamvis dein in ore solvatur et ut succus deglutiatur.

Nomine *medicinæ* venit, non omne quod ordinatur ad vires corporis debilitati restaurandas, sed quod sumi tantum solet *sanitatis causa* et hac de re apud pharmacos prostat.

Hisce præmissis, ad utramque quæstionem :

R. — *Affirmative*, juxta can. 858, § 2, dummodo 1) desit spes ut infirmus cito convalescat, 2) hac eadem hebdomada nondum bis privilegio hujus canonis usus sit et 3) agatur de communione more laïcorum recepta.

Etenim, tenore can. 858, § 2, « infirmi... qui jam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint ».

Jamautem, quamvis canon sit stricte interpretandus, tamen indebite contenderetur legislatorem unam tantum

(1) Apud *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, II, n. 1983.

(2) Ita Cappello, *De sacramentis*, I, 1921, n. 507 ; Vermeersch, *Theologia moralis principia, responsa, consilia*, III, 1923, n. 396. Attamen quia ovum, in tali statu, non simpliciter dicitur *bibi*, sententia non est omnino certa.

sumptionem permittere. Conceditur « *aliquid* » sumi per modum potus aut « *aliquam* » medicinam. Porro hoc modo loquendi non excluditur sumptio *repetita*, neque sumptio potus *et* medicinæ, sed ostenditur decere ut cum moderatione, inspecta necessitate aut utilitate, aliquid sumatur.

Medicina potest esse *solida*. Id constat ipsa disjunctione quæ occurrit in textu canonis, dicitur enim : « etsi aliquam medicinam *vel* aliquid per modum potus antea sumpserint.

Attamen, triplex restrictio est apponenda :

1) *Desit oportet certa spes ut infirmus cito convalescat.*

Verbis « *certa spes* » exprimitur non excludi a beneficio canonis infirmum cujus convalescentia probabiliter tantum instat. Existit autem spes *certa* quando moralis certitudo habetur.

Attenta duratione quæ exigitur a morbi inchoatione necnon restricta communionis frequentia quæ indulgetur, censent communiter auctores *cito* convalescere qui intra 3 aut 4 dies convalescit. Quare, si convalescentia non prævidetur ante medium octiduum inceptura privilegio locus est.

2) *Oportet ut hac eadem hebdomada* (1) *nondum bis favore canonis 858*, § 2 *usus sit.*

Favor iste non extinguitur eo quod, ratione periculi mortis primis hebdomadæ diebus adhuc forsan obtinentis, communicaverit infirmus non jejunus, nec eo quod pro certis diebus a S. C. de disciplina sacramentorum (can. 249, § 2) dispensationem obtinuerit in lege jejunii eucharistici.

Verba canonis « *semel* aut *bis* in hebdomada » sunt stricte sumenda, ita ut graviter delinqueret qui favore

---

(1) Quare, si feria 5ª infirmus a mense decumbit, poterit jam feria 6ª et sabbato ejusdem hebdomadæ communicare non jejunus, dein, quod singulas attinet hebdomadas sequentes, diebus duobus pro suo arbitrio, exceptis tamen tribus ultimis diebus post quos prævidetur convalescentiam ingressurus.

can. 858 § 2 præsumeret ter vel quater in hebdomada communicare non jejunus.

Aliunde, non obstat præsenti privilegio infirmum aliis hebdomadæ diebus Eucharistiam recepisse jejunum. Sane, qui regulariter ceteris diebus communicaret jejunus, præsumendus esset sine nimio incommodo singulis diebus jejunium posse servare. Attamen, plerisque a mense decumbentibus infirmis difficile erit jejunium in sua integritate sustinere. Quodsi pauci sine notabili incommodo hoc facere possunt, melius tamen videri potuit, ut dubia et anxietates multorum vitarentur, usum privilegii nulla conditione incommodi restringere (1). Paucis verbis: in canone nulla de difficultate jejunii servandi clausula apponitur, nec est, ut arbitramur, supponenda.

Id tamen non prohibet quominus infirmi, qui jejunium servare valent, hortandi sint ut jejuni communicent quatenus sine detrimento sanitatis aut molestia possint. Id enim decet et procul dubio in votis est privilegium concedentis.

3) *Immerito quis extenderet verba canonis ad communionem celebrantis.*

Finis enim legislatoris non est *celebrationem* infirmis sacerdotibus faciliorem reddere sed fidelibus ægrotantibus accessum ad sacram *communionem*. Valet itaque canon 858, § 2 de sola communione *more laïcorum* instituta (2).

---

(1) Hæc forsan fuit ratio cur clausula « *nec naturale jejunium in sua integritate servare queunt* », quæ occurrit in introductione historica decreti 7 dec. 1906, in concessionis tenore deficiat. Vide *Collat. Brugen.*, XII (1907), p. 135.

(2) Nuperrime, precibus Procuratoris Generalis congregationis Presbyterorum a SSmo Sacramento, novum privilegium concessum est in favorem sodalium associationis Sacerdotum Adoratorum. Desumimus textum e periodo « *SS. Eucharistia, orgaan van de Priesters der Aanbidding en van het Eucharistisch Priesterverbond* », oct. 1926, p. 314 :

« *Beatisime Pater*,

« Procurator Generalis Congregationis Presbyterorum a SSmo « Sacramento, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humiliter « postulat ut omnibus sodalibus Associationis Sacerdotum Adorato-

Nota. Postulatur ut infirmus consilium quærat sui confessarii, cujus est judicare, inspectis dispositionibus pænitentis et circumstantiis forsan peculiaribus in quibus versatur, an et quatenus cautum sit fructuosæ et reverenti receptioni SS. Sacramenti.

V. Coucke.

V.

Het Apollinarisme II.

V. *Hoe werd door de Kerk de traditioneele leer betreffende de menschheid van Christus tegen het Apollinarisme gehandhaafd ?*

A. Het Apollinarisme (1) was eerst een tiental jaren onopgemerkt gebleven, dank zij vooral den gunstigen naam, dien Apollinaris in den strijd tegen het Arianisme

---

« rum a Beato Petro Juliano Eymard institutæ facultas concedatur « qua possint, si quando infirmi inveniantur nec valeant ex medici « attestatione servare jejunium naturale ante Sacram Communionem « præscriptum, etiam quotidie Sanctissimam Eucharistiam sumere « more laïcorum, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum « potus antea sumpserint.

Ex Audientia SSmi diei 29 martii 1926.

« SSmus Dnus Noster Pius Papa XI, audita relatione infrascripti « Præfecti Sacræ Congregationis de Sacramentis, precibus annuere « dignatus est juxta petita ad septennium, nempe ut sacerdotes de « quibus in precibus, durante infirmitate, accedere valeant ad Sacram « Communionem more laïcorum recipiendam, etiam quotidie, de con- « silio Confessarii, postquam sumpserint aliquam medicinam vel ali- « quid per modum potus, præmonito Ordinario loci ejusque obtenta « venia, remota fidelium admiratione, aliisque servatis de jure servan- « dis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

M. Card. Lega Præf.
D. Jorio Secrius ».

Dispensatio in lege jejunii pro sacerdote *celebrante* petenda est (can. 247, § 5) a S. C. S. Officii. Lege, apud *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 231 litteras ab illa suprema congregatione locorum Ordinariis datas, super jejunio eucharistico ante missam.

(1) Zie *Collat. Brugen.*, t. XXVI, bl. 408.

verworven had. Het was eerst in 362, dat de nieuwe dwaalleer in opspraak kwam, namelijk in het concilie van Alexandrië door den h. Athanasius bijeengeroepen ten einde de goedgezinde semi-arianen tot de moederkerk terug te brengen ; daar kwamen de vertegenwoordigers der antiocheensche school in botsing met de volgelingen van Apollinaris. Doch de h. Athanasius wist de moeilijkheden te overwinnen en ten slotte beleden beide partijen dat de menschwording van het Woord niet was te verstaan als de komst van het woord Gods in de profeten. « Maar het Woord zelf werd vleesch, en, zijnde in de natuur van God nam hij de natuur van een slaaf aan, en uit Maria volgens het vleesch, werd hij mensch voor ons .... Dit ook beleden zij, dat de Verlosser niet een lichaam zonder ziel of gevoel of geest had. Want het was niet mogelijk dat, wanneer de Heer voor ons mensch werd, zijn lichaam zonder geest was. Want niet het lichaam alleen, maar ook de ziel is in het Woord zelf verlost (1). »

Hiermede scheen voor de vergadering de moeilijkheid opgelost, zonder dat het noodig bleek iemand bij naam te noemen ; de h. Athanasius had ten andere het geschil, dat tot dan toe enkel plaatselijk was, niet hoog opgenomen. Doch de twee partijen bleven bij hunne meening en gaven aan de opgelegde belijdenis, die zeer algemeen was, een uitleg volgens hun verkeerde opvatting. Het was in de jaren, die volgden op het concilie van Alexandrië, dat Apollinaris zijn meeste polemische geschriften vervaardigde, vooral tegen de antiochenen Diodorus en

---

(1) Voisin, *o. c.*, p. 40, heeft de eerste de ware toedracht begrepen van dit incident vermeld door Athanasius in zijn *Tomus ad Antiochenos*. De voorgehouden formulier is van buitengewoon belang; « il nous donne le spectacle d'une assemblée conciliaire, où l'Italie, l'Egypte, l'Asie, tous les pays chrétiens ont leur représentants, attestant, lorsque l'occasion s'en présente pour la première fois, que l'intégrité de la nature humaine du Christ est une vérité élémentaire de la doctrine chrétienne ». *Ibid.*, p. 47. Zie ook Janssens, *t. a. pl.*, bl. 100.

Flavianus (1) ; zoo werd de nieuwe ketterij hoe langer hoe meer bekend. Omstreeks 370 was de twist naar veel andere kerken van het Oosten overgeslagen ; bijna overal ontstonden de twee partijen. Vooral te Corinthe, op het eiland Chypra en bij de monikken van Palestina werden allerlei nieuwigheden over het mysterie der menschwording voorgehouden, die wel is waar door Apollinaris zelf werden afgekeurd en bestreden, maar toch met zijne dwaling verband hielden (2). Het was hoog tijd dezen vloed in te dijken. De grijze Athanasius, daartoe aangespoord door de bisschoppen en geloovigen zijner provincie, nam de pen op om zijn vroegeren vriend terecht te wijzen en de traditioneele leer over de menschheid van Christus te verklaren (3).

Ook Rome werd weldra met de zaak bemoeid en wel door Vitalis, een der eerste en meest bekende volgelingen van Apollinaris. Vitalis was priester in Antiochië en betrokken in de moeilijkheden van het meletiaansch schisma ; hij kwam naar Rome (375) om bij paus Damasus steun te vinden, ten einde door diens bemiddeling aangenomen te kunnen worden in de gemeenschap van Paulinus, die te Antiochie de door Rome erkende bisschop was. Hij legde daarom bij den paus een kunstig

---

(1) Een goed overzicht der geschriften van Apollinaris is te vinden bij AIGRAIN in *Dict. d'Hist. et de Géographie*, v° *Apollinaire*. Wat van die werken overbleef werd uitgegeven door LIETZMANN, *o. c.* Zie ook VOISIN, *o. c.*, p. 49 ; p. 168 ss.

(2) Zoo leerden b. v. enkele volgelingen van Apollinaris dat het Woord Gods in vleesch veranderd was, of ten minste door de menschwording verminderd en verlaagd was; anderen beweerden dat Christus zijn lichaam niet uit Maria had genomen, maar uit zijn eigen wezen ; zijn lichaam was een hemelsch lichaam, en zoo meer. Tegen dergelijke uitlatingen schreef Athanasius in zijn brief aan Epictetus en in zijn brief aan Adelphius, ca 371, (Zie uittreksels bij ROUËT DE JOURNEL, *Enchir. patristicum*, n. 794 en 795) ; ook de h. Epiphanius in zijn *Ancoratus*, ca 374 (ROUËT, n. 1081 sq.). Cfr VOISIN, *o. c.*, p. 59 ss.

(3) Nl. in boven vermelde brieven; de twee boeken echter bekend onder den titel *Contra Apollinarium* (ROUËT, n. 796) zijn niet door Athanasius, maar door twee zijner leerlingen geschreven tusschen 373-377. BARDENHEWER, *Geschichte der Altkirchl. Litteratur*, t. III, p. 57.

opgestelde geloofsbelijdenis af, die eerst voldoening schonk. Doch naderhand, waarschijnlijk na nieuwe inlichtingen uit het Oosten bekomen te hebben, schreef paus Damasus naar bisschop Paulinus dat Vitalis niet kon aangenomen worden, tenzij hij de nieuwe ketterij « die in het Oosten na het Arianisme gewoekerd had » uitdrukkelijk verwierp (1) : « Confitendus ipsa Sapientia, Sermo, Filius Dei humanum suscepisse corpus, animum, sensum, id est integrum Adam, et ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem » (2). Vitalis weigerde daarop in te gaan, en werd nu door Apollinaris zelf bisschop gewijd van Antiochië (376). Apollinaris immers had zich intusschen van de Kerk afgescheurd en stelde eigenmachtig voor zijne partijgangers bisschoppen aan in verscheidene steden van het Oosten (3).

Nu was het duidelijk geworden dat de bisschop van Laodicea hardnekkig op het dwaalspoor voortholde. Zijn vroeger vrienden konden dus verder niet meer zwijgen : reeds in 377 noemde de h. Epiphanius hem ketter (4), al deed hij het met een zeker spijt om reden der vroeger verdiensten van Apollinaris. Strenger trad de h. Basilius op, die het op zich nam Rome in te lichten (5). De veroordeeling bleef dan ook niet lang meer uit. In 377 nog werd door paus Damasus te Rome een concilie gehouden, waar Petrus, de patriarch van Alexandrië, en de gezanten van Basilius aanwezig waren ; Apollinaris en een zijner bisschoppen, Timotheus, werden er afgesteld en hunne leer verworpen. Het decreet van Damasus bevatte reeds het bewijs dat meestal de heilige vaders tegen het Apollinarisme zullen inbrengen : « Quod si utique imperfectus

---

(1) Deze gebeurtenis is verhaald in de kerkgeschiedenis van Sozomenus, VI, 25; zie Voisin, *o. c.*, p. 80 ss.

(2) Ep. III *Per Filium*; (MPL, t. XIII, col. 356), Voisin, *o. c.*, p. 83.

(3) *Ibid.*, p. 34 ss.; Aigrain, *a. c.*

(4) *De Hæresibus*, LXXVII.

(5) Nl. in zijn brief CCLXIII aan de westerlingen ; zie Aigrain, *a. c.*, col. 970.

homo susceptus est, imperfectum Dei munus est, imperfecta nostra salus, quia non est totus homo salvatus » (1).

Dit was de genadeslag voor het Apollinarisme ! Wel konden de ketters nog enkele jaren hunne afgescheurde kerk in stand houden, dank zij de verwarring in het Oosten gesticht door keizer Valens ; doch de rechtgeloovige bisschoppen hernieuwden de veroordeeling van Rome ; het vonnis van paus Damasus werd bekrachtigd in 378 door een concilie van Alexandrië, in 379 door een concilie van Antiochië, in 381 door het algemeen concilie van Constantinopel (2).

Eindelijk bemoeide zich ook de burgerlijke macht met de zaak. Keizer Theodosius, die een groot beschermer was der rechtgeloovigheid, trof eene reeks maatregelen (383, 384, 388) die de verdere uitbreiding der ketterij tegenhield. De secte bleef echter in 't geniep voortbestaan, tot ze zich in den loop der vijfde eeuw versmolt met de meer talrijke aanhangers van het Monophysisme, waarvan Apollinaris de voorlooper geweest was.

Benevens de ambtelijke veroordeeling werd de ketterij van Apollinaris ook krachtig bekampt, we zegden 't reeds hooger, door de kerkvaders. Belangrijk in dit opzicht zijn : het *Contra Apollinarium* aan den h. Athanasius toegeschreven, de *Antirrheticus* van den h. Gregorius van Nyssa, verschillende brieven van den h. Gregorius van Nazianze en de *De Hæresibus* van den

---

(1) *Damasi Epist.* II, fragm. II; *Epist.* VII (MPL, XIII, 352, 371).

(2) Tixeront, *o. c.*, p. 110. In 382 werd door toedoen van den h. Ambrosius een nieuw concilie te Rome gehouden door paus Damasus; na dit concilie, waarbij de oostersche bisschoppen niet aanwezig waren, zond de paus naar bisschop Paulinus van Antiochië de beruchte *Confessio fidei catholicæ*, bekend ook onder den naam *Anathematismi Damasi*; de zevende was gericht tegen het Apollinarisme en luidt als volgt : « Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali et intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationali et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est rationabilem et intelligibilem sine peccato animam susceperit atque salvaverit ». (Denzinger, *Enchiridion*, n. 65).

h. Epiphanius. Met meer klaarheid en duidelijkheid dan voorheen wordt in deze geschriften bevestigd dat Christus waarlijk en volmaakt mensch is. De menschheid, die in Christus en door Christus moest verlost, is de onze, en dus heeft hij eene menscheid als de onze, zoo redeneert Gregorius van Nyssa : lichaam en ziel (heel het lichaam en heel de ziel) heeft Christus aangenomen. Dat alleen immers is hersteld wat door het Woord is aangenomen ; dat alleen is verlost wat met God (het Woord) is vereenigd. En bij dit bewijs, dat Athanasius en ook paus Damasus en nadien veel ander kerkvaders tegen het Apollinarisme opwierpen, voegde hij nog een tweede : hoe zou Christus voldaan en verdiend hebben, indien hij geen vrije ziel had ? Ook werden allerlei schriftuurplaatsen bijgehaald, waaruit blijkt dat in Christus dezelfde zielsaandoeningen waar te nemen waren, die bij andere menschen bestaan, zoodat terecht mag gezegd dat Christus menschheid is zooals de onze, in alles aan de onze gelijk behalve in de zonde.

Doch evenzeer en met evenveel nadruk steunden diezelfde kerkvaders der vierde eeuw op de *eenheid* in Christus, die, zooals Apollinaris terecht had doen opmerken, in 't gedrang kwam bij de theologanten der Antiocheensche school. « De Verlosser, aldus Gregorius van Nazianze, bestaat uit twee verschillende dingen » de Godheid en de menschheid, « maar hij is niet *ἄλλος και ἄλλος* » d. i. de mensch is niet een andere (een ander subject) en de godheid een andere (een ander subject). « Dezelfde is God en dezelfde is mensch, zegt de h. Epiphanius, niet alsof hij in den mensch gewoond had ». En de h. Athanasius komt nog nader bij de leer die later zal geformuleerd worden, waar hij zegt dat het Woord Gods door de menschwording niet veranderd is maar dezelfde (*ὁ αὐτός*) is gebleven (1).

---

(1) Zie daarover meer bij Tixeront, *o. c.*, nl. in het belangrijk vijfde hoofdstuk : *Lutte doctrinale contre l'Apollinarisme. La christologie grecque du IVe siècle*; ook bij Janssens, *t. a. pl.*, bl. 101 vlg.

Veilig werd aldus, alhoewel soms nog in onbeholpen taal, de kerkelijke Overlevering gehandhaafd betreffende de twee onderscheidene en ongeschondene naturen in den eenen goddelijken persoon van Christus (1) Zoowel de ambtelijke veroordeeling door de Roomsche Kerk, als de geschriften der kerkvaders tegen het Apollinarisme en tegen het overdreven dualisme der Antiocheners bereidden den weg voor de latere definities en veroordeelden reeds bij voorbaat de toekomstige ketterijen.

R. Deschepper.

VI.

De habitu liturgico in administrandis sacramentis.

Q. *Quisnam est habitus liturgicus sacerdoti præscriptus ad sacramenta administranda ?* (2)

I. **Generali modo** respondet Rituale Romanum, tit. I, cap. unic., n. 7 : « In omni sacramentorum administratione *superpelliceo* sit indutus, et desuper *stola* ejus coloris quem Sacramenti ritus exposcit ; nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat ».

Quod et diserte confirmatur decreto generali S. R. C. 12 jul. 1892, n. 3784, ad I. Quare canonici et ii qui gau-

(1) De leer is klaar, doch de bewoording niet altijd gelukkig; zoo zullen soms later teksten van de kerkvaders uit dezen tijd misbruikt worden. « Si les Pères Grecs de la fin du IVe siècle, aldus Tixeront, *o. c.*, p. 130, avaient puisé dans le sens catholique et l'enseignement traditionnel assez de lumière pour repousser et condamner l'Apollinarisme, ils n'avaient pas encore assez mûri leurs idées, ni affiné leur langage pour donner au problème christologique une solution absolument satisfaisante et définitive. Des obscurités existaient encore dans lesquelles tâtonnaient les plus grands génies. Ces obscurités devaient se dissiper en partie au Ve et an VIe siècle : mais au prix de quelles luttes et de quels déchirements ! ».

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, III (1898), pp. 524-29.

dent privilegio deferendi rochettum, ejus loco assumere debent superpelliceum ad sacramenta administranda, vel, in propria tantum ecclesia, superpelliceum superimponere rochetto (1). Diaconus sacramentum administrans assumit stolam transversam.

II. **Pro singulis sacramentis in specie.**

1. Ad **Baptismi** administrationem *solemnem parvulorum* requirit Rituale superpelliceum et stolam quæ debet esse violacea (tit. II, c. I, n. 67) (2) usque post unctionem oleo catechumenorum factam. Tota enim evolutio præcedentium cæremoniarum, ut olim ostendimus (*Collat. Brugen.*, X (1905), 668-71) habet indolem pœnitentialem et exprimit luctam contra dæmonem ex anima expellendum. Unctione autem facta « deponit stolam violaceam et sumit stolam albi coloris » (R. R. II, II, 17). Attamen « licite sacerdos uti potest stola bicolori, ex una parte violacea et ex altera alba » (3).

Quod si agatur *de adultis* solemniter baptizandis, potest etiam, et convenientius quidem, induere pluviale violacei coloris (R. R., II, IV, 1) et deinde coloris albi (R. R., II, IV, 51).

In casu tandem baptismi *in necessitate* administrandi extra ecclesiam, convenit quidem adhibere superpelliceum vel saltem stolam, sed non necessario requiritur.

2. **Pro sacramento Pœnitentiæ**, sacerdos « superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo » ut ait Rituale (III, I, 10), vel nisi « occasio, vel consuetudo vel locus interdum aliter suadeat » ut supra notat Rituale.

---

(1) Decr. Gen. diei 12 julii 1892, n. 3784, II. Cfr D. 2684, XXII et D. 2993, 5 quod declarat « rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione sacramentorum ».

(2) Citamus rubricas Ritualis juxta recentem editionem typicam. In præcedenti editione numerus erat 51.

(3) Decr. S. R. C., *Tarnovien.*, 26 mart. 1859, n. 3086, 7.

Exceptionem ergo justificare possunt : *a) occasio* vel *tempus*, si v. g. clausa sacristia, ad manum non sint superpelliceum et stola ; aut si tempore missionis contingat plures esse confessarios quam stolas ; *b) locus*, si confessio excipiatur extra ecclesiam : pro hoc casu tamen convenit ut sacerdos stolam domi asservet et secum deferat ; *c) consuetudo*, ut apud Regulares mendicantes, qui omisso superpelliceo, cum stola tantum confessiones excipiunt ; aut etiam in quibusdam diœcesibus, in quibus aut superpelliceum aut stolam omittunt. Hac de re tamen rescripsit S. R. C. « non esse standum tali consuetudini, sed standum omnino Rituali et aliis decretis » (1), et : « conveniens est ut in ecclesia adhibeatur stola, juxta S. R. C. decreta » (2).

3. **Pro S. Communione** dispensanda.

A/ *In ecclesia*, si celebrans eam distribuat vel *intra missam* (statim post communionem celebrantis), vel etiam immediate ante aut post missam quin ab altari discedat, eam dispensat cum omnibus paramentis missæ (3), etiamsi missa in paramentis nigris celebretur. (4)

Si autem S. Communio dispensetur *extra missam*, ita ut constituat functionem independentem a missæ celebratione, sacerdos debet esse « superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris semper albi vel officio illius diei convenientis (mutato tamen colore nigro in violaceum die Commemorationis omnium fidelium defunctorum) » ait novum Rituale (IV, II, 1).

Olim semper præscribebatur color officio diei conveniens. Ratio novæ dispositionis est quia ex una parte agitur functio a missæ celebratione omnino separata, cui congruit color albus S. Sacramento proprius ; ex altera vero parte S. Communio semper servat essentialem relationem ad sacrificium, cujus est participatio ; et hoc exprimitur per colorem convenientem officio vel potius missæ diei. Censent enim plurimi auctores sumendum esse colorem *missæ* diei, etiamsi officium diei, v. g. in vigilia Pentecostes, alium colorem exigeret.

---

(1) Decr. 7 dec. 1844, n. 2883, II.
(2) Decr. 31 aug. 1867, n. 3158, II.
(3) Cfr *Ritus celebrandi*, x, 6 ; Rit. Rom., IV, II, 10-13.
(4) Rit. Rom., IV, II, 13 ; S. R. C., 27 jun. 1868.

B/ Ad *Infirmorum Communionem* quod attinet, pro omni SS. Eucharistiæ delatione *publica* — sive sit ordinaria cum pluribus, sive extraordinaria cum unica hostia — requiritur *superpelliceum* et *stola alba* (RR., IV, IV, 12), adeo ut « eliminanda sit consuetudo » si forte alicubi existat, deferendi SS. Eucharistiam « cum stola super vestem communem absque superpelliceo », etiam « in parochiis ruralibus ubi longum iter est faciendum » (1). Si plures deferantur particulæ, ita ut sit processionaliter redeundum ad ecclesiam, adhibendum est *velum humerale album*, quo tegitur pyxis. Si vero unica particula, ob causam legitimam (2), deferatur, parva custodia in qua hæc includitur, ponatur in sacculo seu bursa albi coloris quæ collo appendatur.

Ad delationem *privatam* ex causa justa et rationabili tantum licitam (3), debet « sacerdos stolam semper habere propriis coopertam vestibus ; in sacculo seu bursa pyxidem recondat » (4).

4. **Pro Extrema Unctione** administranda debet sacerdos esse indutus superpelliceo et stola violacei coloris dum sacramentum administrat (RR., V, II, 4). Non obstante consuetudine, Extrema Unctio administrari nequit cum stola tantum (5). Aliunde non licet deferre oleum sacrum, in superpelliceo et stola, cum lumine (6), quia hic honor reservatur SS. Sacramento.

5. **Matrimonio** assistens sacerdos sit « superpelliceo et stola alba indutus », ait Rituale VII, II, 1. Decretum autem in *Ambianen.* n. 3158, 3, statuit quod « si immediate sequitur missa, sacerdos præter albam et stolam induere debet etiam planetam » seu omnia indumenta missæ, excepto manipulo. Sed intenditur tantum casus quo sacerdos inter

---

(1) Decr. S. R. C. *Gandaven.*, 16 dec. 1826, n. 2650, 2.
(2) Qua de re cfr *Collat. Brugen.*, III (1898), pp. 292 ss.
(3) R. R., IV, IV, 6 ; *Cod. jur.*, can. 847.
(4) Dec. S. Cong. de disciplina Sacramentorum, diei 23 dec. 1912.
(5) Decr. citat. n. 2650, II.
(6) Decr. S. R. C. n. 196 ; coll. decr. n. 2650, V.

celebrationem matrimonii et missam non recedit ab altari. Potest autem etiam in superpelliceo et stola assistere manimonio et dein accedere ad sacristiam et se induere ad missam, ut patet ex Rituali VII, II, 4.

C. Callewaert.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis novembris propositas.

—

I.

In Jo., VI, 1-15. — Homilia.

Q. *Expositis circa evangelium Missæ dominicæ IVᵃ Quadragesimæ* (Jo., VI, 1-15) *explicationibus ad textum intelligendum requisitis, et intuitu homiliæ habendæ, lectioni evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ cujus objectum sit : Sacra communio.*

R. A longo jam tempore (1) percurrit Jesus universam Palæstinam, potissimum vero Galilæam, doctrinam suam prædicans miraculisque innumeris divinitatem doctrinæ suæ confirmans. Ad sublimiorem doctrinam de ss. Eucharistia discipulos suos vocaturus, stupendo miraculo, priori nempe panum multiplicatione veritatem hujus doctrinæ in antecessum confirmare ipsumque illud mysterium altissimum miro illo modo præfigurare sataget.

Sequatur *lectio evangelii.*

Applicatio. Quam opportune hac IVᵃ Dominica quadragesimæ prælegitur nobis hoc Evangelium. Sicut Judæis *proximum erat Pascha* (v 4), in quo agnus paschalis mactaretur et solemni ritu manducaretur, ita et nobis, Christianis, instat tempus Paschale, in quo verus ille

(1) Si modus computandi a multis exegetis admissus et in Evangelio quarto fundatus verus est, Pascha quod v. 4 dicitur esse proximum esset tertium Pascha in vita Jesu publica, ita ut jam peregisset Jesus duos annos prædicando et miracula patrando.

Agnus, qui Christus est, in altari mactatus, ab universis fidelibus manducandus præscribitur. Quanta nobis exstant ex Evangelio præsenti documenta ! Quantæ inter miraculum Evangelii sacramque Communionem similitudines !

1/ Ecce sublevat Jesus oculos et videt multitudinem maximam quæ venit ad eum, v. 5, eosque novit fame extenuatos, conscius eos mediis naturalibus non posse juvari, vv. 7-9 ; sed misericordia movetur sititque eis benefacere, v. 5 s. — Nonne et nunc videt Jesus multitudinem maximam, fame spirituali exhaustos, nullo cibo naturali nutriendos ? Nonne et erga eos ingenti movetur misericordia, desiderio desiderans Pascha suum manducandum eis præstare ?

2/ Ecce miro modo turbam Judæorum præparaverat : præiverat eis trans mare Galilææ ; v. 1 ; signa fecerat super his qui infirmabantur, v. 2 ; subierat in montem ibique cum discipulis suis consederat, v. 3 ; homines fecerat discumbere super fœnum multum, sedile molle. — Nonne et nos, christianos, ad panem eucharisticum edendum præparabit, ducens nos per undas aquarum, quæ sunt sacramentum Pœnitentiæ nosque mundabunt ; nonne super nos infirmos spiritualiter, peccatores nimirum, faciet signa et miracula gratiæ, liberans nos a morbis vitiorum ; nonne et ducet nos ad montem, ad montem nempe altaris, ad Tabernaculum ubi sedet et habitat in medio discipulorum suorum ; nonne et nos discumbere faciet et assidere suavi mensæ eucharisticæ ?

3/ Ecce miraculum patrat, multiplicationem panum, cujus singuli ritus tam mira identitate in Eucharistia reiterantur. Sicut ibi, ita et hîc accipit Jesus, per sacerdotem suum, alterum Christum, panem in manu sua ; utrinque aspicit in cælum ; utrinque gratias agit, — audi Præfationem Missæ — ; utrinque cibum dat in manibus discipulorum suorum, Apostolorum ibi, hîc sacerdotum, ut isti distribuant turbæ.

4/ Et quanta identitas inter utrumque miraculum. Multiplicabantur panes ; multiplicatur quodammodo Jesus eucharisticus. Datur panis hominibus, quantum volunt, v. 11 ; præstatur eucharistia singulis et omnibus hominibus, quantum volunt, etiam singulis diebus. Saturata turba, manent panes æque multi, v. 13 ; etiam Jesum eucharististicum sumit unus, sumunt mille, nec sumptus consumitur. Sollicitum se exhibet Jesus ne fragmenta panis pereant ; sollicitus est et sacerdos et Ecclesia ne de pane eucharistico, non mittendo canibus, quidquam pereat. Nonne sicut ibi pisces multiplicabantur, ita et hîc Jesus qui piscis symbolo intelligitur et qua ἰχθύς designatur, utpote Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, quasi multiplicatur ?

5/ Et quantum conveniunt utrinque effectus. Judæi pane multiplicato implentur omnes, v. 12, sicut et qui s. Communionem recipit impletur omni gratia, utpote omnis gratiæ auctore. — Acclamant Jesum ut Messiam, v. 14, eumque regem facere conantur, v. 15 ; nonne et nos Jesum, cor nostrum in s. Communione ingressum, ut Messiam et Regem nostrum et Deum agnoscemus, non utique ut regem nostrum temporalem et politicum, prout volebant Judæi, v, 12, sed ut regem animarum nostrarum, qui cibo suo eucharistico nos nutrit, reficit et sustentat in vitam æternam.

A. Vander Heeren.

II.

De unione hypostatica.

Q. *Quid venit nomine unionis hypostaticæ ? Paucis explica responsum.*

R. — Nomine unionis *hypostaticæ* venit *singularis* conjunctio naturæ divinæ et naturæ humanæ assumptæ in una persona Verbi : unus Christus, una persona Verbi incarnati, subsistit in duabus naturis, divina et humana,

et hæ duæ naturæ, sine ulla permixtione aut confusione, prorsus distinctæ permanent, post unitionem in persona, ut in præcedenti responsione diximus.

Ad explicationem, supposita demonstratione fidei catholicæ, hæc sufficiant :

1/ Quod *nomen* spectat : dicitur unio *hypostatica*, id est secundum *hypostasim seu personam*.

Advertatur porro hoc vocabulum « hypostasim » ad litteram dicere « substantiam », et sic revera legimus in antiqua versione epistolæ synodicæ s. Cyrilli alexandrini, cum anathematismis ejusdem contra Nestorium, in concilio ephesino receptæ, quam fecit Dionysius exiguus : « Si quis non confitetur carne *substantialiter* (καθ' ὑπόστασιν) unum esse Verbum Patris... a. s. » (1).

Ita quandoque loquitur etiam s. Thomas : « Humana natura unita est Verbo, non quidem accidentaliter, neque etiam essentialiter,... sed substantialiter » (2), prouti scilicet « substantia significat hypostasim » (3). Et revera : « Substantia dicitur dupliciter. Uno modo dicitur substantia quidditas rei quam significat definitio ; secundum quod dicimus quod definitio significat substantiam rei. Quam quidem substantiam græci οὐσίαν vocant ; quod nos essentiam dicere possumus. Alio modo dicitur substantia subjectum seu suppositum quod subsistit in genere substantiæ » (4).

In alia autem versione textus concilii legimus : « Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam... » (5), quod idem sonat ac « secundum personam » (6). Sic vero hodie potius dicitur, et melius quidem, ad præcavendas

(1) *Anathem.*, can. 2 (HARDUINUS, *Conc. coll. reg. max.*, I, 1291, Parisiis, 1715).

(2) *Quæst. disp. de unione Verbi incarn.*, a. 1, ad 13.

(3) *Ibidem*, in c.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 29, a. 2, c.

(5) Cfr *Enchir.*, n. 114 ; ita etiam in conc. chalced., œcum. IV (a. 451) contra monophysitas : « ... in unam personam atque subsistentiam » (*Enchir.*, n. 148).

(6) Cfr *Sum. theol.*, *l. c.*

difficultates, uti notat s. Doctor communis : « Quia nomen substantiæ, quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi, æquivocatur apud nos, cum quandoque significat essentiam, quandoque hypostasim ; [ideo] ne possit esse erroris occasio, maluerint pro hypostasi transferre subsistentiam, quam substantiam » (1).

2/ Hæc unio, quæ dicitur hypostatica, est reapse omnino *singularis*, neque cum ulla conjunctione alia, quam novimus, omnino convenit ; juvat tamen ad illustrationem ipsius, eamdem cum aliis quibusdam conjunctionibus conferre, quibuscum aliqua ratione, præsertim negativa, congruit. Exemplum talis comparationis habemus in symbolo, quod dicitur athanasianum, in quo legimus : « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus » (2).

a/ Imprimis unio hypostatica *non* est unio *moralis*, quæ obtinet ubi plures personæ, quæ sunt et manent physice distinctæ, congregantur affectu, jure, aut quolibet vinculo ordinis moralis (3). Attamen cum hac unione morali, hoc commune habet unio hypostatica, ut, non duæ personæ, nam una est persona Verbi incarnati, sed duæ substantiæ perfectæ, natura divina et humana, in unum coalescant, unione scilicet secundum subsistentiam, et nihilominus distinctionem suam physicam non amittant.

b/ Ut opponatur ad unionem moralem, unio hypostatica dicitur quandoque *physica*, sed ab unione physica, quam in ordine naturali novimus, sive sit accidentalis, sive sit substantialis, illa longe distat.

Et revera *α*/ unio hypostatica, quæ est ordinis supernaturalis, maxime distat ab unione *accidentali*, quæ habetur,

---

(1) *Ibidem*, ad 2.

(2) *Enchir.*, n. 40. — De hoc symbolo pauca notavimus in præcedenti responsione.

(3) Hæc unio moralis, quam propugnabat Nestorius, sub alio respectu considerata, dici potest accidentalis ; cfr *Sum. theol.*, III, q. 2, a. 6, c. coll. *Collat. Brugen.*, XXI, p. 98.

secundum operationem v. g., inter artificem et instrumentum suum.

Cum tali unione accidentali, manerent duæ naturæ, divina et humana, ab invicem quidem distinctæ, quod secundum fidem catholicam, omnino tenendum est, et in unione morali pariter obtinet, uti modo diximus, sed « divideretur » Christus, quem fide novimus unum in duabus naturis subsistentem (1).

β/ Maxime etiam distat unio hypostatica ab unione *substantiali*, quæ habetur ubi *ex* duabus substantiis *perfectis, per transmutationem substantialem*, fit nova substantia, aqua v. g., tertia relate ad duas priores substantias, puta hydrogenium et oxygenium. Fide enim edocemur Christum esse unum, sed non ita ut tollatur proprietas utriusque naturæ; aliis verbis, unio hypostatica nullatenus est *in natura*, quod hîc demonstrari non debet (2).

γ/ Cum unione *substantiali*, quæ in compositione humana reperitur, ubi *ex* duabus substantiis *incompletis*, fit *una substantia completa*, merito comparata fuit unio hypostatica, et reapse, uti dicit s. Thomas: « In omnibus rebus creatis nihil invenitur huic unioni [hypostaticæ] tam simile sicut unio animæ ad corpus » (3).

Nihilominus ab eadem multum adhuc differt; agitur enimvero in unione hypostatica de substantiis, non imperfectis, sed *perfectis*, quæ ceteroquin uniuntur *in persona*, nullatenus autem in natura: unus Christus, *una*

---

(1) Talis unio accidentalis reperitur rursus in theoria Nestorii, uti observat s. Thomas, *l. c.* coll. *Quæst. disp. de unione Verbi incarn.*, a. 1, c. et *Collat. Brugen.*, XXI, p. 98 s. — Adverte simul, rite intellecta unione hypostatica, naturam humanam assumptam comparari ad Deum tanquam instrumentum, non extrinsecum et separatum, sed proprium et conjunctum, uti latius explicatur *Summa contra gentiles*, IV, 41.

(2) Talem unionem substantialem admittebant fautores monophysismi; vide documenta Ecclesiæ in responsione præcedenti et lege *Sum. theol.*, III, q. 2, a. 1, c., ubi hæc quæstio ex professo tractatur.

(3) *Summa contra gentiles*, IV, 41; ita dicitur etiam in *Quæst disp. de unione Verbi incarn.*, a. 1, c.: « Hujus unionis exemplum in rebus creatis nullum est propinquius quam unio animæ rationalis ad corpus ».

persona Verbi incarnati *in duabus naturis* subsistit (1); ideoque tali comparatione adhuc prudenti cum explicatione utendum est. Ratio porro similitudinis in symbolo, præcipue fuit ad insistendum in unitate Christi, quod oratione contexta satis apparet (2).

Perlustratis hisce omnibus conjunctionibus, perspicue sane videtur quanto jure hæc unio hypostatica dicatur omnino *singularis*, « supra omnes modos unionis nobis notos » (3). Hac etiam de causa hæc unio prorsus admirabilis, uti loquitur concilium tridentinum (4), merito vocatur *hypostatica*, quod nomen ipsi proprium cum nulla conjunctione alia nobis nota communicari potest.

H. Lamiroy.

III-IV.

De missæ defectibus.

Q. Paucis expone quid faciendum sit in casu quo materia sacrificii deprehendatur esse invalida 1) ante communionem, 2) post communionem celebrantis.

R. — Ad I^um^.

Distinctione opus est :

A. *Defectus animadvertitur ante consecrationem.*

1) Defectus corrigendus est, nisi missa diutius foret interrumpenda.

Etenim, sacrilegii reus esset qui unam materiam sine alia consecraret vel super materiam quæ consecrari nequit sacra verba proferret. Ex alia parte, sacrificium semel inchoatum abrumpi non potest, nisi proportionata causa excuset. Profecto, statim apparet abruptionem graviorem esse *post oblationem* quam *ante* eam, gravissi-

(1) Cfr *Sum. theol.*, III. q. 2, a. 1 et 2.

(2) Cfr *Collat. Brugen*, XVII, p. 320 s., ubi ratio hujus similitudinis penitus explicatur.

(3) *Quæst. disp. de unione Verbi incarn.*, a. 1, c.

(4) *Conc. trid.*, œcum. XIX, sess. XIII (a. 1551), cap. 3 (*Enchir.*, n. 876).

mam (1) vero fore peracta *alterutra consecratione*, vel etiam *utraque*, sacrificio eucharistico communione corporis et sanguinis nondum integro. Porro, quia in proximo responso agetur de causis abrumpendi missam, sufficiat hic notasse celebrationem abrumpendam esse si ante consecrationem, imo incœpto jam canone, defectus advertitur et una hora exspectandum est ut materia valida afferri queat. Consecratione autem alterutra valide peracta, etiamsi per plures horas materia alteri consecrationi necessaria exspectari debeat, missa non potest simpliciter abrumpi, sed interrumpi debet, sacramento interim in tabernaculo recondito. Sola impossibilitas excusat a sacrificio communione integrando (2).

2) Defectus itaque corrigi debet ante consecrationem. Ast, uti sponte patet, defectum corrigere jubemur jam *ante oblationem*, quia valida tantum materia offerri potest. Et quamvis oblatio non nequiratur ad valorem, semper tamen ob suum momentum liturgicum, consecrationem præcedat oportet (3). Qua de causa, si defectus deprehen-

---

(1) Ita ut ab hoc momento lex jejunii naturalis cedat legi perficiendi sacrificium. Cfr rubrica missalis *De defectibus*, tit. III, n. 5.

(2) Ex prædictis intelligitur hæc rubrica missalis, *De defectibus*, tit. IV, n. 8 : « Si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi ; si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet : si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata : tunc, si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut prætermittantur verba et signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum. — Vide etiam can. 817 : « Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera... consecrare ».

(3) Quare, si cum nova materia consecratio aliqua iteranda est, semper prius oblatio ejus fiat, quod docent rubricæ, *De defect.*, tit. III, 6, 7 ; IV, 3,5. — Si hostiæ pro populo consecrandæ serius præsto sint, oblatio, ante canonem, mentaliter suppleatur ; si canon jam incœptus sit, gravis ratio postulatur, qualis adest si plures secus diu (quod relative pensandum est) exspectare deberent ut communicentur. Si unus tantum diu exspectare deberet, plerique sinunt celebrantem partem magnæ hostiæ ipsi tradere. Quidam permittunt et suadent etiam in hoc casu, parvam hostiam mentaliter offerre et cum materia principali tunc consecrare.

ditur oblatione jam facta, celebratio interrumpatur et loco materiæ invalidæ valida offeratur.

Quodsi materia vini invalida fuerit, novo vino aqua prius admisceatur. Hæc ceremonia, si ante oblationem omissa sit, ob suam mysticam significationem, supplenda est, nisi vinum interim jam consecratum sit (1).

Oblatio forte iteranda fiat saltem mentaliter, omisso hac occasione quovis signo. Dein sacerdos missam prosequatur, *a loco quo desivit.*

3) Quo magis appareat sacerdotem panem et vinum consecrantem agere personam Christi et dominicam renovare cœnam, præcipitur ut consecratio materiæ appositæ fiat in suo respectivo contextu narrationis evangelicæ (2), adeoque, pro materia consecranda, incipiat verbis : « *Qui pridie quam pateretur..* » aut « *Simili modo postquam cœnatum est...* ». Quare, si celebrans advertit defectum, incœpta jam narratione historica, hæc est, nova apposita materia et oblata, resumenda.

4) Materia invalida, si oblata sit, reverenter tractetur. Panis, post communionem sanguinis sumatur. Liquor invalidus in aliquod vas effundatur et cum ablutione digitorum sumatur. Quod sumi nequeat, in sacrarium projiciatur.

B. *Defectus advertitur post consecrationem.*

1) Recolendum est actionem proprie sacrificam peragi in ipsa consecratione, quæ, ex institutione dominica, duabus partibus constat, quibus missa habet ut sit expressius commemorativa et repræsentativa sacrificii crucis, cujus nobis applicat fructus.

Præterea, missa est sacrificium eucharisticum seu pacificum et, sub hoc respectu, quod consecratione mystice

(1) Cfr rubrica *De defect.*, tit. IV, n. 7.

(2) *Ibidem*, tit. III, 5-7 ; IV, 3, 4. — Scotus docuit verba illa introductoria requiri ad valorem consecrationis. Hanc etiam sententiam, quæ communiter rejicitur, defendit DE LA TAILLE, *Mysterium fidei.* 1921, p. 454 ss. « Scotus recte sensit, præter verba formalia, alia requiri narrativa, sine quibus nec illa sinceram formæ rationem apud nos haberent ».

immolatur ulterius ad communionem ordinatur, ita ut mysterii celebratio sumptione theothyti, communione scil. corporis et sanguinis Domini incruenter immolati, integrari debeat. Jam age :

Si alterutra materia, utpote inepta, invalide consecrata est, aptæ materiæ consecratione defectui supplendum est, juxta quosdam ut verum habeatur sacrificium, verius ut actio sacrifica integra sit ejusque relatio ad sacrificium crucis perfecta, fundata scil. in duplici consecratione, corporis nimirum et sanguinis (1).

Quodsi materia valide consecrata ante communionem sublata sit aut totaliter effusa, ita ut communio hac parte perfici nequeat, loco materiæ deficientis nova apponatur, offeratur et consecretur, modo supra indicato ; ut communione theothyti, sub sacramento corporis *et* sanguinis constituti, sacrificium, qua pacificum est, omni parte integrum sit (2).

2) Sacerdos, postquam defectum correxit, prosequatur celebrationem a loco quo desierat. Sed rursus, ob rei momentum, si ante interruptionem fregerat panem invalide consecratum, nova hostia frangi deberet.

3) Materia panis invalide consecrata, ut reverenter tractetur, post communionem sanguinis sumatur aut in sacrarium mittatur. Quodsi, uti plurimum fiet, leve dubium remaneat de validitate hujus materiæ, post communionem sanguinis sumatur, ut supra, vel alicubi prius reverenter conservetur donec constet eam esse corruptam.

Quod autem spectat materiam vini invalidam, si particula hostiæ ipsi jam commixta sit (3), in alium calicem aut ciborium effundatur, aut, si hoc fieri nequeat, in aliquod vas mundum. Liquor effusus, si sit potabilis,

---

(1) Cfr rubrica *De defect.*, III, 5 ; IV, 4,6. Si defectus corrigitur post elevationem, non fiat nova elevatio.

(2) *Ibidem.*, tit. III, 7 ; X, 13. Vide etiam supra, p. 33, notam 2am.

(3) Liquor invalidus, cui sacra particula non est commixta, in vas effundatur : rubrica *De defectibus*, IV, 4.

sumatur cum ablutione digitorum et, si sacra particula ipsi commixta sit, cum prima purificatione. Si autem potabilis non sit, in sacrarium projiciatur, extractis particulis sacris, quæ sumuntur post communionem sanguinis. Si quædam tamen fragmenta extrahi vel manducari nequeant, vas in tabernaculo conservetur donec particulis certo corruptis in sacrarium effundatur.

Ad IIum.

A. *Defectus deprehenditur post sumptionem panis, sed ante communionem sanguinis.*

Defectus reperiri potest in materia panis aut vini.

In priore casu :

Lex jejunii naturalis cedit legi perficiendi sacrificium unius materiæ valida consecratione incœptum. Quare, ad modum dictorum supra, novus panis offeratur, consecretur, frangatur et sumatur. Particula invalide consecrata quæ vino eucharistico commixta est, cum sacramento sanguinis sumatur.

In altero casu :

Observetur quod de calice invalide consecrato diximus. Dein, alius panis et aliud vinum mixtum offeratur, consecretur et sumatur, servata fractione hostiæ (1).

Hoc agendi modo, sacrificium qua pacificum est perfecte integratur et sacrificium crucis consecratione panis et vini perfecte repræsentatur. Duplex utique facta est panis consecratio valida, quod est aliquod incommodum hujus solutionis, ast sacrificium inde non multiplicatur, ne inadæquate quidem, sed actiones consecratoriæ in unum moraliter totum coalescunt, fere ad modum quo non multiplicatur extrema unctio si prius urgente mortis periculo unica unctione in fronte administratur et dein unctionibus in variis sensibus integratur.

---

(1) Ex decreto 16 sept. 1815 (Gardellini, *Decreta authentica C. S. R.*, III, n. 4515, Romæ, 1857), non potest, ni fallor, concludi novam consecrationem fieri debere adhibito calice consecrationis invalidæ. Ceterum, hoc decretum non reassumptum est in collectione authentica, vol. II, sub auspiciis Leonis XIII anno 1898 edita.

Attamen, si cum plurium scandalo nova materia a sacristia afferretur, posset, si adsit ad altare vinum validum, sola consecratio vini iterari (1). Hac solutione vitatur incommodum quod est in iterata valida consecratione panis, sed repræsentatio sacrificii crucis, quamvis expressius fundetur in duplici consecratione, corporis scil. et sanguinis Christi, minus tamen percellit. Vis enim illa percellendi jam valde minuta, eo quod multis precibus et ceremoniis consecratio corporis a consecratione sanguinis disjungitur, magis adhuc decrescit si communio quoque intercedit, qua sacramentum corporis in altari jam deerit. Verum est remanere in calice particulam aliquam consecratam, ast tamen concedendum est commemorationem sacrificii crucis jam minus percellere.

B. *Defectus deprehenditur post communionem sub specie vini.*

1) Ob rationes modo datas, nova apponenda ac offerenda est et consecranda materia panis et vini. Attamen, si defectus fuerit in vino, puta quia erronee aqua apposita erat, et plurium scandalum vitandum sit et vitari possit solum vinum mixtum, quod ad altare præsto est, consecrando, nova consecratio panis fieri non deberet.

2) Defectus corrigi potest et debet quatenus nova consecratio cum præcedente in unum moraliter sacrificium coalescere potest. Qua de causa, postquam omnibus precibus de more absolutis definitive ad sacristiam recessum est, defectus corrigi nequit.

Nota. In præcedentibus egimus de casu quo alterutra materia sacrificii totaliter et certo invalida est. Porro :

a) Quæ diximus valent etiam de materia dubia. Ita, si sumpto (3) calice dubium habetur non spernendum de validitate liquoris, nova consecratio fieri deberet panis et

---

(1) Etiamsi particula consecrata in calice liquori commixta remaneat, id enim supponit rubrica *De defect.*, IV, 5. Nonnulli contradicunt.

(2) Cfr rubrica *De defect.*, IV, 5.

(3) Si pars aliqua liquoris dubie consecrati supersit, sumatur ante primam ablutionem.

vini vel saltem vini juxta supra dicta. Consecratio autem fiat absolute, quia variæ consecrationes censentur in unum coalescere sacrificium et quia sacramentum ut certum et simpliciter adorandum tractari et sumi poterit.

b) Si plures hostiæ consecratæ sunt et dubium versatur circa unam tantum, puta circa magnam, profecto sacrificii integritas dubia non est adeoque consecratio non est iteranda. Hostia dubie consecrata sumatur statim post communionem sanguinis.

c) Si advertitur, quod raro fiet, post consecrationem *utramque* materiam esse *certo* invalidam, et jejunium naturale jam læsum est, missa abrumpi debet, sed ad vitandum scandalum seu mirationem populi, possumus quasdam preces recitare et benedictionem impertire.

V. Coucke.

V.

De actu heroïco charitatis (1).

Q. *Quid venit in materia indulgentiarum sub nomine actus heroïci charitatis?*

I. — **Notio.** — Actus heroïcus charitatis erga animas in purgatorio detentas in eo consistit quod christifidelis, sive aliqua adhibita formula, sive etiam tantummodo mente, in suffragium defunctorum divinæ majestati offert omnes indulgentias, quas vivens lucrari potest, necnon omnia opera satisfactoria quæ ipse, quoad vixerit peraget, et etiam omnia suffragia quæ post mortem quomodocumque ei obvenire poterunt (2).

---

(1) Cfr *Raccolta*, 1893, p. 530 ss.; Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 392 ss., n. 829 ss.; *Tractatus de indulgentiis*, *Theologia mechliniensis*, 1926, p. 21, p. 257 ss.; *Collat. Brugen.*, t. VI (1901), p. 376 ss., t. XVIII (1914), p. 537; *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. VI (1906), p. 157 sq., t. XXII (1922), p. 80.

(2) Cfr decr. s. C. Ind. 20 febr. 1907, apud *Collat. Brugen.*, t. XII (1907), p. 774, coll. decr. s. C. Ind. 19 dec. 1885, in expositis et ad I-II, apud *Acta s. Sedis*, t. XVIII, p. 337 ss.

Hæc forma devotionis, quam votum seu oblationem appellant, tempore pontificatus Benedicti XIII (1724-1730) a P. D. Gasparo Oliden ex clericorum regularium Theatinorum familia fuit instituta aut saltem per catholicum orbem propagata (1).

Multi christifideles, auctore aut suasore eodem P. Gasparo, consueverunt omnes illas satisfactiones, indulgentias ac suffragia de quibus supra, in manus B. Mariæ Virginis deponere, ab eadem pro suo misericordi beneplacito distribuenda in favorem animarum purgatorii. Hæc tamen consignatio in manus Mariæ non tamquam pars integralis vel præscripta actus heroïci charitatis habenda est, sed dumtaxat tamquam pia devotio huic actui accessoria, christifidelibus merito commendanda (2).

Adverte 1° Per laudatum actum ceditur tantum *fructus satisfactorius personalis* bonorum operum : unde 1. operanti manet fructus *meritorius* qui, quod objectum meriti de condigno attinet, in alios transferri nequit ; item 2. fructus *impetratorius* sive pro se sive pro aliis, qui a fructu satisfactorio distinctus est ac independens (3) ; 3. nec

---

(1) Cfr decr. s. C. Ind. 20 nov. 1854, in expositis, *Rescr. auth.*, n. 392.

(2) Cfr decr. 19 dec. 1885, in expositis et ad III-IV *o. c.* p. 338 sq Existit quoque alia forma devotionis erga B. M. V. inducta a B. Grignion de Montfort, quæ vocatur « vera » aut « perfecta devotio », et quæ consistit in totali traditione sui et suorum bonorum omnium in manus Mariæ per servitutem amorosam. Quomodo hæc devotio componatur cum actu heroïco charitatis vide *Handelingen van het Mariacongres te Brussel*, 1921, t. II, p. 359 ss.

(3) Hæc ulterius circa meritum, impetrationem et satisfactionem recolat lector. Meriti *condigni* objectum consistit in augmento gratiæ sanctificantis et consequenter gloriæ cœlestis, adeoque ad solum operantem restringitur. Meriti *congrui* objectum sunt gratiæ uberiores et efficaces ad diversos fines conferentes ; non ad solum agentem restringitur sed et ad alios extendi potest. Item *impetratio*, quæ intime cum merito congruo cohæret, non nobis tantum sed et aliis prodesse potest. Tandem per *satisfactionem* seu vim satisfactoriam bonorum operum nostrorum pœnas luimus vel pro propriis peccatis, vel pro peccatis aliorum sive adhuc viventium, sive in purgatorio degentium. Cfr. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, ed. 11, t. I, n. 371 ss. Quod autem *indulgentias* spectat, nemo potest eas aliis in vita degentibus applicare, juxta can. 930. Tandem obiter notetur ex notione supra data, per actum

sacerdos qui hunc actum emiserit, prohibetur quominus missam offerat ad intentionem illius a quo stipendium acceperit (1).

2° Qui actum heroïcum emisit in favorem fidelium defunctorum universim (2), imo addidit consignationem in manus Mariæ, de qua supra, libere tamen potest postea designare animam vel animas quibus succurrere intendit : id enim nihil aliud est quam votum seu desiderium ut Deus juxta suum divinum beneplacitum huic animæ vel hisce animabus satisfactiones et indulgentias applicet : beneplacitum vero Mariæ divino beneplacito necessario conforme est (3).

II. — **Indulgentiæ et privilegia** (4). — Benedictus XIII omnibus actum heroïcum charitatis emittentibus pecu-

---

heroïcum charitatis solas satisfactiones *propriorum* operum, non vero satisfactiones quas alii nobis *in vita* applicant, Deo pro defunctis offerri. Cfr P. Hubertus, *Leer en praktijk der aflaten*, p. 113. Attamen, ut videtur, ad perfectionem illius actus pertinet ut etiam iis satisfactionibus renuntiemus in favorem animarum in purgatorio; quemadmodum renuntiamus omnibus suffragiis quæ post mortem nobis quomodocumque obvenient. A. Lehmkuhl, apud *Theologisch-praktische Quartalschrift*, t. 64 (1911), p. 696 dicit quod per laudatum actum renuntiamus non tantum operibus satisfactoriis quæ ipsi facimus, sed etiam satisfactionibus quas alii forsan pro nobis persolvunt *sive in vita*, sive post mortem nostram.

(1) Fructus scilicet impetratorius, propitiatorius et satisfactorius sacrificii missæ dividi solet, spectatis personis quibus obtingit, in *specialissimum* seu *personalem*, *specialem* seu *ministerialem* et *generalem*. Cfr Génicot-Salsmans *Institutiones theologiæ moralis* ed. 8, t. II, n. 217. Primus scilicet ipsi celebranti ex ipsa oblatione digne peracta provenit : huic, qua satisfactorius est, renuntiat sacerdos qui actum heroïcum emittit. Secundus autem ex sacerdotis intentione determinatæ personæ vel fini applicatur : unde, quando sacerdos qui dictum actum emisit, pro seipso celebrat, et huic secundo fructui qua satisfactorio renuntiat. Tertius tandem fructus imprimis ministris et assistentibus, imo omnibus fidelibus, tum viventibus tum vita functis provenit, modo ipsi obicem non ponant.

(2) Dubitatur enim utrum actus ille heroïcus emitti possit in favorem unius animæ in particulari. Cfr *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. VI (1906), p. 158 ; P. Hubertus, *o. c.*, p. 113.

(3) Cfr P. Stein, o.f.m., *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, p. 38 sq., n. 44.

(4) Cfr decr. s. C. Ind. 20 nov. 1854, *l. c.*

liares elargitus est indulgentias quas, postulante Theatinorum præposito generali, Pius VI, 12 decembris 1788 sua auctoritate confirmavit, quasque Pius IX, in audientia 30 septembris 1852 non modo iterum confirmavit, verum etiam voluit, ut infra, declarare :

1° Sacerdotes laudatum actum profitentes indulto altaris privilegiati personalis gaudere possunt singulis anni diebus (1).

2° Omnes christifideles qui eumdem actum emittunt, indulgentiam plenariam defunctis tantum applicabilem lucrari queunt *a*/ quocumque die ad s. communionem accesserint, et *b*/ qualibet anni feria II missam in suffragium defunctorum audierint, dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique juxta mentem sanctitatis suæ pie oraverint (2).

3° Christifideles qui actum heroïcum charitatis eliciunt, omnes indulgentias quocumque modo concessas vel in posterum concedendas, quas lucrari possunt, animabus purgatorii applicare valent.

Tandem idem Pius IX, in audientia 20 novembris 1854 indulsit 1/ ut omnibus qui legitimo impedimento nequeunt missam audire feria II, pro acquisitione indulgentiæ plenariæ de qua supra sub 2° *b*/, suffragetur missa quam die dominico ex præcepto audire tenentur ; 2/ ut

---

(1) Ut autem sacerdos lucretur indulgentiam altaris privilegiati, debet eam applicare defuncto pro quo celebrat. Cfr decr. s. C. Ind. 19 dec. 1885, ad v, *l. c.* Pro ulteriore explicatione vide *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 44 ss.

(2) Fideles laudatum actum professi qui feria II communicant et missæ in suffragium defunctorum intersunt, possunt duas indulgentias plenarias lucrari, dummodo reliqua opera præscripta, visitationem scil. et preces, bis persolvant. Cfr *Nouvelle Revue théologique*, t. XXII (1890), p. 212 ss. Adverte præterea quod indulgentiæ plenariæ sub 2° *a*/ et *b*/ in textu memoratæ, quamvis non explicite sacerdotibus concédantur, a sacerdotibus tamen etiam obtineri possunt, prima scilicet per communionem in celebratione missæ, cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 394, nota 2; decr. s. C. Ind., 10 maii 1844, *Decr. auth.*, n. 327 ; altera vero si missam audiant in refrigerium defunctorum, dummodo in utroque casu visitationem et preces præscriptas adimpleant. Cfr A. Lehmkuhl apud *Theologisch-practische Quartalschrift*, t. 64 (1911), p. 696.

pro omnibus qui legitima ratione sacram Eucharistiam sumere nequeunt (1), Ordinariis sit facultas subdelegandi confessarios ad commutandam s. communionem in alia pia opera (2).

III. – Conditio. – Uti ex notione supra descripta apparet, qui vult actum heroïcum charitatis elicere qualem Ecclesia dictis indulgentiis et privilegiis ditavit, debet renuntiare in favorem defunctorum omnibus satisfactionibus propriis, indulgentiis ac suffragiis ut supra, nihil eorum sibi reservando (3), neque ad tempus aliquod determinatum abdicationem suam restringendo.

Attamen talis actus semel emissus nullam inducit obligationem in conscientia, sed ad libitum elicientis semper revocari potest (4). Unde sensu tantum improprio votum vocatur.

Quæstio disputatur inter auctores utrum illi qui actum heroïcum charitatis fecerunt, possint, imo, si istum actum revocare nolint, etiam debeant indulgentiam in articulo mortis pro defunctis offerre (5). S. Congregatio

---

(1) In textu decreti citati 20 nov. 1854 legitur : « pro omnibus ... qui aut *nondum s. Eucharistiæ sumendæ capaces*, aut legitima alia ratione hoc sacramentum sumere nequeunt ». In nostro textu verba sublineata, quæ respiciunt « adolescentes nondum ad s. Communionem accedentes », ut ibidem dicitur, delevimus, utpote non jam conformia novæ disciplinæ circa ætatem primæ communionis, per decretum *Quam singulari*, 8 aug. 1910, et per can. 854 inductæ. Pueri capaces eliciendi actum heroïcum charitatis capaces etiam dicendi sunt communionis suscipiendæ.

(2) Inde a novo codice omnes confessarii vi canonis 935 facultate gaudent commutandi de qua in textu. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV (1925), p. 318 ss.

(3) Ita oblationi isti non satisfit ab iis qui sibi reservare velint indulgentias quæ pro vivis conceduntur, sed hæ indulgentiæ, ad satisfaciendum pio proposito, sunt defunctis applicandæ juxta indultum a s. Pontifice concessum emittentibus dictum actum. Cfr decr. 19 dec. 1885, ad II, *l. c.*, p. 338, et vide supra in textu sub II, 3o.

(4) Cfr decr. s. C. Ind, 20 febr. 1907, apud *Collat. Brugen.* t. XII (1907), p. 774 ; *ibid.* t. XVIII (1914), p. 537.

(5) Cfr *Collat. Brugen.*, t. VI (1901), p. 378 ss. Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 394, nota 3 opinatur pro responsione affirmativa.

Indulgentiarum noluit rem dirimere, sed respondit « non esse interloquendum » (1). Ne tamen ex hoc dubio perseverante deducas liberum esse elicienti laudatum actum ut hanc indulgentiam in articulo mortis simpliciter sibi reservet : debet vero, ut videtur, ita esse dispositus ut et huic indulgentiæ velit renuntiare, in supposito quod defunctis applicari valeat (2).

In fine, ex supra expositis concludamus actum heroïcum charitatis esse eximium exercitium abnegationis propriæ, paupertatis spiritualis ac misericordiæ erga proximum, Deo gratissimum ac insigni apud Ipsum mercede dignum, juxta verbum Christi : « Date et dabitur vobis... Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis » (3). Adeoque commendandum valde est ut actum heroïcum semel elicitum frequenter deinceps repetamus.

Quæstio tamen nonnumquam ponitur quomodo talis actus componatur cum ordinata dilectione erga nosipsos : videtur enim quod in bono de quo agitur in hac oblatione, tenemur nosmetipsos magis diligere quam proximum. — Difficultatem ita solvit Theodorus a Spiritu sancto (4) : « Quamquam... in bonis simpliciter necessariis ad salutem, nequeat quis seipsum alteri postponere, servato ordine charitatis, ideoque prudentum virginum sollicitudo commendetur, tamen in solutione pœnæ temporalis ceterisque bonis spiritualibus, quæ eam necessitatem minime præ se ferunt, optime cum excellentissimo charitatis exercitio stat, alienæ potius utilitati quam propriæ consulere, ut tradit card. de Lugo, *De Sacramento pœnitentiæ*,

---

(1) Decr. 23 jan. 1901, apud *Collat. Brugen.*, t. VI, p. 376. Objiciet forsan studiosus lector : quid heroïcitatis manet in dicta oblatione in supposito quod indulgentia in articulo mortis esset inalienabilis ? — Minueretur quidem inde heroïcitas, non vero tolleretur, quum semper incertum maneat utrum quis in articulo mortis plene indulgentiam plenariam sit obtenturus.

(2) Cfr *Theologisch-praktische Quartalschrift*, t. 64 (1911), p. 697, ubi impugnatur sententia opposita in eodem periodico proposita, t. 63 (1910), p. 859 ss.

(3) *Lc.*, VI, 38.

(4) *Tractatus dogmatico-moralis de indulgentiis*, t. I, c. XIV, art. 9.

D. 26, n. 16 dicens .... « In his damnis temporalibus laudabile est ea subire propter proximum ... ; cum hoc enim stat quod simpliciter magis nos diligamus, cum in rebus æternis nos præferamus aliis omnibus ». Et advertit Sotus, in 4 dist. 2 art. I [?] : « Adnotandum est quod absque comparatione pluris æstimandum est minimum augmentum meriti et gratiæ, quam liberatio a maxima pœna purgatorii ; incomparabiliter, inquam, pretiosius est cum majori merito et gratia existere in purgatorio viginti annis, quam cum minori esse illic una die, imo sine purgatorio in cœlum evolare ». A. LEGRAND.

VI.

De prohibitione librorum II.

Q. *Proba solam legem naturalem et divinam non sufficere ad pericula et nocumenta pravorum scriptorum a fidelibus removenda, et indica cujusnam sit jus et officium huic necessitati providendi.*

R. — I. Supra ostendimus jus naturale et divinum unicuique prohibere ne libros pravos, i. e. quæcumque scripta aut impressa quæ ipsi quoquo modo periculum pro fide vel moribus ingerere nata sunt, legat (1). Proinde, etiam independenter ab omni lege positiva ecclesiastica, multa scripta hoc jure sunt prohibita sive omnibus, sive saltem quibusdam speciebus hominum, v. g. juvenibus.

Atvero, sola hæc lex divino-naturalis non sufficit ad pericula et nocumenta a fidelibus efficaciter removenda.

Quod lucide apparet ex sequenti dilemmate : fideles enim, vel libros pravos non cognoscunt, vel illos cognoscunt ; in utroque vero casu omnino necessaria est lex humana legem divino-naturalem applicans et determinans (2).

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI, p. 467.

(2) Cfr C. VAN COILLIE *Commentarius in constitutionem « Officiorum ac munerum » de prohibitione librorum*. Brugis, Desclée, 1899, p. 10. — A. DE MEESTER, *Compendium juris canonici*, t. III, p. 245.

Et revera, si libros non cognoscunt, ad efficaciter tutandos fideles necesse est ut interveniat auctoritas, quæ certas librorum noxiorum species, imo et singulos nominatim nocuos libros, quoad fieri potest, indicet ; alias, plerique nonnisi tardius experientia addiscerent periculum, postquam nocumentum jam subierunt.

Si vero libros cognoscunt, necesse est, ut præter legem naturalem, quæ vetat ne quis præsumat librum legere, quem sibi noxium fore perspexerit, adsit lex positiva, quæ dirimat quæstionem practicam, scilicet : an talis liber hic et nunc ipis revera noxius sit. Nam, *primo* plerique homines non forent capaces dijudicandi inter tot subtiles errores et perversiones, quidnam revera approbandum sit, quid vero damnandum, quid innocuum, quid nocivum ; *secundo* « nemo judex in propria causa » et ideo pro ingenita hominum proclivitate ad bene sentiendum de suo ingenio et virtute, multi facile existimarent nullum se incurrere periculum legendo librum, licet perversum, et quoad multos alios noxium ; multi putarent talia scripta sibi non nocitura, aliis forsan, utique,... sed non sibi ; *tertio*, sæpesæpius passiones humanæ, curiositas ac superbia inducerent homines ad parvipendendum hujusmodi periculum pravorum scriptorum (1).

Oportet igitur interveniat aliqua auctoritas, quæ de periculo præmoneat, librosque perniciosos prohibitione positiva, cui fideles in conscientia sese submittere tenentur, proscribat, ne quis ignarus, aut imprudens, aut temerarius, periculo ruinæ sese exponat.

II. — Et ideo, statuta hac necessitate legislationis posi-

---

(1) Cfr J. Salsmans, S. J. *De index en de kerkelijke boekenwetten.* Brussel, Standaardbibliotheek, 1921, p. 9. « Inwendig prikkelt de nieuwsgierigheid den mensch maar al te zeer tot persoonlijke kennisneming van het geheimzinnige, dat des te « pikanter » belooft te zijn naarmate het gevaarlijker is. Ook de zinnelijke drift hunkert en steigert, wanneer ze verborgen genot ruikt, terwijl eigendunk en hoovaardij den vermetele trachten wijs te maken dat hij « geen kind meer zijnde, daar tegen kan » enz.

tivæ, jam quærendum est *de potestate cujus sit jus et officium huic necessitati providendi.*

Cui alteri quæstioni satis fit distinguendo inter potestatem tum Ecclesiæ, tum status civilis, tum patrisfamilias. Ideoque triplici sub paragrapho responsum evolvitur. Et primo quidem de *potestate Ecclesiæ prohibendi libros* agimus, prius inquirendo de hac Ecclesiæ potestate *in genere*, dein de personis quibus hæc potestas *in specie* competit in Ecclesia. Inde :

1/ *De potestate Ecclesiæ prohibendi libros.*

a/ In genere : Statuitur hæc *propositio : Ecclesiæ a Christo constitutæ*, nempe præpositis qui in Ea habent potestatem magisterii et jurisdictionis, *primarie et principaliter competit jus et officium removendi a fidelibus pericula scriptorum pravorum.*

Hæc autem propositio duplici argumento fulcitur, uno deducto *ex munere a Christo Ecclesiæ commisso*, altero *ex antiquissima praxi et traditione Ecclesiæ.* Et ita :

α) Ut rite et efficaciter removeantur pericula, de quibus hic agitur, requiritur ut hoc munus primarie competat illis, qui ét bene *cognoscunt* illa pericula, ét efficaciter *possunt illa removere ;* jamvero *cognitio* illorum periculorum pertinet *per se* ad illos qui habent a Deo munus docendi omnia quæ credenda vel observanda sunt ad obtentionem ultimi finis, *prohibitio* vero primarie etiam ad illos spectat qui jus habent veras obligationes inducendi circa actiones quæ respiciunt ultimum finem ;

Atqui, Ecclesiæ a Christo institutæ, vel potius præpositis illius Ecclesiæ, commisit Deus munus docendi omnia quæ necessaria sunt ad salutem, et regendi homines in ordine ad obtentionem finis ultimi ;

Ergo jus et officium removendi pericula pravorum scriptorum competit primarie auctoritati Ecclesiæ a Christo institutæ.

Hæ autem variæ propositiones demonstrantur in tractatu *de Ecclesia*. At, pro ulteriori explicatione et

momento rei, juvat illas duplici consideratione explanare :

Ex una parte quidem, ut quis possit, sicut oportet seu competenter, judicare de periculo vel nocumento alicujus scripti oportet præprimis cognoscat quænam sint homini admittenda vel facienda ut salvus fiat : nam, eatenus periculosum et nocivum est scriptum, quatenus ex se avertit hominem a prosecutione finis ultimi ; igitur, munus dijudicandi scripta, — quod judicium præsupponitur ad ejus prohibitionem, — competit *per se* auctoritati cujus munus est *docere* quæ credenda vel admittenda sunt ;

Ex altera vero parte, ut efficax sit prohibitio scriptorum pravorum oportet imprimis procedat ab illis qui *jus* habent *imponendi veras obligationes* circa actiones quæ respiciunt ultimum finem : jamvero Ecclesia, a Christo instituta, seu præpositi in illa, accepit potestatem omnia jubendi vel prohibendi in ordine ad prosecutionem ultimi finis.

β) Quod ideo clare deducitur ex munere a Christo Ecclesiæ commisso, insuper ostenditur *ex antiquissima praxi et traditione Ecclesiæ :*

Enimvero, Ecclesiæ semper, inde ab initio, magna cura fuit et sollicitudo removendi tollendique libros et cætera quæ mores hominum depravare eosque a religione avocare possent : quod, inter alia, præclare demonstrant quamplurima gesta RR. Pontificum (1).

b/ In specie : Jus et officium libros ex justa causa prohibendi in Ecclesiæ in specie competit :

α) Primarie et principaliter *Romano Pontifici* vel *Concilio Oecumenico*. R. Pontifex autem solet libros prohibere per decreta C. S. Officii, quæ tutatur doctrinam fidei et morum (2), rarissime per litteras apostolicas. Talis vero

(1) Cfr A. De Meester, *o. c.*, p. 246. — Leo XIII, in sua constitutione « Officiorum ac munerum » in introductione quadam historica concinne refert quæ ab ecclesiastica auctoritate decursu sæculorum fuerunt præstita. Vide textum hujus constit. apud *Collat. Brugen.*, t. II (1897), p. 153.

(2) Cfr can. 247.

prohibitio valet pro universa Ecclesia, et libri a S. Sede prohibiti ubique locorum et in quodcumque idioma vertantur, prohibiti censeantur.

β) *Conciliis particularibus* et *locorum Ordinariis.* Hæc prohibitio ligat tantum subditos, non vero religiosos exemptos (1) ; ab illa autem datur recursus ad auctoritatem supremam, sed non in suspensivo, ita ut subditus appellans ad S. Sedem prohibitionem observare debeat donec res in suum favorem dirimatur. Porro proscribere valent ordinarii libros in aliena diœcesi editos, imo et approbatos, set in sua diœcesi diffusos.

γ) *Abbati* monasterii sui juris et *supremo* religionis clericalis exemptæ *moderatori* cum suo capitulo vel consilio pro suis subditis : et etiam, si periculum sit in mora, *aliis superioribus majoribus* cum proprio consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum moderatorem (c. 1395).

2/ *De potestate status civilis prohibendi libros.*

Ad determinandum quænam potestas competat statui seu principi civili circa librorum prohibitionem, distinguenda est postestas quam status seu princeps civilis habet qua mere talis, et ea quam habet quatenus Ecclesiæ defensor ac protector (2). Proinde :

a/ *Status* seu princeps civilis *quatalis* jus et officium habet prohibendi libros qui sunt societati civili noxios.

Ut vero hujus propositionis probatio instituatur, tamquam certum supponimus existere, præter Ecclesiam a Christo conditam, societatem civilem necessariam, a Deo constitutam, cujus finis proprius est consulere bono temporali hominum. Consequenter tunc dicimus, hæc societas, ex Dei voluntate, censenda est instructa omnibus juribus quæ ad proprium suum finem apte consequendum et attingendum necessaria sunt atque opportuna.

---

(1) Utrum peregrini teneantur his prohibitionibus particularibus cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, p. 155.

(2) Cfr Bouix, *De curia romana*, p. 427.

Repugnat enim Deum velle ut aliqua societas necessario determinatum finem prosequatur, et huic societati media ad id necessaria denegare. Quod certo esset si status non haberet jus et officium proscribendi libros qui sunt sibimetipsi noxios.

b/ Statui insuper, qua defensor ac protector Ecclesiæ, competit jus et officuim præstandi positivum adjumentum Ecclesiæ in proscriptione librorum fidei et moribus oppositorum. Etsi ad statum non spectet de religione pronuntiare, nec proinde libros de religione tractantes ex propria sua auctoritate prohibere, ad eum tamen pertinet sæcularis brachii auxilium Ecclesiæ proscriptionibus præstare, ut exsecutionem efficacius sortiantur.

3/ *De postestate patrumfamilias prohibendi libros.*

Indubium est patresfamilias gaudere potestate prohibendi libros, qui liberis suis detrimentum afferre possent. Hoc enim manifesto fluit ex potestate paterna, qua valent omnia facere quæ necessaria sunt ad procurandam bonam liberorum suorum educationem, omniaque removere quæ illis nociva evadere nata sunt.

Cum vero patresfamilias sua jura paterna educandi, informandi ac gubernandi aliis demandare possint, hujus potestatis paternæ, harumque adeo obligationum, servata proportione, participes sunt et heri respectu famulorum, et ludi-magistri, pædagogi respectu discipulorum (1).

J. Brys.

(1) Cfr Heymans, *De ecclesiastica librorum prohibitione.* Bruxellis, 1849, p. 334.

De methodo demonstrandi Ecclesiam

Haud una est mens doctorum de methodo, qua demonstrari debet vera Ecclesia Christi, uti statim apparet ex variis procemiis vel ex notionibus introductoriis, quæ in limine tractatus de Ecclesia apud varios auctores leguntur (1). In hac dissertatione exponere intendimus, quin omnes controversias ingrediamur, quomodo hæc demonstratio melius proponi posse videatur; quomodo se habeat ad theologiam et inde quonam nomine aptius appellari queat.

Ponitur vero problema de Ecclesia Christi, adhuc hodierna die, sicut positum est a momento promulgationis Ecclesiæ in ipsa die Pentecostes (2), quando

(1) Cfr B. Jungmann, *Tract. de vera religione*, Ratisbonæ, 1874; F. M. de Brouwer, *Tract. de Ecclesia Christi*, Brugis, 1881; C. Mazzella, s. j., *De religione et Ecclesia*, Romæ, 1885[3]; J. B. Franzelin, s. j., *Theses de Ecclesia Christi*, Romæ, 1887; G. Wilmers, s. j., *De religione revelata* et *de Ecclesia Christi*, 2 vol., Ratisbonæ, 1897; D. Palmieri, s. j., *Tract. de R. P. cum proleg. de Ecclesia*, Romæ, 1902[3]; L. Billot, s. j., *Tract. de Ecclesia Christi*, Romæ, 1903[2]; J. V. De Groot, o. p., *Summa apologetica de Ecclesia catholica*, Ratisbonæ, 1906[3]; S. Schiffini, s. j., *De vera religione seu de Ecclesia Christi*, Senis, 1908; Van Noort-Rengs, *Tract. de vera religione*, Amstelodami, 1917[3]; Van Noort; *Tract. de Ecclesia Christi*, Amstelodami, 1913[3]; Chr. Pesch, s. j., *Institutiones propædeuticæ ad s. theologiam*, Frib. Br., 1915[5]; M. d'Herbigny, s. j., *Theologica de Ecclesia*, I. De Deo evocante universos ad sui regni vitam seu de institutione Ecclesiæ primæva, Parisiis, 1920[2]; J. V. Bainvel, *De vera religione et apologetica*, Parisiis, 1914; id., *De Ecclesia Christi*, Parisiis, 1925; Garrigou-Lagrange, o. p., *Theologia fundamentalis secundum s. Thomæ doctrinam*, I-II, Romæ-Parisiis, 1918-1922; id., *De revelatione per Ecclesiam cath. proposita*, Parisiis, 1926; H. Dieckmann, s. j., *De Ecclesia*, I-II, Frib. Br., 1925; R. M. Schultes, o. p., *De Ecclesia catholica. Prælectiones apologeticæ*, Parisiis, 1926.

(2) Quod revelationem attinet factam immediatis Christi auditoribus, cfr ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 72 s., apud *Collat. Brugen.*, II (1897), p. 497 s.

s. Petrus proclamavit necessitatem pœnitentiæ et baptismatis « in nomine Jesu Christi » (1), quoniam, uti paucis diebus postea confessus est coram principibus et senioribus et sacerdotibus Israël : « Non est in alio aliquo salus... Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (2).

Et revera, existit etiamnum societas quædam visibilis proprie dicta, auctoritate instructa, tum hierarchica tum monarchica, quæ vocatur Ecclesia romano-catholica. Hæc affirmat se divinitus esse institutam ut doctrinam desuper traditam seu a Deo, imprimis per Christum revelatam (3), incorruptam semper et intemeratam custodiat, atque eamdem cum omnibus hominibus cujusvis gentis, aut loci, aut temporis communicet ; vindicat itaque sibimet indefectibilitatem et infallibitatem, atque simul ac docet homines ad finem supernaturalem destinari, cujus finis obtinendi media dicit se habere, sub pœna damnationis æternæ necessitatem hanc societatem ingrediendi proponit (4).

Unde jam sequitur quemlibet hominem qui naturali ratione novit Deum esse (5) et providentia sua regere universa ; qui pariter novit obligationem quam habet, siquidem est a Deo, ut Deum agnoscat et cultum exhibeat

---

(1) *Act. Apost.*, II, 38.

(2) *Ibidem.*, IV, 12.

(3) Cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o.* et *l. c.*, n. 71, p. 497 : « Hac [revelatione per Christum] probata divinis signis, antecedentes omnes publicæ revelationes vere divinæ [scil. primæva et mosaica ; cfr *Collat. Brugen.*, XXII (1922), p. 466] ut tales comprobantur, propter nexum intimum has inter et illam : omnia enim inde ab exordio mundi ad promissum Redemptorem vergunt, omnisque revelatio publica in Christo et per Christum, ... merito debebat compleri, uti reipsa completa est » ; lege *Hebr.*, I, 1 s.

(4) Quod breviter enuntiatur per axioma : « Extra Ecclesiam nulla salus », de quo axiomate vide *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 139 s.

(5) Hæc itaque ex philosophia, nimirum ex theodicæa, probata supponuntur ; de demonstratione existentiæ Dei et ejus cognoscibilitate ante omnem revelationem, vide VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 45 s., p. 48 s., Brugis, 1917.

ipsi debitum, secundum modum quem Deus voluerit, ubi primum noverit Ecclesiam esse, statim debere indagare de divina Ecclesiæ institutione ut eamdem ingrediatur et ad æternam salutem suam perveniat (1). Qui vero membra hujus societatis per baptismum in nomine Jesu Christi jam existunt, de eadem divina missione Ecclesiæ requirere possunt (2), ut rationabile obsequium præbere queant (3).

* * *

Hæc porro demonstratio divinæ missionis et institutionis Ecclesiæ duplici via confici potest (4).

---

(1) Quæstio hîc poni potest, connexa cum rite explicato axiomate, de quo statim, nimirum de iis qui *bona fide* versantur extra Ecclesiam, aut etiam de eadem non inquirunt.

(2) Dicitur *possunt* et adverte doctrinam quam statuit *Conc. vatic.*, œcum. XX, sess. III (a. 1870), *Const. de fide cath.*, can. 8 de fide : « Si quis dixerit parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint : a. s. » (*Enchir.*, n. 1815 coll. n. 1794).

(3) Cfr *Conc. vatic.*, *l. c.*, cap. 3 (*Enchir.*, n. 1790). Idem jam clare docuit Pius IX, in encyc. « *Qui pluribus* », 9 nov. 1846, de fide et ratione contra Hermesianos : « Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac eidem quemadmodum sapientissime docet Apostolus *rationabile obsequium* [*Rom.*, XII, 1] exhibeat » (*Enchir.*, n. 1637) ; cfr etiam prop., præsertim 4 et 5, a L. E. Bautain (a. 1840) subscriptas (*Enchir.*, n. 1625-1626) ; in nota ad hasce propositiones vide quid idem auctor subscribendo promittere debuerit, in specie quarto : « De ne jamais enseigner... que la raison ne puisse acquérir une vraie et pleine certitude des motifs de crédibilité, c.-à-d. de ces motifs qui rendent la révélation divine évidemment croyable, tels que sont spécialement les miracles et les prophéties, et particulièrement la résurrection de Jésus-Christ » (*Enchir.*, 1921[13], p. 434]. Ita rursus decretum S. C. Indicis, a. 1855, contra falsum traditionalismum A. Bonnetty (*Enchir.*, n. 1650) et vide prop. modernisticas, præsertim 25, 28, 36, damnatas per decretum s. Officii, « Lamentabili », 3 julii 1907, apud *Enchir.*, n. 2025, 2028 et 2036.

(4) Cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. et l. c.*, n. 75 s., p. 501 s.

Prima via quæ a quibusdam *empirica* vocatur, hisce verbis a concilio vaticano paucis describitur: « Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile » (1).

Hæc via, uti videtur, ad illam fere omnino redit, quam dicunt *ex notis Ecclesiæ*, ex proprietatibus scilicet Ecclesiæ distinctivis, quas in symbolo nicæno-constantinopolitano confitemur, ubi dicimus Ecclesiam esse « unam, sanctam, catholicam et apostolicam » (2).

Altera via est, quæ merito nuncupatur *historica*, quæque reapse duplicem complectitur demonstrationem, *christianam* scilicet et *catholicam*.

Supponitur autem hic proxime (3), siquidem demonstratio tota nititur documentis historicis, eorum omnium auctoritatem prorsus in tuto fuisse repositam, adeoque ante demonstrationem ipsam christianam et catholicam, probare necesse est, pro ipsa Scriptura sacra, cujus inspi-

---

(1) *Conc. vatic., l. c.*, apud *Enchir.*, n. 1794.

(2) Hanc viam secuti sunt, ut notum, P. Lacordaire in conferentiis suis et Card. Deschamps, archiep. mechlin., in variis operibus, præsertim *Entretien sur la démonstration cath. de la révélation chrétienne*, 1857; *La question religieuse résolue par les faits ou de la certitude en matière de religion*, 1860; *Lettres phil. et théol. sur la démonstration de la foi*, 1861 (in ed. *Œuvres complètes*, Malines, 1874, t. I, III-IV, XVI). — H. Dieckmann, *o. c.*, I, n, 574, p. 496, distinguit viam notarum, quam vocat historico-illativam, a via descripta in concilio vaticano, quam empiricam nominat; plerique auctores, et merito quidem, non nisi duplicem viam agnoscunt.

(3) Cur dicatur *proxime*, satis apparet; *remote* supponuntur multæ aliæ veritates præsertim philosophicæ, utputa de ipsa certitudine, de existentia Dei, de cultu Deo debito etc., sed hæc manifeste non debent ingredi demonstrationem; intelligitur autem cur quædam saltem earum quæstionum cum ipsa hac demonstratione christiana et catholica consertæ fuerint, ex scopo nimirum apologetico, id est *fidei defensivo*, uti postea adhuc notabimus.

ratio, quam per Ecclesiam certo novimus, considerari nondum debet, imprimis ejus authentiam quam dicunt humanam et veracitatem hagiographorum (1).

Deinde proprie incipit *demonstratio christiana*, quæ sic nominatur quia præprimis ipsum Christum respicit. In ea conficitur *Christum*, qui, inde a grassante modernismo, insistendo dicitur historicus (2), fuisse revera *a Deo missum* (3), ut doceret homines omnem veritatem, tum theoreticam seu credendam, tum practicam seu vita et moribus profitendam. Probavit autem ipse Christus suam divinam legationem miraculis suis atque prophetiis, præsertim sua resurrectione, quam etiam prænuntiavit. Confirmatur vero hæc prima demonstratio admirabili vita morali Christi ; confirmari potest etiam sublimi præstantia doctrinæ Christi, quæ paucis hic sæpius indigitatur et satis alioquin nota supponi potest (4).

Sequitur *demonstratio catholica*, hoc nomine appellata quoniam speciatim Ecclesiam catholicam spectat. In ea probatur eumdem *Christum* historicum, legatum divinum, *per se ipsum instituisse aliquam societatem proprie dictam* et visibilem, quam voluit semper durare, ut cum hominibus omnium temporum ubique terrarum doctrinam suam communicaret. Huic societati dedit ipse *organisationem hierarchicam et monarchicam*, seu debita eamdem munivit auctoritate ; *finem* ipsi præstituit omnino *supernaturalem* hac in terra procurandum,

---

(1) Nunc sæpius quæstiones de *authentia humana* Scripturæ sacræ et de *valore historico* traditionis oralis tractantur in introductione ad sacram Scripturam et in tractatu de traditione orali.

(2) Cfr encyc. « *Pascendi* » 7 sept. 1907 (*Enchir.*, n. 2096) coll. prop. 29 in decreto « Lamentabili », apud *Enchir.*, n. 2029.

(3) Ad argumentum stricte sufficit ut divina legatio Christi probetur, sed potest et facillime ejus divinitas demonstrari hac methodo; cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o.* et *l. c.*, n. 76, p. 502. Divinitas Christi probari potest etiam ex revelatione in tractatu theologico de Verbo incarnato.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, XIX (1914-1919), p. 502 s., ubi probatur argumentum ex pulchritudine doctrinæ christianæ esse mere probabile pro divina ejus origine.

sanctificationem nimirum humani generis, quod ita per exercitium integrum religionis christianæ ad salutem æternam pervenire debet (1).

Hæc autem societas a Christo condita, quæ solemniter in die Pentecostes fuit promulgata, *existit in se distincta a synagoga tempore apostolorum*, qui sæpius ad institutionem immediatam ipsius Christi aperte provocant. *Existit hucusque incorrupta*, adeo ut cœtus episcoporum vere excipiat locum et auctoritatem collegii apostolorum et episcopi romani, qui romani pontifices dicuntur, vere excipiant auctoritatem monarchicam, seu primatum jurisdictionis proprii nominis, plenum, supremum et immediatum in universam Ecclesiam, quem primatum Petrus, non successor sed vicarius Christi, jam habuit et exercuit. Nunc igitur *esse cum Petro* est *esse cum Christo ;* qui illum audiunt, hunc audiunt (2) ; qui illum sequuntur, hunc sequuntur et ad ovile pertinent Christi, qui etiamnunc « proprias oves vocat nominatim et educit eas. Et... ante eas vadit... ut vitam habeant, et abundantius habeant » (3).

Postea in eadem demonstratione catholica dicitur de proprietatibus, quæ huic societati competunt, ex institu-

---

(1) Finis Ecclesiæ *proximus* et peculiaris est sanctificatio supernaturalis hominum, quæ per exercitium integrum religionis christianæ obtinet. Ad hoc exercitium porro pertinent prædicatio et professio doctrinæ Christi, celebratio rituum christianorum imprimis sacrificii et sacramentorum, institutio hominum ad mores christianos et ratio vivendi juxta normam hujus disciplinæ composita. Sanctificatio vero ordinatur ad beatitudinem in altera vita acquirendam, quæ salus æterna est finis itaque *remotior* Ecclesiæ.

(2) *Lc.*, x, 16: « Qui vos audit, me audit ».

(3) *Jo.*, x, 3, 4 et 10. — Ita constat igitur non tantum *hæreticos*, uti protestantes qui dicuntur orthodoxi et negant Ecclesiam *visibilem*, aut protestantes qui nominantur liberales et volunt regnum Dei esse *mere internum*, aut tandem modernistas qui idem regnum Dei dicunt *mere eschatologicum*, sed adhuc *schismaticos*, qui obedientiam R. P. recusant, ad ovile Christi non pertinere; cfr *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 114 s.

tione adhuc ipsius Christi. Nimirum Christus Ecclesiam suam non tantum voluit esse *visibilem* et *indefectibilem*, quod in præcedentibus satis probatum est, sed eamdem insuper instituit *infallibilem*, adeo ut homines cujusvis ætatis et loci possent semper et ubique novisse quænam sit genuina doctrina Christi, utpote nixi super auctoritate Dei, qui magisterium ecclesiasticum ab omni errore etiam possibili, in definienda doctrina Christi de fide et de moribus, immune conservat (1). Tandem Christus Ecclesiam suam voluit esse *unam* (2), *sanctam*, *catholicam* et *apostolicam*, quæ proprietates in ipsa demonstratione Ecclesiæ saltem indigitantur, sed nunc ex professo proponuntur et vindicantur.

Jam vero sic absolvitur tota demonstratio, qua potest unusquisque homo bonæ voluntatis (3) sibimet probare *quam rationabile sit amplecti religionem Christi* et ingredi ejus ovile aut in eodem perseverare ; atque hæc demonstratio, sive fiat per viam breviorem empiricam, sive fiat per viam longiorem historicam, debet esse scientifica quædam lucubratio (4) de præambulis rationabilis adhæsionis ad veram religionem, quæ est religio a

---

(1) Hæc est infallibilitas Ecclesiæ *docentis*, quæ quandoque vocatur *activa* et a qua pendet infallibilitas Ecclesiæ *discentis*, quæ tunc *passiva* nominatur.

(2) Unam scilicet *numero* et simul *in se indivisam* ; ut proprietas porro consideratur præcipue indivisio.

(3) Rem *objective* spectantes non ingredimur quæstionem *de subjectivis dispositionibus* requisitis, quæ potius respiciunt *artem* apologeticam, de qua vide *Collat. Brugen.*, XIII (1908), p. 48 s. — Prætermittimus pariter problema de necessaria cooperatione cum gratia supernaturali ad hoc ut aliquis, qui judicia credibilitatis et credentitatis fidei rationabili prærequisita formaverit, postea mediante actu liberæ voluntatis, ipsum actum fidei supernaturalis eliciat, qua fide propter solam auctoritatem Dei revelantis tunc ipsam revelationem credat ; cfr *Conc. vatic.*, *l. c.*, apud *Enchir.*, n. 1791 ; hîc etiam considerari debet *methodus* quæ dicitur *immanentiæ*, damnata in encyc. « Pascendi », de qua methodo lege *Collat. Brugen.*, XVIII (1913), p. 619 s. et XIX (1914-1919), p. 236 s.

(4) Dicitur scientia *objective* spectata, uti latius explicatur apud *Collat. Brugen.*, XIII (1908), p. 44.

Christo prædicata et Ecclesiæ infallibili commissa (1).

* * *

Ex præmissis jam satis apparet hanc scientiam de præambulis fidei (2), *non esse scientiam theologicam;* hæc enim technice definiri debet: scientia de Deo rebusque divinis quæ in revelatione nititur (3). Jam autem in tota demonstratione, cujus summa lineamenta in præcedentibus indicavimus, nullatenus nitimur revelationi, sed factis et documentis historicis; et si in altera via depromimus argumenta ex ipsa Scriptura sacra, eamdem abstrahendo prorsus a facto inspirationis, tantummodo uti fontem historicum fide dignum consideramus; similiter monumenta traditionis oralis, nullatenus secundum valorem dogmaticum, sed unice secundum valorem historicum spectamus (4).

Unde a fortiori liquet eamdem scientiam dici *non* debere theologiam *dogmaticam generalem* aut etiam

---

(1) Hæc scientia est itaque *specialis* et habet objectum suum *proprium*, uti dicimus infra p. 59.

(2) Dicitur *de præambulis fidei*, nam *vera* religio est religio *revelata*, cui revelationi *fide* credimus, sed adverte hîc dicta modo, p. 56, n. 3.

(3) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 1, a. 1; ad 2 notatur: « Unde theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia quæ pars philosophiæ ponitur », scilicet theodicæa, quæ quandoque theologia naturalis appellatur; cfr A. Gardeil, o. p., *Le donné révélé et la théologie*, Paris, 1910, p. 196 s.

(4) Quæstio hæc de distinctione ipsius demonstrationis credibilitatis a scientia proprie theologica multum disputata fuit hisce ultimis temporibus; cfr in primis A. Gardeil, o. p., *La crédibilité et l'Apologétique*, Paris, 1912², p. 208 ss. (prima ed. a. 1908); W. Koch, *Zur Methode der Apologetik*, apud period. *Theol. Quartalschrift*, XCIX (1909), p. 574 s.; J. F. De Groot, *Nieuwe richtingen in de Apologetiek*, apud period. *Studiën*, LXII (1909), p. 259 s. et p. 555 s.; A. de Poulpiquet, o. p., *L'objet intégral de l'Apologétique*, Paris, 1912, p. 499 s.; id., in recensione operis P. Gardeil, apud period. *Revue des sciences philos. et théol.*, VI (1912), p. 798 s.; Garrigou-Lagrange, *L'Apologétique et la théologie fondamentale*, apud idem periodicum, IX (1920), p. 352; vide etiam auctores initio citatos et art. sequentes: X. M. Le Bachelet, s. j., *Apologétique, Apologie*, apud *Dict. Apol. de la foi cath.*, I, c. 190 s.; L. Maisonneuve, *Apologétique*, apud *Dict. de théol. cath.*, I, 1, c. 1511 s.; A. Michel, [Théologie] *fondamentale ou générale*, apud *Dict. de théol. cath.*, XVI, 1, c. 514 s.; id., *L'apologétique et la théologie*, apud period. *Revue du clergé français*, XCVIII (1919), p. 320 s.

fundamentalem ; ceteroquin stricte loquendo veritatibus, quas statuit non innituntur tanquam fundamentis veritates quas spectat theologia, sed illæ sunt mere præambula ad rationabilem fidem (1) ; hæ vero nituntur revelationi, quam certo novimus utique per Ecclesiam, regulam fidei proximam et vivam (2).

Sæpius hæc scientia vocatur *apologetica*, et intelligitur *fidei defensiva*, quod historice bene explicatur eo quod tractatus de Christo legato et de Ecclesia, prout nunc existunt separati ab aliis tractatibus, hac via, fidem scilicet defendendo, nati sunt (3). Intelligitur alioquin hæc appellatio adhuc ex eo quod veritates, quas statuit scientia de præambulis fidei, revera maximum momentum habent in ordine ad veram religionem defendendam (4). Attamen

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XIII (1908), p. 45. — Le Bachelet, *a. c.*, p. 246, bene observat tractatum de fontibus revelationis (cfr *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 36, n. 2), qui sæpius cum demonstratione christiana et catholica reponitur in una theologia fundamentali, esse vere theologicum, non ita hanc demonstrationem ; attamen minus recte notat eamdem demonstrationem de Ecclesia posse considerari tanquam *fundamentum* quoddam theologiæ *extrinsecum*, « comme serait un support qui remplirait ce rôle sans appartenir proprement à l'édifice soutenu » ; ita etiam A. Michel, *a. c.*, VI, 1, c. 523 : « C'est une théologie « fondamentale » extrinsèquement et « générale » dans un sens matériel et imparfait » ; id. ita rursus in *a. c.*, apud *Revue du Clergé français*, CXVIII, p. 320. Minus autem intelligitur quid sit fundamentum extrinsecum quod non pertinet ad ædificium et, ni fallimur, talia debent potius confusionem gignere.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 187 s.

(3) Cfr Le Bachelet, *a. c.*, apud *Dict. Apol.*, I, c. 191 s., præsertim c. 220 s.

(4) Ideo in omnibus libris apologeticis istæ quæstiones de Christo et de Ecclesia præcipuum tenent locum, et merito quidem, sed non sunt eæ quæstionas solæ defendendæ, atque si vellet aliquis *completam* habere *apologeticam*, *fidei* scil. *defensivam*, considerare deberet primo multas veritates philosophicas, remote suppositas, uti jam diximus, quales sunt de certitudine, de existentia Dei, de cultu debito, etc. ; deinde alias quæstiones potius criticas de authentia humana Scripturæ et de valore historico traditionis oralis ; postea demonstrationem christianam et catholicam, cum multis disputationibus, quæ nunc in tractatu quodam theologico de Ecclesia (de quo vide infra) agitari debent, v. g. de membris Ecclesiæ, de auctoritate episcoporum, de infallibilitate romani pontificis, etc. ; adhuc quæ spectant ipsos fontes

non defendit hæc scientia omnes veritates fidei nec imo eas, quas statuit, uti revelatas considerat ; præsertim, quod jam satis diximus, finis ejus primarius non est tam defendere religionem et Ecclesiam Christi, quam potius ostendere quam rationabile sit eamdem amplecti, adeoque etiam qua scientia viam parare ad aliam scientiam altiorem, theologicam videlicet, cujus principia sunt veritates revelatæ, et hoc quidem demonstrando divinitatem Ecclesiæ Christi, qua revelationem cum certitudine omnimoda recipimus (1).

Hac ratione igitur considerata, vocari potest *scientia propædeutica ad theologiam*, et reapse medium locum obtinet inter scientias humanas quascumque, inclusa philosophia, quæ omnes nituntur rationi naturali, et scientiam theologicam, scientiam divinam, quæ revelationi nititur. Licet enim ipsa nitatur pariter rationi et argumentis historicis, nihilominus ad theologiam ordinatur ex scopo suo (2), itaque proprium suum habet objectum, quod est statuere præambula rationabilis adhæsionis ad veram

---

revelationis, uti inspirationem ; tandem singulas fere veritates revelatas de Deo, de incarnatione, redemptione etc., quæ omnes impugnari possunt. Unde facile intelligitur talem apologeticam completam vix esse practice possibilem, et reapse libri plerique apologetici non nisi quædam defendunt problemata magis impetita; sæpius adhuc, quod historice rursus intelligitur, latius evolvunt quæstiones nunc jam antiquatas, v. g. eas natas cum philosophismo sæculi XVIII jam mortuo, et alias ignorant omnino modernas, ut puta quæ spectant existentiam historicam ipsius Christi.

(1) Hîc recole quæ de Ecclesia *regula fidei* dicuntur apud *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 187 s.

(2) A. Gardeil, *Le donné révélé et la théologie*, p. 206, non tantum recusat hanc scientiam vocari theologiam fundamentalem, quod jure omnino, sed nequidem eam vult appellari propædeuticam ad theologiam, ne hujusce scientiæ theologicæ dignitas minuatur ; hoc minus intelligitur, nisi quis audiat introductionem *theologicam* ad theologiam, quod merito rejici debet, sed hoc non continetur in ipsa formula qua dicitur hæc scientia propædeutica ad theologiam. Verum tamen est quosdam auctores (cfr Garrigou-Lagrange, *a. c.*, apud *Revue des sciences phil. et théol.*, IX (1920), p. 352 s.) ex hac ordinatione ad theologiam arguere ut ipsam scientiam de præambulis ad veram religionem tanquam scientiam theologicam habeant.

religionem, religionem scilicet a Christo revelatam et Ecclesiæ catholicæ commissam.

* * *

Ex præmissis etiam sequitur, *pro varia methodo*, qua demonstratio hæc perficitur, aut via empirica, per notas Ecclesiæ nunc existentis, aut via historica, per documenta scilicet antiqua et recentiora, incipiendo ab existentia Christi historici ejusque divina legatione, cum institutione Ecclesiæ ab ipso Christo et conservatione ejusdem societatis usque ad hodiernam diem, *varia problemata pariter ad theologiam proprie dictam* esse demandanda.

Si via procedatur *empirica*, probata divina missione Ecclesiæ infallibilis, manent multa demonstranda et explicanda, non tantum de ipsa Ecclesia, cujus institutionem, organisationem etc. in hac via nullatenus comperimus, sed adhuc de conditore Ecclesiæ, de Christo, cujus ipsa missio divina tunc in tractatu theologico de Verbo incarnato probari posset ; priores vero quæstiones de ipsa Ecclesia, quomodo scilicet instituta fuerit, quænam sit ejus ordinatio et constitutio, quænam ejus proprietates etc., tunc efformarent tractatum theologicum de Ecclesia, qui locum suum bene obtineret post tractatum de Deo Redemptore, quippe quum uti dicit concilium vaticanum, ideo « pastor æternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit » (1).

Si via procedatur *historica*, manent adhuc multa problemata theologice tractanda, quæ naturam Ecclesiæ spectant, utputa quinam constituantur et quomodo permaneant homines membra Ecclesiæ ; quænam sit auctoritas episcoporum et quomodo se habeat ad primatum ; quinam sit nexus inter primatum et sedem romanam ; quænam sit infallibilitas romani pontificis etc. Omnes hæ quæstiones itaque efformant rursus tractatum theologicum de Ecclesia et Romano Pontifice, breviorem uti-

(1) *Conc. vatic.*, œcum. XX, sess. IV (a. 1870), *Const. dogm. de Ecclesia Christi*, apud *Enchir.*, n. 1821.

que (1), qui eadem ratione ac in priori suppositione post tractatum de Verbo incarnato reponi posset. Sæpius autem nunc ad ipsum tractatum propædeuticum adjungitur, et merito quidem, propter intimiorem nexum inter utrumque tractatum, qui satis apparet ; adhuc quia multæ veritates, quæ in propædeutica proponuntur, in theologia tamquam revelatæ, aut etiam ab Ecclesia definitæ, considerari possunt (2).

* * *

Quædam denique addere juvat primo de aliis quæstionibus quibusdam, quæ quandoque in tractatibus de Ecclesia agitantur ; deinde de relatione mutua utriusque methodi in demonstratione Ecclesiæ, unde melius adhuc apparebit quid hæc demonstratio præstare debeat, et quanam ratione apte apologetica dici queat.

1/ Apud multos auctores qui demonstrationem Ecclesiæ *historice* tractant, *a/* ad ipsam demonstrationem christianam, quæ dici itaque potest *tractatus de Christo legato*, præmittuntur variæ quæstiones, præprimis de possibilitate, necessitate et cognoscibilitate revelationis ex miraculis et prophetiis ; haud raro adhuc problemata magis generalia, ut puta de fundamento objectivo et de obligatione religionis in genere consideratæ, necnon de necessaria unitate veræ religionis, quæ unum verum Deum agnoscere debet.

Observare liceat hasce disputationes prævias, quandoque fusiores, quamquam valde utiles, nihilominus ad

(1) Omnes enim quæstiones de Christo necnon de ipsa fundatione et conservatione Ecclesiæ, quæ cum priore methodo rem tractandi, demandantur ad theologiam, nunc cum altera methodo referuntur ad demonstrationem christianam et catholicam ex documentis historicis.

(2) Adverte sedulo non dari circulum vitiosum : posita demonstratione divinitatis Ecclesiæ infallibilis, quæ primo docet Scripturam esse sacram et Deum habere auctorem, jam novimus ea, quæ demonstravimus hucusque ex Scriptura, considerata qua fonte historico, esse reapse a Deo dicta seu revelata ; aliis verbis demonstrando Ecclesiam historice, *præscindimus* ab inspiratione divina, sed quamquam *non consideravimus* Scripturam uti sacram, *est* nihilominus *sacra* et verbum Dei scriptum.

demonstrationem ipsam non esse omnino necessarias. Aut enim quædam jam in philosophia probata et explicata solum in memoriam revocantur (1), aut alia quædam in theologia rursus proponenda nunc jam præoccupantur. In specie quod possibilitatem revelationis attinet, explicandum videtur per originem historicam hujusce tractatus, quam supra diximus, hanc quæstionem hoc loco fuisse insertam. Et revera tota demonstratio huc redit ut conficiatur nihil obstare, neque a parte Dei, neque a parte hominis, quominus revelatio fiat, etiam mysteriorum : propositiones statuuntur intuitu difficultatis solvendæ, ut appareat nos *non videre* nec videre posse aliquam *impossibilitatem* aut contradictionem (2) ; reapse vero *possibilitas positiva*, v. gr. revelationis, probatur *facto* divinæ revelationis valide demonstrato, atque facile tunc evanescunt vanæ difficultates, si quandoque ab incredulis et rationalistis opponantur.

b/ In altera demonstratione, catholica videlicet, post disputationem de proprietatibus Ecclesiæ, sæpius dicitur de iisdem proprietatibus ceu notis, id est tanquam signis Ecclesiæ veræ distinctivis.

Jam autem, si hæc demonstratio catholica rite peracta fuerit, habemus jam Ecclesiam *romano-catholicam*, eamque *solam* esse *veram* Ecclesiam Christi Dicitur autem *romana*, non eatenus quatenus restricta ad regionem romanam aut

---

(1) Ita v. g. quæ spectant cultum Deo debitum etc. Intelligitur porro hæc quandoque cum hisce quæstionibus connecti, quia in curriculo studiorum in seminariis ex professo nondum fuerunt demonstrata.

(2) Uti videre est in quolibet libro manuali, demonstratio quæ dicitur v. g. de possibilitate revelationis huc redit, ut probetur adversarios immerito contendere eam *esse impossibilem;* argumenta vero, quæ plerumque afferuntur, non demonstrant rem *esse possibilem*, sed potius efficiunt *non demonstrari* rem esse *impossibilem;* jam enim, uti observavimus tractantes de mysterio *(Collat. Brugen.*, XXII (1922), p. 487 s., *non videmus*, nec videre possumus; *non probamus*, nec probare possumus ratione rem esse impossibilem, sed nec probamus ratione aut probare possumus eamdem esse possibilem seu, quod idem est, eam *non esse* impossibilem.

ad quasdam nationes sub obedientia romana positas, uti quidam voluerunt (1), sed hac de causa quia caput Ecclesiæ visibile est episcopus romanus. Dicitur *catholica*, quia universalis de jure et de facto, seu quoniam omnes gentes ubique terrarum complecti debet et complectitur, quia ubique terrarum semper prædicari debet et prædicatur (2).

Unde sat obvium videtur argumentum quod addere possumus, adnectendo nimirum ipsam demonstrationem empiricam ad historicam, non esse nisi argumentum confirmativum, siquidem res historice probata jam solide consistit. Hanc porro animadversionem paucis evolvere juvat, ut nexum inter utramque viam seu methodum pressius definiamus.

2/ Et enim si quis demonstrationem Ecclesiæ priori via, ex notis scilicet, absolverit, prorsus supervacaneum erit ad hanc demonstrationem præmittere disputationem de Christo, ad divinam ipsius legationem probandam. Per hanc demonstrationem empiricam enim constat omnino de *vera religione* reperienda in Ecclesia romano-catholica, quæ, uti dicit concilium vaticanum, « veluti signum levatum in nationibus, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur » (3). Igitur, uti jam diximus, quod spectat Christum, non tantum ejus divinitas, sed et ipsa existentia ejus historica et adhuc divina ejus legatio, ad theologiam, cum reliquis quæstionibus de Ecclesia, demandari possunt.

Si quis vero altera via, nempe historica, arguere eligat, rite peracta demonstratione christiana simul et catholica, jam æque patescit denuo *veram religionem*, quæ est

---

(1) Iidem volebant *unam* Ecclesiam Christi complecti ecclesiam *romano*-catholicam et *anglicano*-catholicam et adhuc *græco*-catholicam.

(2) Hæc evolvuntur in tractatu de Ecclesia, ubi dicitur de proprietate catholicitatis, quæ est *juris* seu destinationis et *facti* simul.

(3) *Conc. vatic.*, sess. III, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 3 (*Enchir.*, n. 1794).

religio Christi apud Ecclesiam romano-catholicam requirendam esse, quare ex notis ne quidem contra sectas, quæ dicuntur christianæ, disputari debet (1).

***

Hisce rite intellectis, jam clarum videtur *demonstrationem Ecclesiæ*, sive fiat per priorem viam breviorem, sive fiat per longiorem viam historicam in qua habemus tractatum *de Christo legato*, et tractatum qui, proprio nomine distinctivo in hac via, dici potest *de Ecclesia*, esse revera *demonstrationem veræ religionis*, seu demonstrationem *religionis revelatæ* per Christum.

Dici potest etiam tractatus *de vera religione*, quod bene tamen accipiendum. Non dicitur tractatus de vera religione quasi totum contentum hujusce religionis revelatæ exponeret ; quid enim contineat hæc vera religio a Christo revelata, per totam theologiam, dogmaticam et moralem, proponitur. Dicitur nihilominus merito demonstratio veræ religionis, etiamsi quis solam demonstrationem ex notis evolveret, quia sic adhuc proponitur veram dari religionem, revelatam scilicet, et simul indicatur, ubinam hanc veram religionem, quam Deus vult omnes homines amplectantur, requiramus oportet.

Ita rursus constat,quod insistendo in fine adhuc observamus, hunc tractatum non esse theologicum, neque etiam apologeticum, si apologeticam audiamus, uti fert nunc communis usus, *defensionem* fidei. Et revera si nullus esset adversarius religionis Christi, quam Ecclesia proponit, imo si omnes omnino homines essent ferventes discipuli Christi, adhuc deberent christicolæ posse rationem reddere fidei et spei suæ, uti dicit s. Petrus : « Parati semper ad satisfactionem (πρὸς ἀπολογίαν) omni poscenti vos rationem de ea » (2).

---

(1) Dicitur *debet*, quia quandoque tale argumentum confirmativum non sine utilitate additur; sed tunc adhuc, ne confusio suboriatur, insistendo notare juvat argumentum historicum esse ex sese validum: ubi Petrus, ibi Christus, ibi Ecclesia Christi.

(2) *I Petr.*, III, 15.

Si quis ergo *apologeticam*, secundum sensum etiam nativum vocis, audiat potius *justificationem*, quam et nobismetipsis præstare possumus, adhuc ubi nullus adversarius fidem nostram impetit, sic demonstrationem veræ religionis merito vocare poterit *apologeticam* (1), quæ jure adeo simul atque melius definitur : scientia de præambulis rationabilis adhæsionis ad veram religionem (2).

H. LAMIROY.

(1) Flandrice *geloofsverrechtvaardiging* (justificatio fidei, non autem *geloofsverdediging* (defensio fidei); debemus uti dicit s. PETRUS, *l. c.*, posse rationem reddere, satisfactionem et justificationem dare fidei nostræ [flandr. *verantwoorden*], cuilibet poscenti rationem (τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον) et nobismetipsis, ut rationabile sit obsequium nostrum.

(2) Adverte adhuc sic nondum dari fidem, præsertim supernaturalem, uti latius in tractatu theologico de fide explicatur ; quædam vero quæ spectant cooperationem hominis cum gratia supernaturali, ut ad fidem perveniat, in tractatu theologico de gratia proponi debent.

Acta SS. Congr. et Trib.

E Suprema S. Congr. S. Officii

DECRETUM

DAMNANTUR QUÆDAM OPERA CAROLI MAURRAS ET EPHEMERIDES « L'ACTION FRANÇAISE » (1).

Die 29 Ianuarii 1914 et die 29 Decembris 1926

Cum nonnulli postulaverint ut de mente atque concilio huius Apostolicæ Sedis ac præsertim f. r. Pii Pp. X quoad opera et scripta Caroli Maurras necnon ephemerides inscriptas *L'Action Française*, diligentius inquireretur, Sanctissimus D. N. Pius Pp. XI iussit mihi infrascripto Adsessori S. Officii ut Acta itemque Tabularia Sacræ Indicis Congregationis — quæ S. Officio, ut omnes norunt, coniuncta atque incorporata fuit — accurate investigarem, atque deinceps Sibi referrem.

Qua peracta investigatione, hæc quæ sequuntur comperta sunt :

I. In Congregatione præparatoria habita feria V, die 15 Ianuarii, anno 1914 : « Omnes Consultores in sententiam convenerunt quatuor opera Caroli Maurras : *Le Chemin de Paradis, Anthinéa, Les Amants de Venise* et *Trois idées politiques*, esse vere pessima et ideo prohibitionem mereri, quibus accensendum esse dixerunt opus inscriptum *L'Avenir de l'intelligence.*

« Plures Consultores his accenseri etiam voluerint libros inscriptos *La politique religieuse* et *Si le coup de force est possible* ».

II. In Congregatione generali habita feria II, die 26 Ianuarii, anno 1914 : « Emus Cardinalis Præfectus dixit ipsum cum Summo Pontifice de hoc negotio egisse et Summum Pontificem, ratione habita tot petitionum voce et scripto Sibi etiam a summis viris factarum, revera

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 529 s.

aliquantulum ancipitem hæsisse, tandem vero statuisse ut de hoc negotio in S. Congregatione plena libertate ageretur, Sibi reservata potestate circa publicationem Decreti.

« In medias ergo res devenientes Emi Patres dixerunt dubium haud adesse posse, libros a Consultoribus designatos esse revera pessimos et mereri censuram, eo vel magis quia a iuvenibus vix arceri possint huiusmodi libri, quorum auctor in rebus politicis et in re litteraria ipsis tamquam summus commendetur et tamquam caput eorum a quibus salus patriæ exspectanda sit. Emi Patres in sententiam convenerunt enumeratos libros ex parte S. Congregationis proscribi, publicationem autem Decreti sapientiæ Summi Pontificis relinqui. Quod autem spectat ad ephemerides *L'Action Française*, *Revue bimensuelle* Emi Patres idem statuendum esse censuerunt de istis ac de operibus D. Maurras ».

III. Die autem 29 Ianuarii, anno 1914 : « P. Secretarius in Audientia SSmi de omnibus retulit quæ in novissima Congregatione acta sunt. Summus Pontifex statim loqui cœpit de *L'Action Française* et de operibus D. Maurras, narrans a multis Se accepisse libellos quibus postulent ne hæc opera a S. Congregatione prohiberi sinat : hæc tamen opera esse prohibita et ex nunc prout in S. Congregatione proscripta fuerunt pro talibus habenda esse, Sibi tamen servato iure indicandi momentum quo Decretum publicandum erit ; quod si nova occasio ita agendi offeretur, Decretum quo illæ ephemerides atque libri prohibeantur, tamquam hodie emanatum promulgabitur ».

IV. Die 14 Aprilis, anno 1915 : « Summus Pontifex [Benedictus XV f. r.] P. Secretarium de libris Caroli Maurras et de ephemeridibus *L'Action Française* interrogavit. P. Secretarius Sanctitati Suæ per ordinem omnia narravit quæ in hac causa a S. Congregatione gesta sunt et quomodo Eius prædecessor Pius Pp. X s. m. proscriptionem, ab Emis Patribus pronunciatam, ratam habuerit atque adprobaverit, ast publicationem Decreti in aliud tempus magis propitium distulerit. Quibus auditis Sanctitas Sua declaravit hoc tempus nondum venisse, cum, bello adhuc perdurante, passiones politicæ æquum iudicium de tali actu Sanctæ Sedis haud admittant ».

Quibus omnibus a me infrascripto, Adsessore S. Officii, SSmo D. N. diligenter relatis, Sanctitas Sua iam opportunum duxit hoc Decretum Pii Pp. X publicari et promul-

gari, atque ut publici iuris reapse fieret decrevit, sub die quidem præscripto ab eodem Decessore Suo f. r. Pio X.

Attentis autem quæ, his præsertim diebus, a diario eiusdem inscriptionis, *L'Action Française*, nominatim vero a Carolo Maurras et a Leone Daudet, edita ac pervulgata sunt, quæque contra Sedem Apostolicam ipsumque Romanum Pontificem scripta esse nemo sensatus non videt, SSmus D. N damnationem a Decessore Suo datam confirmavit atque extendit ad prædictum diarium *L'Action Française* prout in præsens editur, ita quidem ut tamquam proscriptum atque damnatum habeatur atque in Indicem librorum prohibitorum inseratur, absque præiudicio ulteriorum inquisitionum et damnationum in libros utriusque auctoris.

Datum Romæ, ex Aedibus S. Officii, die 29 Decembris 1926.

De mandato Sanctissimi
N. Canali, *Adsessor*.

E S. Congr. de religiosis

CIRCA AUCTORITATEM ORDINARII PERMITTENDI TRANSITUM MONIALIUM AB UNO AD ALIUD MONASTERIUM EIUSDEM ORDINIS (1).

Sacræ Congregationi Religiosorum Sodalium negotiis præpositæ sequentia dubia, pro opportuna solutione, subiecta fuere :

I. Utrum moniales monasteriorum, in quibus vota dumtaxat simplicia emittuntur iuxta can. 488, 7° Codicis iuris canonici et decretum Sacræ Congregationis de Religiosis sub die 23 iunii 1923 (2), e proprio ad aliud huiusmodi monasterium sui iuris et eiusdem Ordinis transire queant sola Ordinarii vel Ordinariorum auctoritate.

II. Utrum eædem moniales ab Ordinario vel Ordinariis e proprio ad aliud monasterium, uti supra, de ipsarum et utriusque Communitatis consensu, transferri queant saltem ad tempus, ita ut in novo monasterio, dum ibidem commorantur, iuribus gaudere et officiis fungi valeant ut moniales de familia.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 490 s.
(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 482 s.

Porro Sacra Congregatio, in Congressu diei 26 iunii 1926, re mature perpensa, respondendum censuit prout respondet :

Ad I. *Negative* et servetur can. 632 Codicis iuris canonici.

Ad II. *Negative* sine prævia Apostolicæ Sedis licentia.

Facta autem de præmissis relatione Ssmo Dno Nostro Pio, Div. Prov. Papæ XI, in audientia habita ab Emo Card. Præfecto huius Sacræ Congregationis, die 9 nov. 1926, Sanctitas Sua resolutionem eiusdem Sacræ Congregationis approbavit et confirmavit ac publici iuris fieri mandavit.

Datum Romæ ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die, mense et anno ut supra.

C. Card. Laurenti, *Præfectus.*

L. ✝ S.

Vincentius La Puma, *Secretarius.*

E S. Pœnitentiaria apostolica

OFFICIUM DE INDULGENTIIS

DUBIA

CIRCA POTESTATEM EPISCOPORUM QUASDAM FACULTATES COMMUNICANDI (1)

Ad Sacram Pœnitentiariam Apostolicam sequentia dubia, pro opportuna solutione, delata sunt :

Sacra Pœnitentiaria Apostolica, die 18 iulii 1919, declaravit, non licere Episcopis communicare Presbyteris suæ ditionis habitualiter potestatem benedicendi Rosaria, etc., de qua in can. 349 § 1, n. 1, Codicis iuris canonici, cum Indulgentiarum applicatione ; nunc quæritur :

« 1. Licetne Episcopis communicare, saltem per « modum actus, Sacerdotibus suæ ditionis facultates, de

(1) Cfr *Acta Apostolicæ Sedis*, t. XVIII (1926), p. 500. Vide quæ supra de hac re scripsimus occasione facultatis erigendi viam crucis, apud *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 132 sq.

« quibus in can. 340 § 1, n. 1, Codicis iuris canonici ? ».

« 2. Eædem facultates competuntne etiam Vicario « Generali ? ».

Et eadem Sacra Pœnitentiaria, re mature perpensa, respondendum censuit :

Ad utrumque *Negative*.

Datum Romæ, in Sacra Pœnitentiaria, die 10 novembris 1926.

S. Luzio, *S. P. Regens.*

L. † S.

I. B. Menghini, *Substit.*

Consultatio.

De precibus post missam privatam recitandis.

Anno 1886 Leo XIII preces post missam a Pio IX anno 1859 præscriptas immutavit in formam quæ nunc in usu est, ac cum omnibus Ordinariis communicavit sub hoc titulo : « Preces jussu Papæ Leonis XIII in omnibus orbis ecclesiis post privatæ missæ celebrationem flexis genibus recitandæ », cum hac adnotatione : « Ss. D. N. Leo Pp. XIII omnibus preces, ut supra, recitantibus, 300 dierum indulgentiam largitur » (1).

Obligatio easdem preces recitandi in pluribus decretis s. Congregationis Rituum usque urgetur et pressius determinatur (2).

Quæritur autem : 1. an dictæ preces dicendæ sunt stricte obligatoriæ ; et, si affirmative, 2. an per has preces obligatorias lucrifieri potest indulgentia memorata, siquidem can. 932 statuat opere ex lege aut præcepto obligatorio indulgentiam obtineri non posse ?

---

(1) Cfr *Nouv. rev. théol.*, t. XVIII (1886), p. 464.

(2) Vide ea decreta summatim relata apud C. Callewaert, *Cæremoniale*, p. 145, nota 14.

Respondetur ad 1um : Preces memoratæ haud dubie sunt præceptæ, intra limites a jure definitos ;

ad 2um : Etiam quando ità obligatorie recitantur, nihilominus indulgentiis sunt ditatæ, quia Leo XIII id expresse concessit, uti ex documentis allatis sufficienter constat. Est igitur casus in quo verificatur clausula restrictiva canonis citati : « Opere cui præstando quis lege aut præcepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, *nisi in ejusdem concessione aliud expresse dicatur* » (1).

Quod autem trinam invocationem : *Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis*, attinet, Pius X indulsit ut precibus Lèonis XIII addi *possit*, (adeoque non est obligatoria), atque omnibus qui una cum sacerdote post prædictas preces eam addiderint, indulgentiam 7 annorum et 7 quadragenarum concessit (2). A. Legrand.

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV (1925), p. 149 ss.

(2) Cfr decr. s. C. Ind. 17 junii 1904, apud *Il monitore ecclesiastico*, t. VI (1904), p. 217 s.; Beringer-Steinen, *Die Ablässe* t. I, p. 255. n. 534.

Notæ bibliographicæ

Pesch, Chr. (S. J.). *Disputationes recentiores et decreta de inspiratione S. Scripturæ.* Freiburg i. B., Herder, 1926. — In 8, VIII-92 p. — Pr. 3 mk.

Opus dogmatico-historicum P. Pesch, *De inspiratione S. Scripturæ*, Freiburg, 1906, in nostro periodico analysi fuit subjectum et lectoribus merito commendatum utpote « perutile, solida eruditione refertum et modo scientifico ordinatum » (t. XIII, p. 707) : a. 1926 idem opus arte photographica reproductum est sed cum tali reproductionis methodo correctiones fieri nequeant, huic operi adnectit cl. auctor supplementum quoddam, quo perlustret varia quæ hisce ultimis annis in campo horum studiorum occurrerunt.

Primo quasdam dissertationes speculativas de natura inspirationis dijudicat, nec absque sincero gaudio animadvertit inter sic dictam scholam neo-thomisticam et sectatores card. Franzelin dissensiones reales in dies minores evadere, merito præcipue solidæ et moderatæ lucubrationis P. Bainvel.

At præsertim operam navat P. Pesch ut colligat varia tentamina exegetica quibus, ultimis hisce annis, plures biblistæ catholici, salva inspiratione, ut censebant, conati sunt respondere rationalistarum commentis de erroribus scripturisticis : distinxerunt inter veritatem absolutam et relativam s. Scripturæ ; assignaverunt in libris sacris multiplices fontium citationes implicitas seu tacitas quas hagiographus nec approbat nec improbat cum ad scopum suum religiosum nihil faciant ; varias narrationes semper habitas ut historicas dicebant esse traditiones populares aut legendas vel allegorias specietenus tantum historicas ; quæstiones authentiæ humanæ liberius solvebant. Historice potius quam polemice narrat auctor pugnam contra illas theorias motam ut dein varia documenta referat quibus auctoritas ecclesiastica de his judicium tulit, quibusdam ex illis doctrinis certos præscribendo limites, vel imo quasdam theorias vel saltem quasdam earum applicationes concretas damnando, præsertim ubi occurrebant in libris manualibus seminariorum. Animadvertit auctor omnibus sententiis ab Ecclesia notatis subfuisse uno alterove modo opinionem juxta quam inerrantia non ad omnes partes s. Scripturæ eodem gradu extenderetur.

Utilis valde est talis conspectus historicus quo discant catholici quasnam normas Ecclesia, cui libri inspirati traditi sunt, in studio critico et exegetico servandas velit.

M. De Jonghe.

Bainvel, J.-V. *De vera religione et apologetica. — De Ecclesia Christi.* Parisiis, Beauchesne, 1914 et 1925. — In 8, VIII-270 p. et VIII-244 p. — Pr. 7 et 24 fr.

Uti cl. A., jam a viginti quinque annis et amplius s. theologiæ professor in facultate catholica parisiensi, præfando ad hunc suum ultimum tractatum « De Ecclesia » ipse notat, hoc volumen, quamquam ultimum ordine chronologico, secundum tamen poni debet, post tractatum, scilicet « De vera religione et apologetica », sed ante duos tractatus « De fontibus revelationis », uti sæpius appellantur (1) : primum « De magisterio vivo et traditione », alterum « De Scriptura sacra », quos A. prius ediderat (2). Cum tractatu de vera religione intimum alioquin nexum habet tractatus de Ecclesia, in disputandi ratione quam A. amplectitur, ut ex analysi utriusque voluminis, quæ sequitur, statim apparebit.

Tractatus *de vera religione* et *apologetica* duplicem complectitur partem quem titulus ipse indicat: prior autem in lucubratione est pars apologetica, altera de vera religione.

In parte priore, post caput primum prævium, in quo de præcipuis nostrorum temporum *tendentiis philosophicis et religiosis*, in capite secundo dicitur de *ratione et methodo apologetica*, in tertio de diversis *formis concretis apologeticæ* tum antiquioris tum recentioris.

In altera parte : *a)* in capite primo statuitur *factum et necessitas religionis naturalis*, quæ religio tamen non sufficit ; adeoque inquirendum manet de religione *positive instituta*. Indicatis conditionibus hujus inquisitionis, jam agit A. de *revelatione*, cujus notio elucidatur, quæque non modo *possibilis* etiam quoad mysteria, sed insuper valde *conveniens* demonstratur. Post hæc exponit A. quænam sit *necessitas revelationis* ; deinde tractat de *cognoscibilitate* et *criteriis* revelationis. *b)* Hæc porro præparant caput secundum in quo *demonstratio christiana* exhibetur : *divina missio Christi* et *divina origo religionis christianæ* probatur omnibus *criteriis* : negativo, positivo interno et externo ex divina providentia, ex miraculis et prophetiis, ex transcendentia tum personæ fundatoris tum ipsius religionis a Christo fundatæ. *c)* Caput tertium præbet *demonstrationem catholicam* ; dato quod divina sit religio a Christo instituta, quærendum manet in quonam hæc consistat, utrum scilicet in aliqua e sectis christianis ita inveniatur ut non sit in aliis, et quænam sit hæc secta. Hæc autem demonstratio fit *directe* in *tractatu de Ecclesia*, ostendendo a Christo institutam esse religionem per modum societatis religiosæ, quæ est ipsa Ecclesia catholica, quippe quæ sola vel identice vel specifice habet characteres quibus Christus Ecclesiam suam insignivit. Hîc autem *in tractatu de vera religione*, pro scopo et ratione hujus, aliter proceditur : ostendendum est nimirum *Ecclesiam catholicam* eamque

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 36, n. 2.

(2) Utrumque volumen prodiit Parisiis, apud Beauchesne, 1905 et 1910 ; de priore cfr *Collat. Brugen.*, XI (1906), p. 677.

solam inter sectas christianas, esse *divinam*; quod dupliciter fieri potest secundum doctrinam ipsius concilii vaticani: primo, ostendendo *continuationem Ecclesiæ* cum ea religione quam Christus instituit; secundo, ostendendo *immediate Ecclesiam* catholicam motivis credibilitatis, admirabili propagatione, eximia sanctitate et catholica unitate, quasi *digito Dei in fronte signatam* (1).

Tractatus *de Ecclesia* duplicem complectitur partem: priorem de Ecclesia *in seipsa*, alteram *de romano pontifice*. Uti A. ipse monet (p. 3 et p. 178 s.) hæc divisio non ita fixa est ut alia jam admitti nequeat; eligitur potius ut res brevius et dilucidius exponi queat.

In priore parte duplicem habet sectionem: primam *apologeticam*, secundam magis *scholasticam*. In prima sectione ostendit ipsum Christum instituisse Ecclesiam *per modum societatis* visibilis, in qua esset et extra quam non esset religio christiana; hanc, quam fundavit Christus Ecclesiam et cui *dedit promissiones*, simul ita *fecit visibilem*, ut una eademque sit Ecclesia visibilis et Ecclesia promissionum. Rite assignatis, contra protestantes et schismaticos, *notis Ecclesiæ discretivis*, quæ sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, uti profitemur in symbolo, facile et solide probat *easdem in Ecclesia catholica eaque sola reperiri*. Sectio secunda tractat de Ecclesiæ *natura, constitutione, juribus*; de *membris* Ecclesiæ; de *potestate* ecclesiastica, necnon de *relatione inter Ecclesiam et Statum* civilem.

Pars altera *de romano pontifice*, considerat *primatum Petri*, in romanis pontificibus *perpetuum*; disputat de *vi et ratione primatus*, necnon de *magisterio infallibili* romani pontificis: hæc sunt enim quattuor capita constitutionis vaticanæ de Ecclesia Christi, quam in hac materia A. presse sequitur et explicat, simul ac nitide vindicat. Ad complementum doctrinæ de subjecto potestatis ecclesiasticæ, additur caput *de conciliis et episcopis*; ad complementum doctrinæ de habitudine Ecclesiæ ad Statum, caput *de independentia et civili principatu romani pontificis* in fine adjungitur. In breviori epilogo, vindicata doctrina catholica, encomiis celebrat A. Ecclesiæ pulchritudinem, ejusdemque utilitatem et beneficentiam non tantum in suos sed et in societatem civilem debitis laudibus jure extollit.

Ad *methodum* quod attinet, hanc omnino singularem et ipsi propriam adhibet cl. A. ut potius indicet quam evolvat omnia argumenta, et sæpius ad alios auctores remittat, in quibus demonstrationes fusius proferuntur; nihil essentiale prætermittit, sed desideratur tamen problema maxime actuale de existentia Christi historica contra protestantes liberales et modernistas, utique alia et alia ratione vindicanda; maxima præsertim acribeia proponit A. quæ statum singularum quæstionum et methodum adhibendam spectant, ita ut theses

(1) In appendice adduntur art. R. P. de la Broise, S. J., e libro « Un siècle » (1900), de religione et religionibus sæculo XIX; art. ipsius auctoris de quæstione religiosa et problemate apologetico, e periodico « Revue de l'Institut catholique » (mai 1905); tandem varia testimonia prolata a scriptoribus incredulis, ut puta J. J. Rousseau, Jouffroy, Jules Simon, Taine et Macaulay.

probandæ dilucide perspiciantur et mentes simul ad singulas theses perscrutandas efficaciter moveantur. Scopum suum hunc fuisse profitetur ut brevem ac methodicum librum manualem conscriberet, viva voce a magistro latius evolvendum et declarandum; huc facit etiam copiosa bibliographia ad omnes quæstiones, quæ maximum utilitatem affert, adeoque hanc lucubrationem optimam pro scopo suo quem A. perfecte tetigit, omnibus qui quæstiones præsertim positivas de Ecclesia et problemata Apologeticæ præcipue hodiernæ, intimius penetrare cupiunt, multum commendamus.

H. Lamiroy.

Janssens, Al. (Miss. Scheut). *De heilige Maagd en Moeder Gods Maria.* Eerste deel : het dogma en de apocriefen. Brussel, Standaard-boekhandel, 1926. — In 8, v-309 bl. — Pr. 20 fr.

In meer dan een opzicht verschilt dit vijfde traktaat in de reeks « Leerboeken der dogmatica » van de andere werken in dezelfde reeks, die allen veeleer *kortbondig* samengevat op zuiver *theologisch* standpunt blijven (1). Het werk over de h. Maagd en Moeder Gods Maria, waarvan het eerste deel thans verschenen handelt over het dogma en de apocriefen (2), is veel *meer omvangrijk*, want nog twee andere boekdeelen over het zelfde onderwerp worden reeds aangekondigd; daarbij stelt S. zich in onderhavig eerste boekdeel heel en al op *apologetisch* standpunt. Zijn voorwoord zegt ons wat er hem toebracht dit standpunt aan te nemen. In « Grundfragen zur Einigung der Kirche Christi » door von Schlatter, Deissmann, Jülicher, Harnack e. a. (München, 1925), leest men op bl. 69 deze woorden van Th. Kaftan: « In de roomsche kerk is de Christuskerk een Mariakerk geworden ; de gansche Mariavereering steunt echter enkel op legende » ; een slagwoord is het ook geworden bij de protestantsche rationalisten, en als een eerste beginsel, dat zelf geen betoog meer behoeft, « dat het katholiek geloof over Maria komt uit de apocriefen ». Daarom heeft S. gedacht dat het geen onnuttige arbeid zou wezen die stelling der hedendaagsche ketters, die onder het gebouw der Mariatheologie den bodem willen weggraven, van dichtbij te onderzoeken en grondig te weerleggen. Achtereenvolgens ontleedt S., in acht hoofdstukken, het evangelie der Hebreeën, de Hemelvaart van Isaïas, het protoevangelium van Jacobus met het evangelie van ps. Mattheus en het zoogenaamde evangelie der geboorte van Maria, het ps. kindheidsevangelie van Thomas, de oden van Salomon, de sibyllijnsche orakels, het ps. evangelie van Bartholomeus en eindelijk de apocriefe verhalen over het uiteinde der heilige Maagd. In het negende en laatste hoofdstuk stelt S. de volgende stelling voorop: « 1/ Er is geen

(1) Zie *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 435 ; XXV, p. 331 en p. 479.

(2) Zou het niet nuttig zijn geweest voorop een algemeen gedachte te geven over wat apocriefen zijn ?

verband van oorzaak en gevolg tusschen de apocriefen en wat de katholieke Kerk gelooft over Maria. — 2/ Alles wat de Kerk gelooft over Maria is alleen gegrond op de heilige Schrift en de ambtelijke, algemeene en alleroudste traditie van de Kerk. — 3/ De katholieke eeredienst van Maria en de gansche Maria-devotie, in zoover als zij katholiek, d. i. door de Kerk goedgekeurd is, sluit rechtstreeks aan met — en vloeit natuurlijk uit — wat de Kerk over Maria gelooft ». Het tweede en derde deel van deze stelling zullen in het tweede en derde boekdeel meer *theologisch* behandeld worden ; het eerste deel, namelijk dat het geloof der Kerk niet steunt op de apocriefen, wordt *apologetisch* in dit eerste deel bewezen, voor wat betreft de volgende grondwaarheden der Marialogie : het goddelijk moederschap, de maagdelijkheid, de onbevlekte ontvangenis, de heiligheid en de hemelvaart van Maria. In zijn laatste paragraaf herleidt S. den invloed der apocriefen naar zijn ware afmeting; die is enkel aan te nemen op 't gebied der veraanschouwlijking van het geloof in kunst en prediking, en daar kunnen menschelijke vergissingen in zijn; doch voor die misbruiken is de Kerk niet aansprakelijk. Die een juiste, begrippelijke formuleering wil vinden van wat de Kerk over de heilige Maagd en Moeder Gods *gelooft*, moet bij de Kerk en haar ambtelijke leer te rade gaan ; en op dit punt hebben de meesten niet-katholieken heel wat bij te leeren. Het volstaat volstrekt niet, en daarmede besluit S. zijn degelijk werk, de woorden aanhalend van den heiligen Petrus Canisius, maar luidop te schreeuwen: apocrypha, apocrypha! Onze tegenstrevers zouden het bewijs moeten brengen dat onze katholieke Marialeer uit de apocriefen is ontstaan, en dat hebben zij nooit bewezen.

Deze korte ontleding van het schoon boek van P. Al. Janssens kan maar een flauwe gedachte geven van al den rijkdom, die er in te vinden is. Aan de theologanten heeft S. een waren dienst bewezen met al die documenten bijeen te brengen ; ook niet-theologanten zullen met veel belangstelling deze stevige weerlegging van het modern rationalisme lezen, en tevreden zijn dat hun geloof aan Onze-Lieve-Vrouw, zooals katholieken kinderlijk Gods Moeder en hun Moeder liefst noemen, zoo heerlijk wordt verdedigd.

H. Lamiroy.

Cuthbert, P. (O. M. Cap.) *Leven van Sint Franciscus van Assisië*. vertaald naar de jongste engelsche uitgave door P. Eleutheer van Lichtervelde, Minderbroeder-Kapucijn. Brugge, Beyaert, 1926. — In 8, XII-497 bl. — Pr. 25 fr.

Father Cuthbert, moet zeker als een der meestgezaghebbende geschiedschrijvers van Franciscus aanzien worden. Jarenlang en diepgrondig heeft hij de eerste oorkonden dezer geschiedenis en de overgroote reeks werken over dit onderwerp ingestudeerd tot hij het eindelijk in 1912 waagde eene volledige levensbeschrijving van den

echten Franciscus uit te geven. Tweemaal heeft hij zijn eerste tekst herwerkt, en hij mocht zich bij iedere uitgave in een zeer gunstige beoordeeling van meestal zijn critici verheugen. In dit boek kunnen we van dichtbij en als bij der ooge Franciscus volgen in zijn handel en wandel, met hem leven, zijn hert en zijn geest doorschouwen, zijn karakter vatten, den invloed nagaan dien hij onderging van wegens zijn tijdgenooten en die wederzijds van hem uitging, en dit alles zoo levendig alsof schrijver aan Franciscus'zijde Assisië, Umbrië, Italië had doorgewandeld. Ook moeten we den vertaler onzen besten dank betuigen om zijn trouwe en kleurvolle weergave. Geen schooner gedenkteeken kon ter gelegenheid van het zevende eeuwfeest van s. Franciscus'dood opgericht worden den patriarch van Assisië ter eere en ons vlaamsche volk ten nutte. Dit werk moest niet alleen in de handen van priesters en franciscanen zitten, 't moest ook in al onze parochiebibliotheken te vinden zijn, want geen heilige misschien valt meer in den smaak van ons volk dan s. Franciscus.

Ronse, Fr.-Th. *Het Wees-gegroet.* Brugge, Beyaert, 1926. — In 8, VIII-203 bl. — Pr. 10 fr.

Het *Wees gegroet* is zoodanig vergroeid met onze godsvrucht, dat een gewone christen zich moeilijk voorstelt dat dit gebed niet immer in gebruik geweest is. En toch is het waar dat het Wees gegroet vijftien eeuwen en meer noodig had om te worden 't gebed dat ons zoo duurbaar is, en om de eereplaats te verwerven die 't nu bekleedt en 't privaat en in 't publiek gebed. Deze trage evolutie en verovering toont schrijver aan in zijn eerste deel, gansch gesteund op de grondigste studies, en zoo « geleerd » dat 't aan sommigen misschien wat « zwaar » zal schijnen. — Anderzijds zijn wij zoo gewoon geraakt aan 't Wees gegroet, dat dit schoon gebed er zijn wonderen inhoud bij verloren heeft in ons gebruik. Dat jammerlijk euvel wil schr. verhelpen in zijn tweede deel, waarin hij de overvloedige stof die in 't Wees gegroet bevat is, tot zalige overwegingen verwerkt. Deze korte ontleding geldt een lange aanbeveling.

Mad. Irmine. *Het dagelijksch brood der kleinen.* Pædagogische studiën. Deel XXVIII. Brugge, Excelsior, 1926. — In 8, 174 bl. — Pr. 9 fr.

Hier hebben we eene reeks godsdienstlesjes voor den kindertuin, geput aan de ondervinding van eene leerares aan St Andreas' normaalschool te Brugge. Zoo 't ons, priesters, al moeilijk valt aan grootere kinderen onze godsdienstige waarheden en plichten duidelijk te maken, we staan gansch onbeholpen waar 't de kleine kleuters geldt die nog op moeders schoot zitten. Tot 't onderricht dezer laatsten is een moederhert en een moedertong noodig. Welnu in dit boek vindt gij 't hoogste onderricht in moederlijke vormen. Dit boek zal ons priesters persoonlijk nuttig zijn, doch vooral zullen wij 't aan de zusters en juffers-onderwijzeressen als een kostbaar hulpmiddel ter hand stellen.

Tanquerey, Ad. *Les dogmes générateurs de la piété.* Tournai, Desclée, 1926. — In 16, VIII-261 p. — Pr. 6 fr.

Du même auteur et chez le même éditeur a paru en 1923 : *Précis de théologie ascétique et mystique*, qui a eu un succès remarquable, tout a fait mérité d'ailleurs. Déja dans ce traité on sentait partout la tendance du savant théologien à donner à la piété une solide base théologique. Dans le présent ouvrage l'auteur s'attache à exposer ex professo les dogmes générateurs de la piété. En voici un résumé succinct. Le Verbe incarné, qui a puisé la vie divine dans le sein du Père, est la source de notre vie spirituelle. Afin de nous la communiquer il nous incorpore à son corps mystique : les membres ainsi participent à la vie de la tête. Incorporés au Christ, nous participons donc à la vie divine : les trois divines Personnes viennent habiter en nous et répandent en nos âmes la grâce sanctifiante, les vertus et les dons. Par là même Marie, la mère de Jésus, devient notre mère et notre médiatrice. Mais pour que nous puissions cultiver cette vie divine, Jésus, souverain Prêtre, nous fait participer à son sacerdoce et à son sacrifice. Jésus sacrificateur et victime a voulu associer Marie à ce double rôle, sans cependant lui conférer le caractère sacerdotal. Il choisit, parmi les hommes, des représentants visibles, qui, par le caractère sacerdotal imprimé dans leur âme, sont vraiment d'autres christs. Le peuple chrétien lui même est associé, dans un certain degré, au sacerdoce du Christ. La sainte messe est le grand acte de religion, acte social, offert par Jésus souverain prêtre, au nom de l'humanité tout entière, avec la collaboration des prêtres, ses représentants visibles, et l'active participation des fidèles. — Souhaitons que Dieu prête à l'auteur vie et force pour achever son œuvre en nous montrant bientôt Jésus opérant en nous par les sacrements, et Jésus nous faisant participer à sa gloire dans le ciel.

Ces pages fournissent aux prêtres un excellent sujet d'oraison : elles lui offrent aussi matière abondante et sûre pour ses instructions, conférences et direction individuelle. Les fidèles instruits liront ce livre avec joie et avec grand profit.

Tractatus de indulgentiis. Theologia Mechliniensis. Editio quarta. Malines, Dessain, 1926. — In 8, 274 p.

Ad normam novi codicis, juxta doctrinam optimorum auctorum, novam editionem præclari tractatus de indulgentiis anni 1903, paravit magna cura et ingenti labore R. A. D. Gougnard. Multi sacerdotes nostratum cum gaudio hoc opus in secunda præsertim parte : de indulgentiis in specie, suscipient tamquam manuductionem in materia in dies magis intricata exercitiorum, objectorum et confraternitatum quibus indulgentiæ adnexæ sunt. Liceat pauca animadvertere. Ulteriorem quamdam declarationem voluissemus circa indulgentias *toties quoties* juxta decretum Innocentii XI, *Delatæ sæpius*. An in decreto concessionis indulgentiæ plenariæ pro oratione *En ego, o bone et dulcissime Jesu* expresse præscribitur eam esse recitandam flexis genibus ? Nonne

dormitorium monialium de quo p. 82, n. (2) significat ambulacrum (1) ? Quid de limitatione quoad locum facultatis erigendi viam crucis ubi in indulto, uti generatim, excipiuntur loca ubi sunt conventus franciscanorum vel quo Fratres minores commode vocari possunt ? — Concludet autem lector, et merito quidem : opus cui non graviores objici possunt defectus, magna tandem laude dignum censendum est.

Gontier, P. *Règlement de vie sacerdotale. 4e éd. Arras, Brunet, 1926. — In 16, 165 p. — Pr. 6 fr.*

Beaucoup de nos prêtres connaissent du même auteur l'excellente *Explication du Pontifical*, a l'aide de laquelle ils se sont acheminés vers chacune de leurs ordinations. Dans le présent ouvrage ils trouveront défendu et exposé le moyen unique de persévérance pour le prêtre, à savoir un règlement de vie adapté. Ce règlement se divise en deux parties d'après les deux espèces de devoirs qui incombent au prêtre, devoirs ayant trait à sa vie individuelle, devoirs ayant pour objet son prochain, supérieurs, confrères, fidèles. Puissions-nous voir ce livre lu et vécu par tous nos prêtres ! Nous le nommons sans hésiter : un guide sûr vers la sainteté sacerdotale.

Vander Mueren, A. I. *Op den weg der wijsheid.* — II. *Op den weg der liefde.* Pædagogische studiën. Deel XVII-XVIII. Lier, Van In, 1926. — In 8, 250 bl. en VIII-466 bl. — Pr. 9 en 20 fr.

Onlangs heeft de H. Stoel eens te meer met nadruk gewezen op den eersten en grootsten aller plichten van iederen priester die zielenlast draagt, te weten godsdienstonderricht te geven aan kinderen en aan volwassenen. Doch is dit onderricht van eerste noodzakelijkheid, 't is tevens zeer moeilijk, en daarom moeten de priesters, vooral in hun bereidingstijd, zich tot dit ambt langdurig en zorgvuldig voorbereiden, en tot dit doel moeten er hun op 't seminarie én theoretische lessen én praktische oefeningen gegeven worden (2). In de boeken hierboven aangegeven zullen onze priesters een zeer goede handleiding vinden in hun catechetisch onderwijs over dogmenleer eenerzijds, anderzijds over zedenleer. Binnen kort verschijnt een derde deel over de sakramenten : *De ware levensbronnen langs den weg van wijsheid en liefde.* In beide eerste deelen volgt schrijver de synthetische methode, genoemd de « Münchener methode » ; in zijn tweede deel heeft hij zijn lessen breeder uitgewerkt dan in 't eerste. Iedere catechese vormt één vaste leereenheid, onderverdeeld in leerpunten, en is uitgewerkt naar dit schema : na 't overhooren der les, het *aanknoopingspunt* met de leerstof, de *voorstelling*, waarin de leerpunten opgesloten liggen, de

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 136 n. (3).

(2) Cfr Epistola s. Congr. de seminariis, 8 septembris 1926, apud *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 486 ss.

leerpunten met de samenvatting en de gehcugenles, 't *praktisch besluit* of leeren leven, met een slotgebed. — In deze boeken heeft schrijver de vrucht neergelegd van elf jaren praktijk en specialisatie: zij zullen aan onze priesters groote diensten bewijzen en worden hun dan ook warm aanbevolen. A. LEGRAND.

Cappello, F. M. (S. J.) *Tractatus canonico-moralis de censuris juxta codicem juris canonici.* Taurinorum Augustæ, Marietti, 1925. — In 8, XVI-517 p.

Cipollini, A. D. *De censuris latæ sententiæ juxta codicem juris canonici.* Taurinorum Augustæ, Marietti, 1925. — In 8, 260 p.

Duo opera quæ eminent brevitate, claritate et vix non semper doctrinæ securitate, non tamen omnino similis valoris.

R. P. Cappello, eximius professor in pontificia universitate gregoriana et in pontificio instituto orientali, curavit editionem alteram ex integro reconcinnatam sui operis, quod olim — primus fere inter novi juris commentatores — primis mensibus post codicis apparitionem in lucem edidit, et cujus titulus erat « *De censuris juxta codicem juris canonici* ». In hac nova editione A. titulum mutavit cum inscribitur : « *Tractatus canonico-moralis de censuris* », et quam merito hoc fecerit, quicumque utramque editionem juxtaposuerit, facile videbit. Plura enim inseruit ac non sine perspicaci ingenio evolvit, quæ in theologia morali exponuntur, at huc etiam spectant. Exemplum sit caput quod in prima editione fere sub silentio premitur, in altera vero per longum et latum exponitur : de causis a censuris excusantibus.

Quod methodum spectat, tum Cappello, tum Cipollini in parte priori tractant de censuris in genere, exponendo principia generalia omnibus censuris communia. In parte vero secunda Cappello agens de censuris in specie, triplici sub capite agit de triplici specie censurarum, de singulis proponendo tum quæ in genere de singularum notione, causa et effectibus sunt dicenda, tum quænam in specie exstent in Ecclesia. Cipollini autem, proximius ad ordinem codicis accedens capite distincto exponit quæ de singulis censuris in genere sunt dicenda. Uterque vero ab ordine codicis merito recedit eadem sub rubrica omnes censuras ejusdem speciei colligendo.

Quamvis opus Cipollini ostendat auctorem esse virum plenum eruditione, gaudentem spiritu vere canonico, et — uti ex ejus præfatione ad lectorem saltem deducendum videtur — præditum magna originalitate, tamen prævalere opus R. P. Cappello indubium nobis videtur.

Majori enim cura ac diligentia tum fontes germanæ doctrinæ tum probatos auctores veteres ac recentes, tum omnes codicis juris canonici commentatores consuluit, quod haud exigui momenti est in materia juris pœnalis, in qua tractanda periculosum certe est nimis abstrahere ab opinionibus ab aliis propositis, et solum textui juris adhærere.

J. BRYS.

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis decembris propositas.

—

I.

In Jo., XVI, 23-30. — Homilia.

Q. *Expositis circa evangelium Dominicæ V^æ post Pascha* (Jo., XVI, 23-30) *explicationibus ad textum intelligendum requisitis et, intuitu homiliæ habendæ, lectioni Evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ, cujus objectum sit : efficacia et conditiones orationis.*

R. *Explicationes ad intellectum evangelii præparatoriæ* (1).

Ecce pervenit Jesus ad finem vitæ suæ mortalis ; ultimam celebrat cœnam in qua, omnium donorum suorum

---

(1) Præter ea quæ hîc exponimus, generaliora per modum introductionis ad lectionem evangelii opportune præmittenda, hæc non inutiliter circa sensum hujus pericopæ non ita obviæ notari possunt.

In immediate præcedentibus locutus est Jesus de instanti sua profectione, quæ discipulos tristitia afficiet, vv. 16-21 ; ad quam tristitiam sequetur gaudium, v. 22. Et jam exponit unum illius gaudii motivum, efficaciam qua eorum orationes in nomine Jesu factæ retribuentur, v. 23. Hoc modo hucusque non oraverant, nondum perfecte intelligentes munus mediationis Jesu apud Patrem, v. 24^a ; in posterum autem sic orantes, obtinebunt quidquid voluerint, v. 24^b.

Hanc quidem doctrinam hucusque nondum plene perspectam habent Apostoli : Jesus eam in proverbiis, id est obscure eis locutus est,

præclarissimum, præsentiæ suæ relinquet discipulis suis memoriale perpetuum, mysterium ss. suæ Eucharistiæ ; in qua item præcipuorum suæ doctrinæ capitum relinquet memoriam. In specie eos edocet de quæstione, tam sæpe hucusque inculcata, orationis nempe, et signanter de una efficaciæ conditione, maximi momenti, hucusque Apostolis nondum perspecta : de oratione in nomine Christi peragenda.

De profectu suo instante jam iterum et iterum locutus est Jesus et adhuc, ejusdem cœnæ decursu, locuturus est, intime persentiens dolorem quo hæc verba amantium discipulorum corda perfundent. Nec mirum Jesum ex corde suo amantissimo varia deprompsisse motiva consolationis ; sicut et facit in præsenti Evangelio medium eis assignans in unione cum ipso permanendi gaudiumque plenum, etiam absente Magistro, obtinendi. Quam instanter inculcat perfectam orationis efficaciam ; quam præclare proponit eam potissimum conditionem ut oratio fiat in nomine Christi. — Quam opportuna nobis hujus Evangelii lectio ad præparandas tres dies Rogationum diebus insequentibus transigendas.

Sequatur lectio Evangelii.

Applicatio. 1. Quantis inculcatur nobis *orationis efficacia.*

---

v. 25[a] ; sed venit hora, puta ea hora qua lumine Spiritus sancti perfundentur, et eamdem doctrinam perfecte intelligent : Jesus, per Spiritum sanctum quem mittet illis, palam eis de Patre annuntiabit, v. 25[b]. Et eamdem doctrinam in praxim deducent : tunc, in illo die, in nomine Jesu petent, per Jesum ad Patrem recurrent, v. 26[a], et — quod subauditur ex dictis v. 23 et 24, exaudientur. Et quare ? Quia Pater eos, utpote fide et amore suo Jesum amplectentes, amat. Hucusque experti sunt utique Jesum eos amare, amore quem ostendit et adhuc ostendet Jesus rogando pro eis, v. 26[b]; sed experientur etiam Patrem eos amare, amore quem ostendet exaudiendo orationes in nomine Jesu fusas, v. 27[a]; et quare Pater eos amat, nisi quia Jesum, Filium suum, fide et amore suo amplectuntur : credunt in dignitatem et missionem divinam Jesu, v. 27[b], quae dignitas Jesu manifestis verbis enuntiatur v. 28. Hanc enuntiationem perfecte intelligunt discipuli, v. 29 ; nunc utique sciunt, nunc intelligunt undenam Jesus etiam occultas cogitationes cordium cognoscat (cfr v. 10) : hoc intelligunt ex ipsa dignitate divina Jesu, v. 30.

Solemni formula affirmatur : *Amen amen dico vobis* ; — irrestricta : *si quid* (1) *petieritis... Patrem, dabit vobis ; petite et accipietis ; — ut gaudium vestrum sit plenum*, i. e. nulla vestra vota non implebuntur ; quidquid desiderare poteritis, fiet vobis ; — tanta erit efficacia ut discipulorum oratio orationem ipsius Jesu sit valitura, v. 26 (2). — Eadem efficacia et *suis motivis* inculcatur : Deum habemus Patrem ; Pater amat nos ; Pater eodem amore quo Filium suum Jesum, etiam nos prosequitur, utpote quos videt Filium suum fide et amore suo prosequentes, v. 27.

2. Inculcantur quoque hujus efficaciæ quædam conditiones, non omnes sane, adeoque aliis alibi per Evangelium expositis, addendæ. Signanter erit oratio nostra :

a/ vera *oratio*, vera petitio : si quid *petieritis...* ; *petite...*, eis donata qualitatibus, ut puta humilitate, perseverantia, caritate fraterna etc., quas alibi legimus ;

b/ oratio *fiducia referta*, quæ fiducia fundabitur tum in eo quod Filius pro nobis orat, v. 26, tum in eo quod Deum habemus ut Patrem, qui amore paterno nos prosequitur (3) ;

---

(1) Quomodo ex ipsa ratione et ex revelatione divina hæc specietenus irrestricta formula sit restringenda, non est hujus loci evolvere.

(2) Sensus v. 26 nequaquam ille esse potest Jesum jam non esse pro discipulis oraturum ; affirmat enim Paulus Jesum semper vivere ad interpellandum pro nobis, *Hebr.*, VII, 25 ; cfr *Rom.*, VIII, 34 ; *I Jo.*, II, 1 ; neque sensus potest esse jam non per mediationem Christi, per quem omnia nobis perveniunt, dona Dei ad nos esse perventura. Sed sensus hujus loci, inter obscuros reputati, simplex hic esse videtur : hucusque, Apostoli, estis experti specialem meam dilectionem erga vos, amorem quem ostendi et adhuc ostendam rogando Patrem pro vobis ; tunc autem, in illo die experiemini etiam Patrem speciali amore vos prosequi, amorem quem ostendet exaudiendo orationes quas in nomine meo ad ipsum dirigetis. — Putamus nimirum vv. 26 et 27, noto hebraïsmo, sic inter se cohærere : quidquid in nomine meo petetis accipietis, quia *non tantum dico* vobis me vos amare esseque pro vobis Patrem rogaturum, *sed imo dico vobis* ipsum Patrem vos amore speciali prosequi adeoque, non tantum ob intercessionem meam, sed etiam propter vestras præclaras dispositiones erga me, Filium suum, vos esse exauditurum.

(3) De sensu hujus v. 25 et v. 26 vide notata supra.

c) potissimum in luce ponitur orationem nostram fieri debere *in nomine Christi* (1). Hoc autem quid sit variis modis intelligi potest, præprimis autem *per merita Christi* ; — non immeritò autem ita latius intelligitur ut et hæc quoque complectatur : ex impulsu gratiæ quam Christus nobis meruit ; — allegato verbo et promissione Christi ; — in unione cum Christo ; — in modo Christi, eodem ardore, eadem fiducia, eadem submissione ad voluntatem Dei ; — eisdem dispositionibus quibus Christus animatus existebat ; quæ dispositiones sensu accommodatitio dignoscimus in v. 28 : sicut Jesus, ita et nos, a Deo profecti in hunc mundum, mundo huic valedicere debemus et ad Deum sanctitate vitæ nostræ tendere.

Hanc de mediatione Jesu doctrinam hucusque, perfecte saltem non intellexerant Apostoli neque eum modum orandi, saltem perfecte, in praxim deduxerant, v. 24, sed per subsequentem Spiritus sancti revelationem (2) perfectius didicerunt pleniusque exercuerunt ; pergit quoque Ecclesia in nomine Christi orare, ut puta concludens plerasque suas orationes : *Per Dominum nostrum Jesum Christum...*, in Litaniis Omnium Sanctorum, diebus Rogationum recitandis, interponendo Jesu nativitatem, passionem, mortem, aliaque quælibet ejus vitae facta, potissimum vero omni tempore offerendo Patri hostiam sanctam et immaculatam, Corpus et Sanguinem Christi.

Eodem modo et nos orabimus, signanter per hos dies Rogationum Deo exponentes quidquid pro nobis ipsis aut pro quibuslibet aliis – vide omnia petita in Litaniis

---

(1) Hoc, ut patet, non sic est intelligendum quasi omnis oratio nostra, ut sit efficax, deberet fieri explicita mentione Christi interposita. Equidem nulla est oratio quae non implicite contineat Christi mentionem, siquidem nulla bona nobis nisi per Christum proveniunt ; sed hoc inculcat Jesus eo efficaciorem esse orationem quo magis fundetur in perfectiore notitia mediationis Jesu et quo explicitius hanc mediationem in medium afferat.

(2) Hoc sensu plures interpretantur quod dicit Jesus in v. 25 : *venit hora...*, et in v. 26 : *In illo die.*

omnium sanctorum ! — desideramus, expectantes quoque ut per merita Christi, sicut et per merita sanctorum, apud Christum intercessorum, petita obtineamus, ut gaudium nostrum, hîc et in vita futura sit plenum.

A. Vander Heeren.

II.

De scientia Christi generatim.

Q. *Breviter describe scientiam quam Christum habuisse admittamus oportet.*

R. Uti patet ex terminis ipsius quæstionis, agitur de scientia quam Christus habebat, dum vitam mortalem in terris ducebat ; hæc autem erat tum divina tum humana, quandoquidem Christus erat Deus et homo, una persona divina subsistens in duabus naturis perfectis et integris, cum intellectu tum divino tum humano, qui propriam suam operationem habebant (1).

Quod attinet scientiam *divinam*, communem Verbo incarnato cum Patre et Spiritu sancto, quoniam de eadem in tractatu de Deo fusius disputatur, heic nihil speciale dicendum ducimus.

Quod spectat scientiam *humanam* Christi, hanc communius nunc distinguunt theologi triplicem : *beatam*, seu per visionem Dei beatificam ; *infusam*, per species scilicet a Deo inditas ; *naturalem* tandem, quam etiam experimentalem quandoque appellant.

1/ Scientia *visionis beatæ*, quam Christum habuisse, et quidem a primo momento incarnationis, omnino constat (2), eadem ratione debet explicari qua scientia quam ex visione Dei in beatis esse revelatione novimus,

---

(1) S. Thomas, *Sum. theol.*, III, q. 9, a. 1, c. coll. *Quæst. disp. de veritate*, q. 20, a. 1, c.

(2) Ita dicit decretum S. C. S. Officii, 5 jun. 1918, apud *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 489. — Argumenta habes apud *Collat. Brugen.*, XI (1906), p. 439 s.

licet utique in Christo tanto perfectior fuerit, quanto dignitate natura humana Christi omnem creaturam exsuperavit (1).

Intellectus itaque humanus Christi, *confortatus lumine gloriæ*, quo divinam aliquam similitudinem participabat, jam facie ad faciem Deum intuebatur, adeo ut essentia divina esset ipsi et *id quod* videbat, et *id quo* videbat, quin tamen Deum comprehenderet (2)

Quoad *objectum hujus scientiæ* visionis beatæ, dicendum est animam Christi novisse *a/* omnia, quæ Deus *scientia* sua *visionis* cognoscit (3). Scientia porro visionis divinæ dicitur ea qua Deus cognoscit seipsum, ipsum esse subsistens, et videndo essentiam suam cognoscit omnia *quæ sunt* in quacumque temporis differentia, itaque non solum præterita ac præsentia, sed adhuc futura quæ sunt in potentia divina aut in potentia alicujus creaturæ, et quæ relate ad nos nondum sunt sed aliquando tamen erunt (4).

b/ Novit adhuc anima Christi beata quædam quæ Deus cognoscit *scientia simplicis intelligentiæ;* hæc autem est de iis quæ sunt in potentia Dei aut creaturæ sed *nunquam erunt.*

Porro relate ad ea, cognoscit anima Christi beata hæc omnia quæ sunt in potentia omnis creaturæ, et adhuc quædam quæ sunt in potentia solius Dei, sed non omnia, quoniam ad hoc necesse esset ut anima Christi divinam essentiam comprehenderet, quod Deo prorsus est proprium (5).

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, III, q. 10, a. 4, c. coll. q. 9, a. 2 et q. 11, a. 5, ad 1.

(2) Vide *Collat. Brugen.*, XXVI (1926), p. 307 s., ubi de visione Dei intuitiva generatim dicitur et t. XXIV (1924), p. 315 s., ubi scientia visionis beatæ in Christo penitius explicatur.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 114 s., ubi variæ divisiones scientiæ divinæ proponuntur.

(4) De hoc objecto visionis in Christo vide *Sum. theol.*, III, q. 10, a. 2 et a. 3, c. coll. *De veritate*, q. 20, a. 4 et a. 5, c.

(5) Lege *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 143 s., ubi de scientia dicitur quam Deus habet de semetipso. — De objecto hujus participationis scientiæ divinæ simplicis intelligentiæ in Christo, vide, præter locos ad notam præcedentem citatos, *Quodlib.*, III, q. 2, a. 3, c.

2/ In Christo scientiam *infusam* pariter admittamus necesse est (1), ast disputatur inter theologos utrum scientiam *per se* infusam solummodo, an etiam scientiam *per accidens* infusam in Christo ponere oporteat. Scientia porro dicitur per accidens infusa, quando de iis veritatibus habetur, quae naturali cognitione acquiri possunt, sed reapse per infusionem cognoscuntur, ut puta scientia rerum naturalium quam Deus cum Adam communicavit ; per se vero dicitur infusa, quando de iis veritatibus agitur quæ non nisi per infusionem cognosci possunt (2).

Hæc autem scientia, sive per se sive per accidens infusa, obtinet *mediantibus speciebus* a Deo *inditis* (3), quæ *quoad originem* proinde a phantasmatibus nullatenus dependent, sed neque *quoad usum* cum iisdem necessariam connexionem habent ; Christus etenim intelligendo cum tali scientia, quæ est potius scientia comprehensoris, animæ pro statu termini seu separationis a corpore proportionata, intelligere poterat sine conversione ad phantasmata, quæ a cognitione nostra naturali abesse prorsus nequit, sed ad cognitionem intelligibilem qua talem non pertinet (4).

Hanc scientiam infusam habebat Christus secundum modum animæ humanæ connaturalem, *per modum*

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, III, q. 9, a. 3, c. ; *De veritate*, q. 20, a. 2 et a. 3, c. coll. *Collat. Brugen.*, XI (1906), p. 495 s.

(2) *Sum. theol.*, III, q. 11, a. 1, c. probatur secundum hanc scientiam Christum omnia novisse, excepta divina essentia ; in specie « per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt » ; cfr etiam *De veritate*, q. 20, a. 2, c.

(3) Pro penitiore intellectu hujus scientiæ cfr *Collat. Brugen.*, XXV (1925), p. 435 s., ubi de simili cognitione in angelis fusius disputatur ; observa hanc scientiam inditam semper esse actualem in actu primo, non autem in actu secundo, uti notatur *Sum. theol.*, III, q. 11, a. 5, ad. 1.

(4) Cfr *Sum. theol.*, III, q. 11, a. 2, c. et ad 1 : « Et ideo licet visus nihil cognoscat absque colore, intellectus tamen secundum aliquem statum potest cognoscere absque phantasmate, sed non absque specie intelligibili ».

scilicet *habitus* (1) ; quinimmo dicendum hanc scientiam inditam animæ Christi fuisse *distinctam in diversos habitus*, secundum varia genera rerum scibilium (2). Ex hac parte igitur, quantum ad subjectum recipiens, seu quoniam erat scientia hæc *humana*, erat sane infra scientiam infusam angelis (3), sed quantum ad id quod habuit a causa influente Deo, « fuit multo excellentior quam angelorum scientia, ét quantum ad multitudinem cognitorum, ét quantum ad scientiæ certitudinem ; quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi est multo excellentius quam lumen quod pertinet ad naturam angelicam » (4).

3 Fuit tandem in Christo scientia *naturaliter acquisita* (5), quam in sequenti responsione explicabimus.

Ex dictis abunde constat *nullam ignorantiam*, quæ est carentia cognitionis debitæ, sicuti *nec ullum errorem* admitti posse in Christo, qui plenus veritate (6) plenitudinem etiam habuit omnis scientiæ (7). Hanc plenitudinem scientiæ Christo tribuere renuebant inter antiquiores præsertim agnoëtæ (8), duce Themistio sæculo VI ; postea quam plures rationalistæ, præcipue inter protestantes liberales ; hisce ultimis temporibus rursus modernistæ (9). Quum autem dubitationes quædam apud quosdam

---

(1) *Sum. theol.*, III, q. 11, a. 5, c.

(2) *Ibidem*, a. 6, c.

(3) *Ibidem*, a. 4, c. et a. 6, ad 1 ; adverte adhuc hanc scientiam infusam in Christo fuisse *discursivam*, non quoad acquisitionem, sed quoad usum, adeoque ex hac parte propter perfectionem naturalem angelicam, rursus infra scientiam angelis inditam.

(4) *Ibidem*, a. 4, c.

(5) Cfr *Collat. Brugen.*, XI (1906), p. 296 s. et *Sum. theol.*, III, q. 9, a. 4, c. coll. *De veritate*, q. 20, a. 3, ad 1.

(6) Cfr *Jo.*, 1, 14.

(7) Cfr *Sum. theol.*, III, q. 15, a. 3, c. et *Collat. Brugen.*, X (1905), p. 496 s., XI (1906), p. 343 s. et p. 580 s.

(8) A verbo græco ἀγνοέω = ignoro.

(9) Vide prop. 32 s. in decreto « *Lamentabili* », 3 julii 1907 (*Enchir.*, p. 2032 s.).

theologos perseverare viderentur, recentius Ecclesia *tuto doceri* non posse pronuntiavit sequentes propositiones : *a/* haud certa est sententia, quæ statuit animam Christi nihil *ignoravisse* ; *b/* opinio quorumdam recentiorum auctorum de scientia Christi *limitata* non minus est recipienda in scholis catholicis quam sententia de scientia Christi *universali*, quam veteres theologi propugnabant (1). H. Lamiroy.

III-IV.

De interruptione missæ.

Q. *Paucis expone 1) gravitatem causæ requisitæ ad missam licite interrumpendam, necnon 2) obligationem missam interruptam perficiendi.*

R. *Prænota.* Missam *interrumpere* est suspendere actionem liturgicam, postea prosequendam. Quodsi celebratio suspendatur et deinde non absolvatur, missa dicitur *abrupta.* Patet autem partium disjunctione minui cohæsionem totius et ita quidem ut nonnunquam partes disjunctæ in actionem moraliter unam coalescere jam nequeant, quo casu missa interrupta est aequivalenter abrupta.

Suspensio autem alia modica, alia notabilis erit et eo magis notabilis quo magis diuturna. Præterea aderit circumstantia aggravans, si interponitur actio cum liturgia minime quadrans, si sacræ vestes deponuntur, si disceditur ab ecclesia vel saltem e conspectu altaris, si missa in alio loco absolvitur, si habetur substitutio alterius ministri.

Denique considerandum est quædam partes missæ arctiorem inter se habere cohæsionem, uti sunt : præprimis consecratio panis et vini, cum sua respectiva introductione historica, communio corporis et sanguinis,

(1) Decretum S. C. S. Officii supra laudatum habes apud *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 499.

consecratio et communio ; dein preces canonis, quæ constituunt centrum immutabile totius actionis liturgicæ ; tandem oblatio et consecratio. Hæc itaque præ oculis sunt habenda ut æstimetur gravitas tum causæ requisitæ ad interrumpendam celebrationem, tum obligationis eam perficiendi post interruptionem. Jam age :

1) *Ante offertorium* interrumpere missam, salva tamen manente unitate morali actionis liturgicæ, leve æstimatur, secluso utique scandalo et contemptu.

Quare, *ante evangelium* liceret interrumpere ad dandam s. communionem personæ laïcæ quæ adhuc est in scamno communionis et cui ante missam, ob aliquam inadvertentiam, sacra dapes non est data. Attamen, propter timendos abusus, melius erit nunquam interrumpere, saltem in oratoriis publicis et in ecclesiis.

Post evangelium celebratio suspendi potest ad concionem habendam, proclamationes nuptiales faciendas, preces pro defunctis parochianis fundendas, ordinem officiorum divinorum indicandum et alia hujusmodi.

Ante offertorium missam interrumpere licet in gratiam supervenientis episcopi, principis, processionis, turbæ etiam peregrinorum si multi secus satisfacere non possent præcepto audiendi missam. Similiter, si exspectandum sit dum pyxis afferatur cum hostiis intuitu communionis fidelium consecrandis. .

Obligatio *perficiendi* missam, ante offertorium interruptam, non est gravis ; sed, si perficitur, sub gravi postulatur ut sit actio liturgica moraliter adhuc una.

2) *Post offertorium, ante canonem*, missa interrumpi debet si celebrans recordatur se indigere absolutione a peccatis aut censuris, at plerumque propter infamiam et scandalum excusabitur, ita ut sufficiat ipsi elicere contritionem perfectam, postea confessionem instituturo. Similiter, si recordatur se non esse jejunum, missa abrumpi debet nisi, uti sæpe fit, ratio scandali excuset.

Post offertorium itaque gravis requiritur causa ut missa interrumpi possit.

Gravior requiritur causa ad celebrationem suspendendam, *incœpto canone* et consecratione nondum peracta. Excusat autem necessitas succurrendi proximo in urgenti necessitate constituto, puta necessitas baptizandi periclitantem si alius desit qui baptizet, necessitas absolvendi moribundum si præsto non sit alius sacerdos, necessitas administrandi extremam unctionem puta iis qui sensibus destituuntur vel simili de causa dubie tantum absolvi possunt. Quodsi in ipsa ecclesia aliquis subito in periculum mortis vocatur et urgens non est necessitas ejus, puta quia ante missam accessit ad tribunal pœnitentiæ, potest celebrans si alius desit sacerdos, celebratione interrupta, in ipsa ecclesia et servatis indumentis sacris, huic quoad essentialia administrare ultima sacramenta. Ratio quoque suspendendi missam est transiens morbus, necessitas exonerationis ventri quæ usque ad finem missæ differri nequit. At, celebrationem accelerare non licet statim consecrando et communicando.

Obligatio *perficiendi* cessat, si ipse celebrans vel nullatenus vel post horam tantum prosequi potest (1). Abrumpere, sine causa proportionata, grave est. Si missa abrumpitur, oblata post ablutionem sumenda sunt in alia missa, vel reverenter sumantur ut benedicta, vel in sacrarium projiciantur.

Si deficiunt vires celebrantis ante consecrationem, alius sacerdos missam perficere non debet.

3) Interruptio *inter utramque consecrationem*, nisi brevissima sit et absque discessu, postulat causam excusantem valde gravem, quæ raro aderit, quia consecratio alterius speciei brevi tempore perficitur.

---

(1) Hoc casu melius erit abrumpere missam et reincipere ab initio postea, potius quam absolvere celebrationem interruptam.

Causæ proportionatæ erunt :

a/ Defectus materiæ validæ, qui advertitur alterutra consecratione peracta. Ita, si post consecrationem panis advertitur loco vini appositam esse aquam, interruptio necessaria est ad apponendum vinum, illudque aqua mixtum offerendum et dein consecrandum (1).

Obligatio perficiendi missam gravissima est. Statuit rubrica missalis, *De defectibus*, tit. IV, n. 8 : « Si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi ; si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet : si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata : tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut prætermittantur verba et signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum ». Quousque unitas sacrificii salvari potest eo usque manet obligatio perficiendi, nisi valde gravis ratio excuset. Non auderem dicere cum aliquibus auctoribus, nunquam esse ultra horam exspectandum : possunt enim dari circumstantiæ propter quas certo salvatur unitas sacrificii post horam, ut si sacerdos remaneat ad sedes, sacris vestibus indutus. Plura itaque erunt consideranda : prævisa diuturnitas interruptionis, hora diei qua missa interrumpitur, difficultas aliam materiam inveniendi, possibilitas certo servandi sacrificii unitatem et ita porro.

b/ Imminens mortis vel profanationis periculum (2), quo casu celebrans statim sumat hostiam consecratam, nisi sine irreverentiæ periculo possit eam secum afferre et tuto loco atque cito calicem consecrare et missam prosequi vel saltem communione integrare.

c/ Impossibilitas procedendi, viribus ex improviso deficientibus.

---

(1) Vide supra, p. 35.

(2) Cfr rubrica missalis, *De defectibus*, tit. X, n. 2.

Quamvis forsan interim jejunium naturale læsum sit et solam consecrationem et communionem peragere possit, id sub gravi exsequi debet celebrans. Quodsi non valeat, alius sacerdos sub gravi missam absolvere debet, jejunus si facile haberi possit, secus non-jejunus, imo, si necesse sit, et excommunicatus, suspensus aut irregularis. Qui supplet incipere debet ubi alter desivit, et si infirmus communicare potest, dividat hostiam et unam partem ipsi tribuat (1).

4) Interruptio *inter consecrationem et communionem* propter easdem rationes licet ac illas propter quas incœpto canone diximus celebrationem posse suspendi.

Obligatio perficiendi missam valde gravis est. Quodsi prævideatur interruptio ultra horam duratura, missa communione statim absolvatur, ceteris omissis.

Quoties interruptio fieri debet, provideatur reverentiæ Sacramento debitæ. Optimum erit illud in tabernaculo occludere.

Si ipse celebrans missam ante communionem interruptam absolvere non possit, alius sacerdos supplere debet, ut supra.

5) Interruptio *inter communionem corporis et sanguinis* raro excusatur, cum vix non semper tempus adsit ad communicandum sub specie sanguinis. Causæ excusantes erunt :

a/ Invalida vini consecratio, quæ post communionem Corporis animadvertitur. Quo casu, facta oblatione et consecratione novi panis et vini mixti, communicatur sub utraque specie.

b/ Vix unquam periculum mortis vel profanationis impediet sumptionem sanguinis. Quodsi impediat, calix transferatur in locum tutum et ad communionem sanguinis procedatur.

---

(1) Vide *ibidem*, n. 3.

c/ Quod attinet casum quo sentit celebrans vires suas subito deficere, si potest adhuc sine irreverentiæ periculo s. sanguinem sumere, precibus omissis, id faciat. Secus, recuperatis viribus, postea communicet sub specie vini. Quodsi nequeat, alius sacerdos communicet et missam consueto modo absolvat: obligatio enim utriusque speciei sumptione sacrificium integrandi valde gravis est.

6) *Post communionem celebrantis*, missa *interrumpi* potest ad s. communionem fidelibus destribuendam, modo celebrans altare e conspectu non amittat (1). Potest etiam brevem sermonem habere ad communicantes. Similiter interrumpere licet ut vota religiosa emittantur vel renoventur.

Ad celebrationem post communionem definitive *abrumpendam* postulatur ratio mediocriter gravis.

Nota. Qui sacrificium, deficiente celebrante, complevit, nisi facultatem habeat binandi, non potest aliam Missam celebrare.

Missa *præsanctificatorum* morbo sacerdotis interrupta, ab alio sacerdote *jejuno* absolvatur. Quodsi id fieri nequeat, sacra hostia sequenti die post communionem sanguinis a celebrante sumatur.

V. Coucke.

V.

Het nestorianisme vóór Nestorius.

V. *Welke waren de wegbereiders en de eerste vertegenwoordigers der ketterij, die aan Nestorius haar naam ontleende?*

A. De dwaalleer der « twee personen in Christus » staat in de Kerkgeschiedenis bekend onder den naam van nestorianisme, omdat de patriarch van Constantinopel, Nestorius, er eerst openlijk mede voor den dag kwam en de ketterij voort bleef verspreiden, toen ze reeds

(1) Canon 868.

ambtelijk veroordeeld was. Nestorius was echter de eerste niet, om eene « tweeheid » in Christus staande te houden die in strijd was met de h. Schrift en de geloofsoverlevering (1); hij had zijn verkeerde opvattingen betreffende de vereeniging der twee naturen in den Godmensch opgedaan in de beroemde school van Antiochië; daar had hij immers als leermeester Theodorus van Mopsueste, die zelf leerling was van Diodorus van Tarsus. Beide deze bisschoppen nu hadden meer dan één gewaagde stelling vooruit gezet, die Nestorius later overnam en ontwikkelde; ze werden dan ook terecht na hunnen dood als de voorloopers van het nestorianisme beschouwd, en als dusdanig meer dan eens in den loop der Ve eeuw 't zij door de h. Vaders, 't zij ook in de concilies veroordeeld.

Diodorus de stichter der nieuwe school van Antiochië, stond in het midden der IVe eeuw in hoog aanzien om reden zijner buitengewone begaafdheid en zijn heiligen levenswandel; in 378 werd hij bisschop van Tarsus, en

---

(1) Wel heeft de Kerk, in haren strijd tegen de christologische ketterijen, eene verduidelijking en vaster omlijnde bepaling gevonden en voorgehouden betreffende de vereeniging van de goddelijke en menschelijke natuur in één enkelen persoon, den persoon van Jesus-Christus, Gods Zoon (unio hypostatica); maar de inhoud van het dogma, werd van het begin af geloofd en beleden. De h. Schrift zegt wel niet uitdrukkelijk dat Christus, Gods Zoon en zoon des menschen één « persoon » is; maar zij verkondigt deze waarheid overduidelijk telkenmale wanneer zij aan één en hetzelfde subject goddelijke en menschelijke eigenschappen of daden toeschrijft. Zoo ook de eerste symbola: « Ik geloof in God den Vader... en in zijn eenigen Zoon Jesus-Christus, die geboren is uit den h. Geest en uit de Maagd Maria »; zoo ook nog de Vaders der drie eerste eeuwen. De h. Vaders gebruiken wel is waar soms woorden, die later minder geschikt schenen, doch die woorden zijn te verklaren in het verband met de heele leer, en die leer was: een en dezelfde, Christus, die ware mensch geworden is, was van alle eeuwigheid Gods ware Zoon en blijft, onveranderd en onverminderd na de menschwording, Gods ware Zoon. Zie Michel, *Hypostatique (Union)* in *Dict. Théol. Cath.*; Héfélé-Leclercq, *Histoire des Conciles*, T. II, 1re partie, p. 219 ss. Petavius, *De Incarnatione*, T. VI, ook onze vorige verhandeling, bl. 20.

bewees groote diensten in den strijd tegen het arianisme en het apollinarisme (1). Doch hij was het jammerlijk ook, die vooral aan de school van Antiochië hare bijzondere richting gaf, zoo verschillend van de strekking der school van Alexandrië en, zooals het weldra zou blijken, zoo nadeelig aan de rechtgeloovigheid. Terwijl men in Alexandrië eene voorliefde koesterde voor het bovennatuurlijke, het geheimzinnige, het goddelijke in den godsdienst en de Schriftuur liefst allegorisch uitlegde, was de richting in Antiochië er eene volgens het praktisch verstand, de schriftuurverklaring was er grammatisch-historisch, de geloofsleer werd er meer kritisch opgevat en het mysterie op zijn minst gebracht. Deze strekking had zeker haren goeden kant en heeft dan ook voortreffelijke werken, vooral op schriftuurgebied, voortgebracht; doch in de Christusleer leidde zij tot ongehoorde uitlatingen.

In het menschgeworden Woord beschouwden de antiocheners bij voorkeur den menschelijken kant, en zooveel steunden zij op de echtheid, de volledigheid en de ongeschondenheid der menschelijke natuur tegenover de goddelijke, dat de eenheid in Christus niet tot haar recht kwam. Terecht had Apollinaris daar reeds op gewezen, maar hij was zelf in eene ketterij vervallen, die alras door de Kerk veroordeeld werd (2). Het is misschien wel aan het mislukken dezer tegenbeweging te wijten, dat het verkeerde der antiocheensche christologie niet zoo aanstonds gevat werd. Ten anderen de leeraars van Antiochië, om het verwijt van Apollinaris te ontgaan,

---

(1) Hij stierf omstreeks 392. De h. Johannes-Chrysostomus, die ook zijn discipel was, noemde hem een nieuwen Johannes-Baptista. Werkelijk was hij, samen met Flavianus, in Antiochië de redder geweest van het Nicenum; dwaalde hij in zijne christologie, daarom mag men hem nog geen ketter noemen, want zijn goede inzichten zijn niet te betwijfelen. Ermoni, *Diodore de Tarse et son rôle doctrinal*, in *Museon*, 1901, p. 422-444; Bardenhewer, *Gesch. der Altk. Litteratur* (1912), t. III, p 304. Zie over het belang en de richtingen van beide scholen, Tixeront, *Hist. des dogmes*, t. II, p. 4 ss.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XXVI, 1926, bl. 408 vlg. en hooger bl. 15 vlg.

legden er weldra een bijzonderen nadruk op dat ze wel aan de « eenheid van persoon » vasthielden ; 't blijkt echter uit hunne werken dat de eenheid die ze voorhouden, niet de eenheid is van den blijvenden goddelijken persoon die beide naturen schraagt, maar enkel eene zedelijke, bijkomstige, betrekkelijke eenheid, die ze door allerlei beeldspraak trachten duidelijk te maken.

Zoo moet, volgens Diodorus, in Christus goed onderscheid gemaakt tusschen den Zoon Gods en den zoon van David, die door den eerste aangenomen werd en in den welken hij inwoont als in een tempel. Het is dan ook slechts in eenen overdrachtelijken zin, en om reden van deze inwoning dat men den Zoon Gods zoon van David noemen mag. Evenmin mag het Woord zoon van Maria genoemd ; want het Woord is niet eeuwiglijk uit den Vader en tijdelijk uit Maria geboren : maar geboren uit den Vader heeft hij zich een tempel gemaakt van dengene die uit Maria geboren is. Men mag wel den mensch uit Maria geboren Gods zoon noemen, hij is dit echter slechts door genade (χάριτι καὶ οὐ φύσει) ; alleen het Woord is het door zijn wezen. Dergelijke uitlatingen, teruggevonden in de weinige fragmenten die van Diodorus geschriften overbleven (1), toonen genoeg aan, hoe de bisschop van Tarsus de twee naturen in Christus zoodanig van elkaar scheidt, dat ze op henzelf, zonder wezenlijke vereeniging, afgezonderd blijven.

Duidelijker blijkt diezelfde verkeerde stelling uit de beter bewaarde dogmatische werken van Theodorus van Mopsueste (2). Deze was even, als zijn meester, boven

(1) Verzameld in Migne, MPG, XXXIII, 1559, 1560, ook in t. XLVII, 1146 48, aanhalingen van Marius Mercator. Meest al de werken van Diodorus zijn slechts bij naam gekend ; dat ze zoo algemeen verloren gingen is wel te wijten aan de treurige vermaardheid welke de beroemde meester later ontving. Hij werd veroordeeld in een concilie (niet algemeen) van Constantinopel in 499. Tixeront, *Précis de Patrologie*, p. 255.

(2) Theodorus geboren te Antiochië omstreeks 350, werd bisschop van Mopsueste in 392 ; hij stierf in 428, juist bijtijds om niet gemengd

alles bezorgd met de ongeschondene en volledige menschheid in den Zaligmaker. Christus was, volgens hem, mensch als een ander ; zooals elk ander menschenkind ontwikkelde hij lichaamlijk en verstandelijk en was hij zelf onderhevig aan echte inwendige bekoringen. Hij overwon echter elke bekoring en bleef getrouw aan God ; hij was immers onzondig uit reden van zijn maagdelijke geboorte en zijne vereeniging met het Woord Gods. Deze vereeniging was voor Jesus-Christus-mensch een bijzondere genade, hem als belooning geschonken *ex prævisis meritis*. Maar van welken aard was deze vereeniging ?

Naar Theodorus is de menschheid van Christus verbonden met het Woord Gods door vereeniging (ἕνωσις), verbinding (συνάφεια), verhouding (σχέσις-relatio), door inwoning (ἐνοίκησις). Dit laatste woord wordt bij voorkeur gebruikt, en toont best hoe los de vereeniging werd verstaan. Ten andere Theodorus steunt er op : de inwoning van het Woord is niet « een tegenwoordigheid van zelfstandigheid » of van « dadigheid » (ἐνέργεια) maar van « welbehagen » (εὐδοκία). God en het Woord vinden hun welbehagen in Jesus als in een zoon.

De inwoning van den Logos in Christus is dus, in het stelsel van Theodorus van den zelfden aard als de inwoning van God in de ziel van elken rechtvaardige door de genade. Doch zij is veel volmaakter, en ingezien

---

te worden in den strijd, dien zijn leerling Nestorius weldra openlijk zou voeren tegen de traditioneele leer. Hij werd echter door de Ve algemeene Kerkvergadering (553), als de ware theologant van het nestorianisme, veroordeeld. Daarmede waren ook zijne talrijke en omvangrijke geschriften tot vernietiging gedoemd. BARDENHEWER, *o. c.*, p. 312 ss. Enkele fragmenten, die overbleven in oorspronkelijk grieksch of in latijnsche en syriaksche vertalingen, zijn verzameld in MIGNE, MPG, t. LXVI, enkele ook bij SWETE, ***Theodori episc Mops. in epistolas S. Pauli commentarii***, Cambridge, 1880-82. Wij volgen in de uiteenzetting der leer van Theodorus : TIXERONT, ***Hist. des dogmes***, t. III, p. 14-22. Zie ook HÉFÉLÉ-LECLERQ, *l. c.* ; JANSSENS, ***Het Menschgeworden Woord***, bl. 116.

de immer vollediger overeenstemming in willen en werken, de immer stijgende verdiensten van Christus, is zij ten laatste, bij de verijzenis, zoo innig geworden, dat van dan af de menschelijke natuur deel had in al de eer die de goddelijke natuur toekomt, zelfs in het recht tot aanbidding.

Onder deze dubbelzinnige bewoording schuilt zonder twijfel, benevens andere dwalingen, de leer van twee personen, die in Christus met elkaar alleen in zedelijken zin vereenigd zijn ; wel schermt Theodorus met eene eenheid van persoon (πρόσωπον), maar het blijkt dat hij daarmede slechts eene « volledige overeenstemming », een zedelijke eenheid beduidt (1).

Duidelijker komt deze dwaalleer te voorschijn daar waar hij het heeft over de *communicatio idiomatum*. Naar Theodorus hebben beide naturen in Christus hun eigen dadigheid die, streng gesproken, aan hen alleen mag toegerekend. Daarom veroordeelt hij als apollinaristische afdwalingen al de formules die de menschelijke daden en belevingen aan het menschgeworden Woord toeschrijven, of anderzijds de goddelijke eigenschappen en daden aan den mensch in Christus toekennen. « Het is krankzinnigheid, zoo schrijft hij in zijn werk *Contra Apollinarium*, te beweren dat God uit de Maagd geboren is. .. Uit Maria is geboren hij die uit het zaad van David is ». Maria is dus streng gesproken en in den eigenlijken zin geen moeder Gods maar wel ἀνθρωποτόκος (moeder van den mensch) ;

---

(1) Merkwaardig is in dit opzicht een tekst van Theodorus uit zijn werk *De Incarnatione*, vertaald bij Tixeront (*o. c.*, p. 18) als volgt : « Lorsque nous distinguons les natures, nous disons que la nature du Dieu Verbe est complète et complète aussi sa personne, car on ne saurait dire qu'une hypostase (in 't latijn ***subsistentiam***) est impersonnelle ; [de même nous disons] que la nature de l'homme est complète et complète aussi sa personne. Mais quand nous considérons l'union, nous disons qu'il n'y a qu'une personne ». Elders vergelijkt hij de vereeniging tusschen de twee naturen aan de vereeniging van man en vrouw van wie gezegd wordt dat ze niet zijn *duo sed una caro*. TIXERONT, *o. c.*, p. 22, in nota.

men mag ze wel θεοτόκος noemen, maar dan is die benaming in een betrekkelijken zin te nemen (propter relationem — τῇ ἀναφορᾷ), in zoover namelijk God woonde in den mensch, dien Maria baarde. Aldus ook is de mensch in Jesus niet Gods natuurlijke Zoon, maar alleen zoon door genade (1).

Er is dus in de christologische leer der beide antiocheners, Diodorus en Theodorus, een gronddwaling die indruischt tegen de h. Schrift en de geloofsoverlevering; wel gebruiken beiden nog over het algemeen eene bewoording, die ook bij andere geloofsleeraars in voege was, en werden ze daarom door hunne tijdgenooten nog geen ketters genoemd; doch de door hen verstrekte uitleg laat blijken dat ze de vroeger gebruikte uitdrukkingen verkeerd opvatten en namelijk de dracht niet begrepen van de eenheid in Christus. In hun ijver om het apollinarisme te weerleggen, om de ongeschondenheid en de onvermengdheid der twee naturen in Christus te verdedigen, hebben ze, zonder de gevolgen van hunne dwaling in te zien, de godheid en de menschheid in den Zaligmaker, als op zich zelf staande personen, van elkaar afgezonderd.

Zoo waren ze beide nestorianem vóór Nestorius.

R. Deschepper.

VI.

De modo conferendi baptismum per infusionem.

Q. *Paucis explica quinque conditiones a Rituali Romano* (tit. II, cap. 1, n. 10) *requisitas ad debitam aquae baptismalis infusionem.*

R. « Licet baptismus conferri valide possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem aut per asper-

(1) « C'est par grâce (χάριτι) que Jésus a participé à la filiation, n'étant pas né du Père par nature, avec cependant ce privilège au-dessus des autres, qu'il a acquis la filiation par son union avec le Verbe, ce qui lui en vaut une plus importante communication », fragment uit *De Incarnatione*, vertaald door Tixeront, *o. c.*, p. 21.

sionem ; primus tamen vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineatur (1) ; ita ut *a*/ trina ablutione *b*/ caput baptizandi perfundatur, vel immergatur *c*/ in modum crucis *d*/ uno et eodem tempore quo verba proferuntur, *e*/ et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians » (Rit. Rom., II, 1, 10 (2).

Prænotandum. Ut valide conferatur baptismus, debet semper fieri aliqua *ablutio vera*, ut communiter intelligitur, et *immediata* seu quae tactu physico corpus afficiat.

Actio enim externa vere significet oportet internam animi ablutionem.

Triplici autem modo potest valide fieri haec ablutio :

a/ per *infusionem*, qua aqua tantum in caput affunditur. Hic modus semper in usu fuit, saltem ad modum exceptionis, ut patet ex textu *Didache*, c. VII, 3 (3), et ex baptismo interdum in carcere detentis (4) aut in lecto decumbentibus (5) collato. Hodie autem solus adhibetur (a saec. XII-XIV) in Ecclesia latina.

b/ per *immersionem* totius corporis in aquas (6), qui modus adhiberi solet in Ecclesiis ritus Orientalis (praeterquam apud Syros) et, pro parvulis, in ritu Ambrosiano. Per priora saecula universim in usu erat.

---

(1) Cfr codicis can. 758, ex cujus textu verba « aut mixtus ex utroque » in novissima Ritualis editione typica fuerunt addita.

(2) Citati textus commentarium vide ap. *Collat. Brugen.*, X (1905), 557-560. Cfr A. Desmet, *De Sacramentis in genere, de Baptismo et Confirmatione*, ed. altera, 1925, nn. 223-227.

(3) « Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in aqua viva [fluente]. Sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, in calida. Si autem neutram habes, *effunde in caput ter aquam* in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ».

(4) *Act. Apost.*, XVI, 33 ; cfr Martyrium ss. Fructuosi, Auguri et soc.

(5) Ut refertur v. g. de Novatiano in ep. s. Cornelii ad Fabium (ap. Cabrol-Leclercq, *Reliquiæ liturgicæ vetustissimæ*, n. 2311 ; cfr p. CLII et CLIII). Hujusmodi baptismi validitatem vindicat S. Cyprianus in epist. LXIX ad Magnum n. 12 (ed. Hartel, II, 760).

(6) Videtur tamen baptismum per immersionem sæpe ita administratum fuisse, ut dum baptizandus stabat in aqua partim immersus, in caput et truncum emergens affunderetur aqua. Et hoc significare videntur. Ritualis verba : modus « mixtus ex utroque ».

c/ per *aspersionem* quae sufficienter attingat singulas personas ut vera ablutio habeatur, qualem supponunt factam v. g. a s. Petro tria millia hominum baptizante ap. Act. Apost., II, 41 (1).

Ultimus modus ex Ritualis et can. 758 praescripto licite non jam admittitur. Ceteri modi retinentur, non tamen pro lubitu sed juxta usum in Ecclesiis receptum. In Ecclesiis ritus latini romani, nonnisi per infusionem baptizare licet (2).

II. **Ad debitam aquae baptismalis infusionem** requiritur a Rituali :

1. *Trina ablutio*. Ad veram *ablutionem* requiritur aquae sufficiens copia et aliquis motus seu fluxus (3). Quare injungit Rituale (II, 1, 13 et IV, 39-40) ut aqua « fundatur » vel « infundatur » ut « defluat ». Ex natura rei indifferens est utrum aqua admoveatur nuda manu an vero ope alicujus instrumenti. In solemni tamen baptismo petit Rituale usum vasculi, seu urceoli aut cochlearis (II, 1, 59 ; II, 19 ; IV, 39).

Non unica sed *trina* facienda est infusio, non quidem ad validitatem sed extra casum necessitatis (II, II, 29) ad liceitatem (II, II, 19; IV, 39). Hunc usum antiquissimum testantur jam Didache (loco supra citato) et Tertullianus dicens : « Nec semel, sed ter, ad singula nomina in Personas singulas tinguimur » (4). Ex quibus verbis elucet ablutionem ter repeti in professionem SS. Trinitatis.

---

(1) Cfr *L'Ami du clergé*, 1924, p. 167 s.

(2) Quamvis tamen Rituale pluries agat de baptismo per immersionem.

(3) Unde S. C. Rom. et Univ. Inquisitionis interrogata de baptismo collato « per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto » respondit (14-16 sept. 1899) : ita baptizati « iterum baptizentur, privatim, sub conditione », ap. *Collat. Brugen.*, IV (1899), p. 312.

(4) *Adv. Praxeam*, 26 (ed. Æ. Kroymann, parte III, 279).

2. *In caput* facienda est triplex infusio (II, II, 19; IV, 39, 40). Si enim corpus integrum non abluatur, debet fieri ablutio in corporis parte tam insigni ut inde homo totus moraliter dici possit ablutus. Hujusmodi autem membrum præ ceteris est caput « in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores » (1) ita ut totum corpus merito repræsentet. Si autem quis ex necessitate in alia corporis baptizatus fuerit, v. g. infans qui ex utero manum aut pedem emisit, « est rursus sub conditione baptizandus (II, I, 20) in capite ».

Rituale non determinat in qua parte capitis aqua sit infundenda, in vertice an in fronte. Auctores communius dicunt infantem tenendum esse ut habeat faciem pronam in terram et aqua effundatur in verticem ut versus frontem defluat et « recipiatur in subjecta aliqua pelvi, et in sacrarium projiciatur » (II, IV, 40) non in ipsum fontem baptismalem. Spectato tamen Ritualis silentio, damnanda non est praxis contraria, a quibusdam usurpata, effundendi aquam in frontem ut versus summitatem defluat. Si baptizandus sit capillatus, sacerdos manu sinistra capillos dividat et discriminet.

3. *In modum crucis* facienda est unaquaeque infusio (II, II, 19; IV, 39). Ideo Rituale ponit signum crucis in verbis Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † sancti (II, II, 19, 20, 22; IV, 39, 40). Vult ita Ecclesia ritu externo expressius significare totam sacramenti efficaciam a Christi morte in cruce derivari (2).

4. Non tantum ex præscripto Ritualis sed ad validitatem sacramenti debet « caput baptizandi perfundi *uno et eodem tempore quo verba proferuntur* ». Nisi enim conjungantur materia et forma, non conficitur sacramentum.

Et quomodo convenientius trinae infusioni aptentur verba unius formæ, distincte docet Rituale (II, II, 19;

---

(1) S. Thomas, *Sum. theol.*, III, q. 66, a. 7, ad 3.
(2) Cfr C. Callewaert, *Caeremoniale in missa*, 1922, n. 61.

IV, 39) : « ter fundit... et *simul* verba proferens semel tantum distincte et attente dicit : N. Ego te baptizo in nomine Pa † tris, *fundat primo*, et Fi † lii, *fundat secundo*, et Spiritus † Sancti, *fundat tertio* ». Singulæ itaque infusiones respondent singulis nominibus Personarum SS. Trinitatis, ut jam docebat Tertullianus.

5. Tandem ut *idem sit aquam adhibens et verba pronuntians*, est de necessitate sacramenti, quum secus non verificarentur ipsius formae verba : *Ego te baptizo* (1).

Nota. Eo momento quo fit infusio debent patrinus et matrina (si ambo admittantur) infantem tenere (II, II, 19) vel « admota manu, tenere seu tangere electum » (II, IV, 39).

(1) Ob hanc rationem S. C. de Sacramentis, die 17 nov. 1916, invalidum declaravit baptismum in quo ministellus pronuntiaverat formam, dum baptizanda ipsa se submersit. *Act. Ap. Sed.*, VIII, p. 478 ss.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis januarii propositas.

—

I.

In Jo., VIII, 46-59. — Homilia.

Q. *Interpretare, per modum homiliæ, Evangelium quod legitur in Missa Dominicæ Passionis* (Jo., VIII, 46-59), *notis interjectis in lucem ponendo malas dispositiones, continuo crescentes, adversariorum Jesu* (46 s.; — 48 s.; — 50 ss.; — 54 ss.; — 58 s.), *dictaque applicando eis qui hodiedum Christo et Ecclesiæ adversantur.*

R. Homiliam hujus Dominicæ sic ordinaremus ut, præmissa animadversione generaliori quæ ad audiendam Evangelii lectionem auditores introduceret, ulterius assignatæ sectiones minores cum propriis introductionibus specialioribus et applicationibus separatim legerentur, — in hunc fere modum.

Animadversio introductoria generalis. Multum jam tempus transegit Jesus vitæ suæ publicæ, verbo doctrinam suam docens eamdemque continuis miraculis ut divinitus veram obsignans. Multi se converterant ; multi quoque, et signanter duces populi vixnon omnes Evangelio restiterant. Iterum admonere eos vult Jesus, irrationabilitatem incredulitatis suæ eis patefaciens. Incassum autem eunt omnia ; imo ad continuo pejora adversarii Jesu abducuntur.

1. *Christo prædicanti ipsi, vitiis obcæcati, veritati quantumvis manifestæ credere recusant.* — Legantur vv. 46-47.

Utique, nullius peccati Jesum insimulare poterant ejus

adversarii, adeoque nec veracitatem ejus in dubium revocare, v. 46ᵃ. Quare ergo, si, ut fateri debent, veritatem dicit eis, non credunt ei, v. 46ᵇ ? — Responsum præbet ipse Jesus : Si ex Deo essent, si genuini essent filii Dei, si Deo adhærerent ejusque legem servarent, certe Deo crederent ; isti non credunt, quia Deum non amant. Jesus fuisset ille Messias quem exspectabant plerique Judæi, signanter Jesu adversarii, rex terrenus, potens, dives, deliciis affluens ; si docuisset, exemplo et verbo, liberum esse homini vitiis et concupiscentiis hujus mundi indulgere, certe credidissent ei ; ast talis non erat Jesus, sed pauper, humilis, austerus ; proclamans beatitudinem paupertatis, puritatis, humilitatis ; et ideo, ipsi vitiis traditi, sequi eum ejusque amplecti doctrinam recusant. Cfr *Jo.*, III, 19.

— Nonne et hodie de multis sane qui fidem rejiciunt vel et impugnant idem dici potest ? Nonne superbia mentis et pravitas morum via sunt ad imminutionem aut imo amissionem spiritus fidei, imo ipsius fidei ? Nonne contra morum innocentia optima fidei tutela ?

2. *Christo impie insultant.* — Legantur vv. 48-49.

Manifestam fecit Jesus causam incredulitatis auditorum suorum, occasionem præstans ut a pravitate vitæ se convertentes ad fidem accedere valerent. Occasionem respuunt, impie insultantes Jesu, eum accusantes esse Samaritanum, i. e. a populo Dei extraneum eique inimicum, imo et possessum a dæmone, quasi nimirum, ut olim fecerat diabolus, seipsum superbe exaltaret dignitatem insectans minime sibi congruam, v. 48. — Hanc ultimam accusationem confutat Jesus : Talis ego non sum, nihil quærens nisi gloriam Patris mei, v. 49ᵃ et v. 50ᵃ.

— Nonne et increduli nostri impie insultant Ecclesiæ ? Nonne signanter eam accusant superbiæ et jactantiæ, quasi jura et independentiam requireret sibi haud congruam, — dum tamen Ecclesia, ancilla Dei, in omnibus sectatur jura Dei et quærit Dei gloriam ?

3. *Minas et promissiones æternas ludibrio habent.* — Legantur vv. 50-53.

Quo adversarios suos ad resipiscentiam adducat, proponit eis Jesus hinc pœnas quæ eos manent, nisi convertantur : *Vos inhonoratis* (græce) *me*, v. 49[b] ; *est qui quærat* gloriam meam *et judicet*. Deus Pater, qui miraculis meam dignitatem manifestat, vos pertinaces judicabit et puniet, v. 50[b], — hinc mercedem quæ eos exspectat si credunt : *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum* : vitam æternam habebit, v. 51.

Admonitionem Jesu spernunt adversarii promissionemque mercedis ludibrio habent : Utique, teipsum exaltas ultra meritum, habes dæmonium, nam etiam dæmonium ita egit. Abraham enim mortuus est et prophetæ : et tu audes sequentibus te vitam æternam promittere ! Abraham et Prophetis majorem te facis, v. 52 s.

— Nonne et increduli nostri sicut infernum ita et cælum, minas et promissiones divinas ludibrio habent ?

4. *Verba Jesu scientes volentes in sensum absurdum detorquent.* — Legantur vv. 54-57.

Quo adversarios evidentia percellat, provocat Jesus ad miracula sua, signa indubia divinitatis doctrinæ suæ. Si ego solus meipsum exaltarem, esto, hanc gloriationem meam merito despiceretis ; sed Deus, Pater meus, per miracula mea manifestat meam dignitatem, v. 54, Deus ille quem vos practice rejicitis, rejecta ejus lege, sed quem novi ego, voluntatem ejus adimplens, v. 55. Sic autem præpositis miraculis in confirmationem eorum quæ dicturus est, jam statim addit solemnem affirmationem excellentiæ suæ, præponens se ipsi Abraham, quem Judæi sane ut patrem suum maximumque Patriarcharum venerabantur : Abraham præ gaudio exsultavit optans ut aliquando videret diem vitæ meæ in terra ; jam de limbis, ubi degit, vidit seu nuntium accepit meæ apparitionis in hac terra.

Judæi affirmationem Jesu ludibrio habent verbaque ipsius in absurdum sensum detorquent. Ecce, locutus fuerat Jesus de visione quadam spirituali ; ipsi objiciunt

visionem materiali sensu intellectam ; locutus fuerat Jesus de visione Abrahae ; ipsi objiciunt quasi de visione sua dixisset, v. 57.

— Nonne et increduli hodierni, quo facilius doctrinam Ecclesiæ impugnent, eam in sensus absurdos detorquent?

5. *Vim physicam adhibent.* — Lege vv. 58 s.

Dictis adversariorum se accommodans Jesus, affirmat utique se Abraham videre potuisse, siquidem antequam Abraham fieret, ipse jam erat ; imo hanc suam existentiam adeoque divinitatem verbo temporis absoluti : *ego sum* enuntiat.

Judæi hanc divinitatem Jesu despicientes, vim physicam aggrediuntur, tollentes lapides ut jacerent in eum. Ast Jesus, his omnibus modis agendi pertæsus, abscondit se et exivit de templo.

— Nonne et oppositio incredulorum interdum in persecutionem cruentam deflectit?

Eheu ! nonne timendum ne etiam ab incredulis nostris hodiernis subtrahat et abscondat se Jesus, exiens e medio eorum, denegans eis gratias illas uberiores quibus a prava vita et incredulitate sua reduci adhuc possent. — Quanta nobis omnibus admonitio ne gratiæ Dei resistamus !

A. Vander Heeren.

II.

De scientia Christi naturaliter acquisita.

Q. *Breviter describe scientiam Christi naturaliter acquisitam.*

R. — Scientia Christi naturaliter acquisita « proprie est scientia *secundum modum humanum*, non solum ex parte subjecti recipientis, sed etiam ex parte causæ agentis. Nam talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est animæ humanæ connaturale. Scientia autem infusa attribuitur animæ humanæ secundum lumen desuper infusum ; qui modus cognoscendi est proportionatus naturæ angelicæ. Scientia vero beata,

per quam ipsa Dei essentia videtur, est propria et connaturalis soli Deo, ut in prima parte dictum est » (1).

Differt itaque scientia Christi naturalis a scientia supernaturali ipsius, tum infusa tum beata Hæc enim scientia *beata* habetur *sine specie creata* (2); *infusa* obtinet *per species creatas*, sed desuper *inditas*, cum quibus anima Christi potest intelligere *sine ulla conversione ad phantasmata* (3); scientia vero Christi *naturalis* eadem est prorsus ac ea quæ in nobis existit. Acquiritur *per operationem intellectus agentis*, qui *abstrahit species* a phantasmatibus et easdem imprimit intellectui possibili, qui sic informatus sibimet exprimit quidditatem rei (4); species autem conservantur in intellectu possibili (5), qui quando necesse est intellecta rursus intelligere, oportet tamen *denuo sese convertat ad phantasmata*, « in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet » (6).

Quod *originem* talis scientiæ spectat, duplex datur modus eamdem obtinendi, « scilicet inveniendo et addiscando; modus qui est per inventionem est præcipuus: modus autem qui est per disciplinam est secundarius.... Et ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam *per inventionem* quam per disciplinam, præsertim cum ipse daretur a Deo omnibus in doctorem » (7). Et enim « Christus constitutus est a Deo

---

(1) *Sum. theol.*, III, q. 9, a. 4, c. coll. I, q. 12, a. 4. c.

(2) Certo non datur species *impressa*, uti exponit ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Disquisitio dogmatica de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata*, n. 73, apud *Collat. Brugen.*, XVI (1911), p. 168; ad n. 78 s., p. 171 s. vide disputationem de specie *expressa* in visione faciali et cfr VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 304, p. 204 s., Brugis, 1917.

(3) Vide responsum præcedens, p. 85.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, XXV (1925), p. 431 s., ubi cognitionem humanam, ad illustrandum modum cognoscendi angelicum, paucis explicavimus.

(5) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 84, a. 7, ad 1, coll. q. 79, a. 6 et a. 7, c.

(6) *Ibidem*, q. 84, a. 7, c. coll. *Quæst. disp. de veritate*, q. 19, a. 1, c.

(7) *Sum. theol.*, III, q. 9, a. 4, ad 1.

caput Ecclesiæ, quinimo omnium hominum, ... ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent, sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Unde ipse dicit : In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (1). Et ideo non fuit conveniens ejus dignitati ut a quocumque homine doceretur » (2).

Secundum hanc scientiam acquisitam *verus* quidam *profectus* in Christo erat possibilis, quem alioquin testantur litteræ sacræ : « Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines » (3).

Porro scientiam beatam et infusam Christus « a principio perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive : et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim et post aliquod tempus, scilicet in perfecta ætate » (4) ; attamen « dicendum [est] quod hæc etiam scientia in Christo semper fuit perfecta secundum tempus ; licet non semper fuerit

---

(1) *Jo.*, XVIII, 37.

(2) *Sum. theol.*, III, q. 12, a. 3, c. ; in a. 4 probat s. Thomas Christum nihil etiam ab angelis accepisse.

(3) *Luc.*, II, 52. — Adverte autem hunc verum progressum non fuisse nisi *secundum quid*, id est, secundum scientiam experimentalem, adeoque non importare *ignorantiam* sed potius *nescientiam* et cfr *Collat. Brugen.*, X (1905), p. 499, n. 1 necnon XI (1906), p. 581. Habetur tamen verus progressus *secundum essentiam*, id est, Christus vere acquisivit novum habitum scientiæ, et non fuit totus profectus *secundum experientiam*, « id est, per conversionem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata », uti quidam dixerunt et ipse s. Thomas antea docuit in commentariis suis in libros Sententiarum Petri Lombardi. Hanc autem opinionem, juxta quam « scientia Christi profecit secundum experientiam, convertendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea quæ de novo per sensum accepit », nunc retrahit Angelicus (*Sum. theol.*, III, q. 12, a. 2, c), quia, ait, « inconveniens videtur quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles a phantasmatibus sit quædam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem ».

(4) *Sum. theol.*, III, q. 12, a. 2, ad 1.

perfecta simpliciter et secundum naturam, et ideo potuit habere augmentum » (1).

Ex hac denique scientia Christi naturali, oportet explicare testimonia quædam sacra, in quibus dicitur Christus *interrogasse* homines, quod supponit aliquid nondum notum, aut *admiratio* ipsi tribuitur, quod pariter arguit aliquid de novo hic et nunc cognitum atque insolitum.

Jam autem interrogavit Christus *non ut doctrinam suam addisceret*, uti modo advertimus (2); sed nihil prohibet quominus interrogaverit *de factis contingentibus* naturali modo per testimonium humanum cognoscendis (3), ut puta quando petebat : « Quot habetis panes ? » (4), vel de Lazaro : « Ubi posuistis eum ? » (5). Tunc enim revera secundum scientiam naturalem addiscebat, quod certo cognoscebat scientia supernaturali, v. g. scientia beatæ visionis.

Eadem ratione explicanda venit admiratio, quæ in evangelio de Christo prædicatur haud ambigue : « Audiens autem Jesus [verba centurionis] miratus est et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël » (6). « Potuit [enim] aliquid esse ipsi novum et insolitum secundum scientiam experimentalem, secundum quam ei poterant quotidie aliqua nova occurrere. Et ideo si loquamur de ipso quantum ad scientiam divinam et scientiam beatam vel etiam infusam, non fuit in Christo admiratio ; si autem loquamur de eo

---

(1) *Sum. theol.*, III, q. 12, ad 2.

(2) Interrogationes pueri Jesu in templo sedentis in medio doctorum (*Luc*, II, 46) fuerint potius ad docendum, excitando cogitationes ac dubia, atque revera legimus v. 47 : « Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, et responsis ejus ».

(3) Talis fides humana naturalis non repugnat scientiæ et perfectioni Christi ; vide *Collat. Brugen.*, XI (1906), p. 627 s.

(4) *Mt.*, XV, 34.

(5) *Jo.*, XI, 34.

(6) *Mt.*, VIII, 10.

quantum ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit: et assumpsit hunc affectum ad nostram instructionem, ut scilicet doceat esse mirandum quod etiam ipse mirabatur » (1).

H. Lamiroy.

III

De materia remota sacramenti pœnitentiæ.

Q. *Demonstra potestati clavium subjici sola peccata quæ post baptismum committuntur.*

R. Potestas *clavium*, prouti hic accipitur, est essentialiter potestas remittendi ac retinendi *peccata* in foro *interno* seu conscientiæ ; hæc porro potestas est essentialiter *judicialis*, utpote quæ solo judicio excerceri valeat, judicio scilicet cujus objectum est peccatum quatenus homo reus est *coram Deo.*

Illa potestas judicialis in foro conscientiæ sedulo distinguenda est a potestate judiciali (2) quam Ecclesia *qua societas* habet in sua membra et exercet in foro *externo.* Hisce præmissis, respondemus :

1) Licet de potentia Dei *absoluta* fieri potuisset ut sacerdotibus Ecclesiæ hac in terra concederetur potestas remittendi et retinendi in foro conscientiæ peccata *non-baptizatorum*, tamen de potentia Dei *ordinata* id fieri non potest : etenim Deus res ita disposuit ut in præsenti rerum ordine homines per Ecclesiam fierent sancti et salvi, adeoque hujus Ecclesiæ præpositis contulit et commisit omnia media salutis, et ita quidem ut aggregatio ad Ecclesiam ex ordinaria Dei providentia sit medium

(1) *Sum. theol.*, III, q. 15, a. 8, c. coll. *Collat. Brugen.*, XI (1906), p. 629.

(2) Ecclesia a Christo instituta est ut societas et triplicem habet potestatem, scil. potestatem docendi, regendi, sanctificandi. Potestas regendi est potestas jurisdictionis, quæ et ipsa triplex est : legislativa, judiciaria, coërcitia ; cfr *Collat. Brugen.*, t. XIII (1908), p. 26 ; t. VI (1901), p 514 s.

necessarium (1) sanctificationis et salutis : ex illa ordinatione jam intelligitur potestatem remittendi et retinendi in foro conscientiæ peccata *nonnisi in subditos* Ecclesiæ esse exercendam.

Id etiam probant verba s. Pauli in I Cor., v, 9-13. In hoc loco invocatur generale principium : ad solum Deum pertinere judicium ferre peccatoris qui non est membrum Ecclesiæ. Si Ecclesia haberet potestatem judicialem remittendi et retinendi in foro interno peccatum hominis nondum baptizati, intelligi non posset quomodo s. Paulus sine ulla restrictione hoc principium poneret. En textum : « Scripsi vobis in epistola : Ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus : alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri : si is, qui *frater* nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax : cum ejusmodi nec cibum sumere. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare ? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis ? nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit* ».

Accedit quod ampla potestas clavium Petro promissa continet, juxta Patrum doctrinam, inter alia potestatem remittendi et retinendi peccata in foro conscientiæ. Atqui hæc potestas exercenda est in *membra Ecclesiæ* militantis, quæ in textu Matthæi, xvi, 13-19, regnum cœlorum vocatur.

2) Hucusque probavimus peccata eorum qui nondum sunt membra Ecclesiæ clavibus remitti non posse. At quæri potest an *baptizatus* unquam vi clavium absolvi possit a peccatis quæ *ante* ablutionem sacramentalem commisit. Et quia notum est fideles nonnunquam petere absolutionem sacramentalem ab aliquo peccato quod jam

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII (1923 , p. 139 ss., ubi demonstratur actualem conjunctionem cum Ecclesia esse de necessitate *medii* pro omnibus hominibus, de necessitate vero *præcepti* insuper pro omnibus adultis.

antea clavibus vel alio medio remissum est, inquirimus *a*. an unquam contingere possit ut aliqua culpa sive *mortalis* sive *venialis*, *ante* baptismum admissa, post baptismum infructuose susceptum clavibus *primum* remitti possit et *b*/ si hoc fieri nequeat, an talis culpa *jam* alio medio *remissa* postea tamen adhuc constituere possit materiam validæ absolutionis sacramentalis.

a/ Quod attinet priorem *casum*, notum est baptismum, in re vel in voto susceptum, esse medium necessarium justificationis non-baptizatorum, unicum medium quo *mortalia* peccata eorum deleantur. Peccata mortalia eorum remittuntur vel jam *ante* baptismum, per contritionem perfectam cum voto sacramenti, vel *momento quo baptizantur*, si sacramentum suscipitur cum debita attritione. Quodsi baptismus infructuose suscipiatur ob defectum attritionis de mortalibus, hæc peccata delentur *postea quando*, obice remoto, *baptismus reviviscit*.

Venialia autem, dummodo quis jam justificatus sit (1) contritione perfecta cum voto baptismi, deleri possunt jam ante ablutionem sacramentalem fervore caritatis. At non raro continget remanere reatum unius alteriusve culpæ venialis vel pœnæ temporalis. Porro remanens ille reatus deletur sacramento aquæ, sive ipso momento ablutionis, si obex non datur, sive postea quando, obice remoto, sacramentum reviviscit (2). Obex autem est defectus attritionis.

Jamvero, quia pœnitentia est sacramentum quod valide suscipi nequit ante baptismum *in re* susceptum, et

---

(1) Nullum peccatum veniale remittitur in eo qui versatur in peccato mortali et reus est pœnæ æternæ.

(2) Si adultus sine debita attritione de peccatis suis *mortalibus* baptizatur et postea attritionis actum elicit, sacramentum producit gratiam sanctificantem et dicitur, hoc momento quo obex removetur, *reviviscere simpliciter*. Quodsi, accedit tunc quoque attritio de *venialibus* ante baptismum commissis, hæc etiam quoad reatum culpæ et pœnæ remittuntur et dicitur sacramentum *reviviscere secundum quid*.

nullum remittitur peccatum nisi de eo adsit attritio, sequitur ex prædictis nullum peccatum ante baptismum commissum a christiano cum debita attritione accusari in confessione quin, nisi jam antea sit remissum, hoc ipso momento *vi baptismi reviviscentis* deleatur.

Nunquam itaque contingit aliquam culpam sive mortalem sive venialem, ante baptismum admissam, post infructuosam hujus sacramenti susceptionem clavibus *primum* remitti.

b/ Præterea, quod attinet *alterum casum*, talis culpa, *semel remissa*, postea non constituit materiam validæ absolutionis (1). Hæc doctrina certa est, etsi non definita.

α) Id constat abunde ex documentis ecclesiasticis in quibus materia sacramenti pœnitentiæ memorantur *sola* peccata *post* baptismum commissa. Sic, epistola s. Leonis I ad Theodorum episcopum, 11 junii 452, in qua legimus : « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ repararetur æternæ, ut *qui regenerationis dona violassent*, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent.... » (2). Sic concilium lateranense IV : « Et *si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum*, per veram potest semper pœnitentiam reparari » (3). Concilium autem tridentinum pluribus in locis eodem modo loquitur. Sic in sessione VI, capite 14 : « Pro iis, qui *post* baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit pœnitentiæ » (4).

---

(1) Aliis verbis : peccatum, quod ante baptismum commissum est remittitur, si sit mortale, baptismo in re vel in voto ; si sit veniale, baptismo aquæ vel, in eo qui contritione perfecta cum voto sacramenti ante baptismum justificatur, fervore caritatis aliisque mediis. Peccatum vero ante baptismum commissum et prædictis modis remissum nunquam constituit materiam validæ absolutionis.

(2) Cfr *Enchiridion symbolorum*, n. 146.

(3) *Ibidem*, n. 430.

(4) *Ibidem*, n. 807.

In sessione XIV, cap. I vocat pœnitentiam sacramentum « quo *lapsis post baptismum* beneficium mortis Christi applicatur » (1). In canone autem 1° de sacramento pœnitentiæ statuit : « Si quis dixerit, in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum *pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur*, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum : anathema sit » (2). Titulus autem IV *De pœnitentia* codicis juris canonici hoc canone introducitur : « In pœnitentiæ sacramento, per judicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, *fideli* rite disposito remittuntur peccata *post baptismum* commissa » (3).

β) Hujus rei ratio remota est certe voluntas Christi. Proxima vero ratio in natura baptismi et pœnitentiæ latet :

Pœnitentia, utpote uti dicitur baptismus *laboriosus*, destinatur illis qui in lumine fidei peccaverunt, baptismus vero aquæ iis qui peccaverunt in cœcitate erroris.

Constat quoque ex s. Scriptura baptismum ad mentem et juxta ordinationem Christi esse sacramentum *generationis* ad vitam gratiæ, *initium novæ creaturæ* in Christo Jesu. Qua de causa, baptismus est *terminus a quo* incipit ambitus seu sphœra activitatis ceterorum sacramentorum. Quod non parum confirmatur efficaciâ baptismi, quo deletur omnis antecedens reatus sive culpæ sive pœnæ, ita ut nihil remaneat pristini status peccati quod baptismo non deleatur, sive momento fructuosæ susceptionis, sive momento reviviscentiæ et sub hoc respectu baptismus nullo sacramento ulterius perfici debeat aut possit.

Nota. Peccatum *sacrilegæ susceptionis* baptismi est materia sacramenti pœnitentiæ. De hac re scribit Card. Billot : « Fictio potest esse vel formalis, vel mere mate-

---

(1) *Ibidem*, n. 894.
(2) *Ibidem*, n. 911.
(3) Canon 870.

rialis. Est mere materialis, si consistat in involuntaria seu inculpabili omissione dispositionis necessariæ, puta quia adultus bona fide accedit ad sacramentum, non habens de peccatis suis attritionem vere sufficientem, sed existimatam tantum. Est formalis, si sit graviter culpabilis, puta quia homo sciens et prudens suscipit baptisma sine fide vel dolore de peccatis, sine voluntate restituendi ablatum, sine firmo proposito vivendi caste, etc.

De ipsa autem *formali* fictione ulterius considerandum est quod computari debet inter peccata post baptismum commissa, quæ clavibus Ecclesiæ in sacramento pœnitentiæ sunt subjicienda. Etenim peccatum fictionis hic accipitur præcise in quantum impedit fructum sacramenti ; porro non impedit fructum sacramenti, nisi prout perseverans ipso instanti quo deberet haberi ultimus gratiæ effectus. Cum autem ultimus sacramenti effectus sit *natura posterior*, tum sacramento, tum charactere quo quis christianus efficitur, sequitur quod fictio in quantum sacramentalem gratiam impediens, sit et ipsa baptismo posterior, etsi non posterioritate temporis, at certe posterioritate naturæ. Non ergo dicitur subjiciendum esse clavibus Ecclesiæ peccatum fictionis, prout baptismum antecessit ; hoc enim modo per baptismum ipsum, remoto obice, auferetur. Sed nec ante instans baptismi fuit fictio consummata, quia usque ad dictum instans potuit homo mutare voluntatem suam, et se ad gratiam disponere. Quare fictio seu obex gratiam sacramentalem impediens, præcise in quantum hujusmodi, ordine dependentiæ, sacramenti collationem consequitur » (1).

Ex prædictis sequitur peccaminosam voluntatem suscipiendi sacrilege baptismum, dummodo ante ipsam ablutionem retractetur, ipso baptismo remitti. Fictio autem mere *materialis*, cum non sit peccatum formale, clavibus non est subjicienda.

V. Coucke.

---

(1) Billot, *De Ecclesiæ sacramentis*, I, thesis xxx, p. 259 s., Romæ, 1900³.

IV.

Casus de jejunio eucharistico.

Q. *Titius nocte sitiens bibit aquam. Promiserat autem se mane communicaturum esse. Post factum, recordatur promissionis suæ et dicit apud se : « Non aspiciam horologium ut mane, quia probabile erit me esse jejunum, ad s. synaxim accedere possim ». Antequam ad ecclesiam accedat, id narrat matri suæ, quæ filium suum ad confessarium remittit ad exponendum casum. Solve difficultatem.*

R. 1 Titius nocte commisit, objective loquendo, grave peccatum. Attamen nullam ob suam bonam fidem contraxit malitiam.

Nocte, etsi statuebat se mane communicaturum, nolebat tamen Titius examinare an verificaretur adhuc conditio jejunii naturalis a legislatore requisiti. Jamautem, non absque ratione timebat jejunium læsum esse et dubium hoc, quod facile tunc solvere poterat aspiciendo horologium, solvere noluit, sciens volensque mane idem dubium fore insolubile. Quibus perspectis, nemo non videt Titium habuisse gravem obligationem *vel* inquirendi hoc noctis momento an adhuc esset jejunus *vel* desistendi a suo proposito mane communicandi, cum obligatio servandi jejunium eucharisticum gravior sit obligatione promissionis quam fecerat accedendi mane ad s. synaxim. Itaque, statuens se mane communicaturum et simul nolens aspicere horologium, commisit *objective loquendo* grave peccatum.

Quod attinet aspectum *subjectivum*, sat nitide elucet ex circumstantiis Titium hanc suam obligationem nocte non perspexisse adeoque bona fide egisse.

Quare, confessarius edoceat Titium pro futuro, et addat eum propter suam bonam fidem nullam contraxisse malitiam.

2 Ut solvatur quæstio an possit Titius mane communicare, plura sunt consideranda :

a Imprimis, nulla datur ratio unde *probabile* sit Titium potius *ante* quam *post* mediam noctem bibisse. Errat itaque quando dicit apud se « mane *probabile* erit me esse jejunum » : **dubium est enim mere *negativum*.**

b At illa animadversio in casu non est uti videtur tanti momenti ut solutio pendeat ab ipsa. Uti docet P. Vermeersch : « In dubio tum *positivo* tum *negativo*, utrum necne quidpiam post mediam noctem sumpseris, cum communio sit res maxime favorabilis et agatur de exclusione impedimenti non autem de positiva qualitate **acquirenda, communicare licet** » (1).

Sanchez contendit in dubio negativo tutiorem partem esse eligendam propter reverentiam sacramenti. Sed, uti advertit reverendissimus Episcopus in sua dissertatione *De dubio solvendo in re morali*, lex ecclesiastica de jejunio communicaturis servando, non videtur tam arcte constringere conscientias in casu dubio. Cessante autem obligatione legis ecclesiasticæ, jam nulla est irreverentia cum tali dubio communicare » (2). Hæc doctrina hodie **communis est.**

c Verum, in casu proposito dantur circumstantiæ aggravantes. Titius proposito deliberato, etsi bona fide, noluit solvere dubium etsi facile potuisset, noluit illud solvere quamquam præviderat mane dubium fore insolubile, imo ut certo possit mane communicare, etsi forsan non jejunus. Nam arbitrabatur id tunc licitum iri favore **dubii negativi.**

De casu fere simili scribit in prædicta dissertatione Episcopus : « Magis urgeret ratio a Sanchez allata in altero casu : utrum in dubio post diligentiam moraliter possibilem perseverante an sit media nox, liceat adhuc manducare, si velis mane celebrare. Quia licet lex propter reverentiam sacramenti lata, dicatur non ita urgere ubi

---

(1) Vermeersch, *Theologia moralis*, III, 1923, n. 394

(2) Ill. ac rev. Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, 1880, p. 180.

certus non es te fregisse jejunium naturale, bene tamen urgere potest ne scienter ponas factum quod tale dubium inducat.. » (1). Solutio a fortiori valet de casu præsenti.

Pater Vermeersch, post verba supra citata, hæc addit quæ jam propius spectant ad præsentem difficultatem : « Sed non ideo fas est qualibet hora noctis comedere aut bibere et dein allegare ignorationem horæ ad communicandum. Præceptum Ecclesiæ, ut ipse usus fidelium demonstrat, hanc interpretationem non fert ».

E contrario P. Salsmans proponit hunc casum : « Sacerdos aliquis in pervigilio Pentecostes, propter duo horologia, dubius hæret utrum media nox jam advenerit necne : hoc dubium facti deducens ad dubium juris circa præsentem exsistentiam legum de jejunio, unius horologii probabilitate utitur ad copiose cenandum, alterius vero probabilitate uti statuit ad mane celebrandum quasi a media nocte jejunus ». Utramque opinionem velle usurpare peccatum est. Committit igitur sacerdos *hac nocte* peccatum, objective saltem. Addit autem laudatus auctor in nota circa *executionem* voluntatis accedendi mane ad s. synaxim : « Si quis voluisset [*nocte*] uti utraque probabilitate, bona vel *mala* fide, si *mane* objective insolubiliter dubium manet utrum post mediam noctem aliquid sumpserit, non constat Ecclesiam velle ut abstineat a communione, modo retractet intentionem objective fraudulentam. Num censenda est benigna mater Ecclesia aliquem qui probabiliter jejunus est, arcere a communione propter hanc præcise rationem quod aliquid sumpsit opinans mediam noctem jam advenisse ? » (2). Remittit autem ad periodicum *Nouvelle Revue théologique*, in quo hæc scribit : « Doit-il s'abstenir de la communion ? Par le fait seul qu'il s'est volontairement comporté pendant la *nuit* « comme mangeant après minuit », lui est-il interdit *maintenant* de bénéficier du principe universellement admis de

(1) *Ibidem.*, p. 180.
(2) Génicot-Salsmans. *Institutiones theologiæ moralis*, I, 1927, n. 81.

nos jours : Ne doit s'abstenir de la communion que celui qui est moralement certain de n'être plus a jeûn ? Nous ne le pensons pas » (1). In nota autem scribit : « Noldin admet bien (vol. I, n. 224) qu'on n'est pas exclu de la communion par le fait qu'on a rendu insoluble un doute au sujet du jeûne eucharistique ».

In casu proposito a P. Salsmans existit dubium *probabile* de jejunio læso, in nostro autem dubium mere *negativum*. Contra, in casu nostro Titius egit bona fide, in altero mala fides supponi potest.

Hisce perpensis, puto hic applicari posse quod scribit Reverendissimus de dubio negativo quando non certo constat an dubium speculativum transeat in practicum, seu quando omnibus consideratis non constat quænam pars possideat, an obligatio, an vero libertas : « Hi casus difficiliores sunt et auctores etiam inter se de principiis consentientes maxime discrepant quoad solutiones. Solutio quidem finalis indirecta suppetit : cum enim inter se dissentiant auctores, probabile erit saltem extrinsece, adeoque mediate etiam intrinsece, licere transire ad dubium practicum et poterit quis sequi quos vult » (2). Posset igitur permitti ut Titius ad s. communionem accedat.

V. Coucke.

V.

De indulgentiis realibus (3).

Q. *Explica : ut objecta pia indulgentiis ditentur, requiritur ut sint ex debita materia confecta, et ut ab habente facultatem ritu præscripto benedicantur.*

R. *Prænota.* — Apprime distinguendum est inter me-

(1) *N. R. Théol.*, 1922, p. 149.

(2) Ill. ac rev. Waffelaert, *o. c.*, p. 179.

(3) Cfr B. Melata, *Manuale de indulgentiis*, p. 129 ss ; P. Mocchegiani, O. F. M., *Collectio indulgentiarum*, p. 274 ss. ; P. Stein, O. F. M., *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, p. 39 ss. ; Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 396 ss., n. 832 ss. ; *Collat. Brugen*, t. VI (1901), p. 544 sq., t. X (1905), p. 387 ss., t. XIII (1908), p. 475 sq,

ram benedictionem et benedictionem cum applicatione indulgentiarum. Haud inutile erit hæc pauca recolere de simplici benedictione (1). Multa scilicet benedici possunt quæ tamen indulgentiis ditari non possunt, ita animalia, panis, vinum, fructus, domus, naves, cerei etc. Benedictiones, sive constitutivæ, sive invocativæ, invalidæ sunt si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia præscripta. Reliqui quoque ritus accurate servandi sunt (2): non tamen sunt ad valorem essentiales (3).

In sequentibus jam unice agimus de benedictionibus cum adnexione indulgentiarum.

1 *Objecta* quæ indulgentiis ditari possunt, sunt tantum objecta pia seu devotionalia, ut sunt coronæ, rosaria, cruces, crucifixi, parvæ statuæ, numismata, præterea scapularia et chordæ Hæc autem objecta debent esse tum materiæ tum formæ præscriptæ.

Materiam et formam scapularium et materiam chordarum aut cingulorum videsis proprio loco ubi de his speciatim objectis piis tractatur (4).

Quod autem reliqua objecta pia supra enumerata spectat, sequens statuitur norma quoad *materiam* ex qua confecta esse debent ut *indulgentiis apostolicis* ditari possint (5): « Res aptæ ad recipiendam benedictionem pro indulgentiis apostolicis lucrandis sunt tantummodo coronæ, rosaria, cruces, crucifixi, parvæ statuæ, numismata,

---

(1) Cfr can. 1148 1153. *De Sacramentalibus ; Rituale romanum*, ed. 1926, tit. VIII : A. VERMEERSCH, S. J., *Theologiae moralis principia, responsa, consilia*, t. III, p. 679 ss.

(2) Tales sunt usus superpellicei, stolæ coloris debiti, aquæ benedictæ vel et incensi.

(3) Quoad potestatem benedictiones impertiendi cfr can. 1147 et *Rit. rom.*, l. c., Regulæ generales, n. 1.

(4) Cfr BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, p. 463 ss., n. 919 ss. ; *Tractatus de indulgentiis. Theologia Mechliniensis*, ed. 4, p. 193 ss.

(5) Cfr elenchus indulgentiarum apostolicarum Pii XI, 17 febr. 1922, apud *Acta Apost. Sedis* t. XIV (1922), p. 148. *Monitum primum*. Compara cum elencho Pii X, 5 sept. 1914, *ibid.*, t. VI, p. 503.

dummodo non sint ex stanno, plumbo, vitro (1), aliave simili materia, quæ facile confringi vel consumi possit ».

Eadem autem norma et *pro ceteris indulgentiis* quibus dicta objecta ditari possunt, exceptis tamen rosariis, applicanda est (2). Unde indulgentiis instrui nequeunt v. g. imagines sive impressæ, sive depictæ chartis vel telis, nec cruces, crucifixi, parvæ statuæ, numismata ex plumbo vel stanno, ex gypso (plâtre) vel vitro insufflato. Contrà vero benedici possunt cum indulgentiarum applicatione dicta objecta confecta ex vitro fuso et pleno seu compacto, ex ebore, corallio, concha margaritifera (nacre), succino flavo (ambre jaune), encausto (émail), alabastro, marmore, similibusque materiis solidis, uti sunt lignum durum, « carton-madera » (3), quæ non facile consumuntur aut deteriorantur. Nec ampliùs excluduntur objecta ex ferro, aut ex chalibe (acier) confecta (4).

Quod autem *subjectum repræsentatum* spectat : « Imagines sanctorum alios ne repræsentent quam rite canonizatos vel in probatis martyrologiis relatos » (5). Attamen

---

(1) Hac prima vice *vitrum* expresse nominatur tamquam materia inepta. Intelligi autem debet vitrum insufflatum, ita ut vitrum solidum atque compactum sit materia apta. Cfr *Periodica de re canonica et morali*, t. XI (1922), p. 42. Ita explicite responsum est pro materia coronarum per decr. s. Pœnit. 21 dec. 1925, ad tramitem decr. S. C. Ind. 29 febr. 1820. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 187.

(2) Cfr Decr. S. C. Ind. 29 febr. 1820, *Decr. auth.*, n. 240 ad I-II, coll. decr. 24 jan. 1846, *ibid.*, n. 333. Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 277 sq. ; *Tractatus de Indulgentiis*, p. 17. Hæc igitur regula quoad *rosaria* ex praesenti et ex praecedenti nota deduci potest. Possunt rosaria ditari omnibus indulgentiis sibi convenientibus, *exceptis apostolicis*, etiamsi sint ex stanno aut plumbo. Quodsi sint ex vitro, scilicet solido et compacto, omnibus iisdem indulgentiis, etiam apostolicis, instrui possunt.

(3) Resp. S. C. Ind. 1 aprilis 1887. Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 277.

(4) Cfr Decr. S. C. Ind. 22 martii 1889, *Decr. auth.*, n. 271 ad II. Similiter nullum dubium apta esse objecta ex « aluminium », « similior », « vieil-argent ». Quod quatuordecim cruces attinet quæ viam crucis constituunt, eæ debent esse ligneæ. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI, (1926), p. 230.

(5) Ita statuitur pro applicatione indulgentiarum apostolicarum, in elencho Pii XI, *l. c.*, *Monitum secundum*. Cfr Decr. S. C. Rit. 16 junii 1674. *Decr. auth.*, S. C. S. Rit., n. 1520.

indulgentiæ possunt applicari illis numismatibus quæ duplicem imaginem, sancti videlicet et beati, præ se ferunt (1). Imo, si ex una parte repræsentetur sanctus, ex alia parte numisma referre potest imaginem crucis, pontificis, templi etc. (2).

2/ *Facultas.* — Nullus sacerdos valet impertire quamvis benedictionem cum indulgentiarum applicatione nisi legitima prius obtenta ad hoc facultate, sive immediate a s. Sede, sive mediantibus superioribus religiosis ad quos spectat, aut confraternitatibus etc. tale privilegium conferentibus. In usu autem dictæ facultatis sedulo servandæ sunt omnes clausulæ indulti, ut quando stipulatur utendum esse facultate *privatim* tantum, *de consensu Ordinarii*, dummodo ad excipiendas confessiones *approbatio* obtenta fuerit, in *locis* non exceptis.

a/ Jam autem sacerdos qui habet facultatem benedicendi objecta pia cum applicatione indulgentiarum, non potest ea facultate *legitime* uti publice, v. g. in ecclesia vel oratorio, coram fidelibus ibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus, aut iisdem rebus super aliquo altari depositis, si in indulto facultatis sit clausula *privatim* (3). Atvero, ut nobis videtur, qui in hoc casu publice benediceret, illicite quidem ageret, at valide tamen sua facultate uteretur.

b/ Si in indulto concessionis addatur clausula : *de consensu Ordinarii*, requirendus est consensus Ordinarii loci in quo facultas exercetur (4). Hujusmodi consensus requi-

---

(1) Cfr Decr. S. C. Ind. 22 dec. 1710, *Decr. auth.*, n. 32. Adverte tamen numisma scapularibus sufficiendum ex una parte imaginem D. N. J. C. suum cor ostendentis, ex altera vero B. M. V. effigiem referre debere. Cfr Decr. S. Officii (sectio de indulgentiis), 16 dec. 1910, apud *Collat. Brugen*, t. XVI (1911), p. 148 ss., p. 301 ss.

(2) Cfr Theodorus a Sp. s., *Tractatus dogmatico-moralis de indulgentiis*, p. II, c. III, § VI ; Melata, *o. c.*, p. 131.

(3) Cfr. Decr. S. C. Ind., 7 jan. 1843, *Decr. auth.*, n. 313, et decr. 6 maii 1852, *ibid.*, n. 359.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XIII (1908), p. 475.

ritur ordinarie *ad liceitatem* tantum. Optandus quidem est consensus expressus, attamen, nisi aliter explicite statuatur (1), sufficit etiam tacitus vel implicitus, et in aliquo casu, quando practice aliter fieri nequit, sufficit etiam consensus prudenter præsumptus (2).

Tunc tantum requiritur consensus Ordinarii *ad valorem*, quando id expresse in indulto edicitur (3).

Adverte quod clausula de consensu Ordinarii spectat etiam ad regulares exemptos, nisi quando agitur de exercenda facultate intra septa tantum proprii conventus vel domorum residentialium : quo casu sufficit licentia proprii abbatis, provincialis vel generalis (4).

Quando facultates ab Apostolica Sede obtinentur, non sunt exhibendae Ordinario, excepta tamen facultate erigendi stationes viae crucis et nisi aliter in concessionum rescriptis disponatur (5).

c/ Ad quasdam exercendas facultates exigitur *approbatio* ad confessiones audiendas. Ita in *Instructione* S. C. Indulgentiarum 14 junii 1901 supra citata legitur :

---

(1) Ita v. g. in elencho privilegiorum sacerdotalis eucharistici fœderis, ad facultatem sub n. VIII adnectendi coronis indulgentias Crucigerorum adnotatur : « Sacerdotes ... qui post diem 3 julii 1913 Fœderi nomen dederint, praedicta facultate nullimode utantur nisi de *speciali expresso consensu Ordinarii* ....

(2) *Instructio* S. C. Ind., 14 junii 1901, ubi agitur de facultate applicandi indulgentias apostolicas et s. Brigittæ per supplicem libellum a S. Sede expetita. *Collat. Brugen.*, t. VI (1901), p. 544 sq.

(3) Ita v. g. inter privilegia sacerdotibus de Opere S. Infantiæ collata recensetur facultas applicandi indulgentias apostolicas et S. Brigittae, sed ad validum usum facultatis exigitur consensus Ordinarii, uti expresse declaratur in Brevi. Cfr *Collat. Brugen.*, t. X (1905), p. 387 sq.

(4) Cfr Decr. S. C. Ind. 22 julii 1886 et Decr. 2 jan. 1888. Adverte quod in *Instructione* de qua supra in nota (2) hoc ultimum decretum mendose, ut videtur, citatur sub data 8 junii 1888. Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 284 ; Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 398, n. 835 ; Stein, *o. c.*, p. 40.

(5) Cfr Decr. S. C. Ind. 5 febr. 1841, *Decr. auth.*, n. 286, ad II. Adverte quod, quoad facultatem erigendi vias crucis, illa exhibitio Ordinario *non* sit imposita *sub pœna nullitatis*. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 135.

« Ut *valide* praefata facultas [scil. applicandi indulgentias apostolicas et s. Birgittae, de qua in textu] exerceatur, opus erit ut sacerdos ad excipiendas sacramentales confessiones saltem virorum sit approbatus » (1).

d/ Tandem in indultis non raro apponitur clausula restringens usum facultatis ad certa *loca*. Saepe dicitur facultatem valere aut exerceri tantum posse v. g. extra Urbem, aut eis tantum in locis in quibus non extent conventus ordinum religiosorum ad quos ex speciali privilegio Apostolicæ Sedis pertinet dicta facultas (2). Hæc limitatio sedulo servanda est, quum agatur de valore benedictionis. Adverte autem quod in hac restrictione vox conventus significat conventus virorum tantum (3).

3/ *Ritus servandus.* — Quando in indulto concessionis legitur *unico signo crucis*, vel *in forma Ecclesiæ consueta*, ad ditanda objecta indulgentiis sufficit signum crucis manu efformare super ea absque pronuntiatione formulæ benedictionis et sine aspersione aquæ benedictae (4). Ita simplici crucis signo adnecti possunt objectis convenientibus indulgentiæ apostolicæ et s. Birgittae, indulgentiæ crucigerorum, indulgentia plenaria in articulo mortis, indulgentiæ viæ crucis.

Pro *coronis* tamen rosarii s. Dominici et septem Dolo-

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. VI (1901) p. 544, t. IX (1904), p. 403, t. X (1905), p. 387. Adverte quod etiamsi in concessione facultatis applicandi indulgentias apostolicas et s. Brigittæ approbatio non expresse requiritur, tutius tamen erit ut hac facultate non utatur nisi sacerdos approbatus.

(2) Vide exempla apud *Collat. Brugen.*, t. X (1905), p. 388 ss., t. XXIV (1924), p. 347 sq., t. XXVI (1926), p. 135.

(3) Decr. S. C. Ind., 22 aug. 1842, *Decr. auth.*, n. 309 et Decr. 3 martii 1843, *ibid.*, n. 316.

(4) Cfr Decr. S. C. Ind., 7 jan. 1843, ad II, *Decr. auth.*, n. 313 et Decr. 11 apr, 1840, ad V, *ibid.*, n. 281. Datum est olim decretum Congregationis ss. Rituum, 12 aug. 1854 ubi dicebatur laudabile esse, dum signum crucis ducitur, pronuntiare verba : « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », resque benedicendas aqua lustrali aspergere. Cfr *Collat. Brugen.*, t. II (1897), p. 496. Hoc tamen decretum jam non comparet apud *Decr. auth. cong. ss. Rituum*, Romæ, 1898.

rum B. M. V., quarum benedictio propria est respective ordinis Prædicatorum et ordinis Servorum B. M. V., servanda est formula ritualis (1), et quidem ad validitatem.

Similiter pro *scapularibus*, ad validitatem benedictionis adhibenda est formula præscripta (2). Adverte tamen quod *numismata scapularia* ab habentibus facultatem benedicantur simplici signo crucis.

Idem dicendum videtur de omnibus benedictionibus cum applicatione indulgentiarum, pro quibus formula specialis in rituali præscripta est, hanc nimirum ad valorem esse adhibendam (3), uti v. g. pro numismate Immaculatæ Conceptionis, pro cingulo s. Thomæ etc.

Adverte tandem : « In benedicendis pluribus similibus aut diversis religionis objectis, quæ sacerdoti pluribus facultatibus munito, conjuncta vel commixta offeruntur, atque in ipsis, vigore diversarum facultatum, indulgentiis ditandis, sufficere *unicum* signum [crucis] pro pluribus benedictionibus atque indulgentiarum adnexionibus (4) ». Haec tamen declaratio non potest extendi « ad metallica numismata scapularibus substituenda, de quibus in decreto s. Officii dato die 16 decembris 1910 » (5).

---

(1) Cfr Decr. S. C. Ind., 29 febr. 1869, *Decr. auth.*, n. 401.

(2) Cfr Decr. S. C. Ind., 27 aprilis 1887 ad I, apud *Acta S. Sedis*, t. XIX, p. 558. In hoc decreto remittitur ad decretum 18 aug. 1868.

(3) Adverte tamen quod, quamvis existat in rituali specialis formula benedictionis coronarum S. Brigittæ, hæc formula tamen non est obligatoria pro sacerdote qui simul cum facultate adnectendi indulgentias apostolicas aut indulgentias crucigerorum, dictam facultatem accepit applicandi indulgentias S. Brigittæ : tunc sufficit unicum signum crucis ad duas vel ad tres indulgentias simultanee applicandas.

(4) Decr. s. Officii, sectio de indulgentiis, 18 maii 1914, apud *Collat. Brugen.*, t. XX (1920), p. 143. Nota sedulo in hac facultate non agi ni si de indulgentiis quæ simplici signo crucis applicari possunt, adeoque ab hac facultate excipi alias indulgentias pro quarum adnexione specialis formula est præscripta.

(5) *Ibidem* . Vide decretum 16 dec. 1910 apud *Collat. Brugen.*, t. XVI (1911), p. 148 sq., p. 301 ss. Unde sacerdos, debita facultate instructus, ut numismatibus applicet indulgentias quinque scapularium usualium, debet quinquies super ea signum crucis efformare cum intentione requisita, v. g. semel pro semper statuendo ordinem variorum scapularium, juxta quem sua facultate uti intendit.

Duo in fine adnota : 1° Sacerdos qui habet facultatem benedicendi objecta pia eisque adnectendi indulgentias, ea etiam pro seipso benedicere potest, hisque utendo sibi quoque indulgentias lucrari valet (1).

2° Sacerdos pollens facultate scapularia imponendi, potest unico signo crucis pro unoquoque scapulari benedicere publice omnia s. numismata quæ habent fideles in ecclesia vel in aliquo conventu [vergadering], quin haec numismata videantur, nec in individuo cognoscantur (2).

A. Legrand.

VI.

De prohibitione librorum III.

Q. *An et cur oportet leges de censura et prohibitione librorum late vel stricte interpretari ?*

R. *Notiones præviæ.* – Quo melius intelligatur responsum quæstioni dandum præmittuntur quædam notiones, quibus sensus terminorum ipsius quæstionis patefieri debet.

a/ Interpretatio legis proprie dicta est manifestatio sensus legis, si quid obscurum verbis irrepserit. *Stricta* interpretatio illa est quæ verba audit in sensu proprio, sed magis coarctato ; *lata* vero illa quæ sumit verba in sensu proprio magis extenso seu generalissimo ; a. v. quæ extenditur ad omnia quæ possunt comprehendi verbis acceptis in significatione propria, sive juridica, sive civili et cum ea extensione quæ ob adjuncta non tantum est necessaria, sed conveniens et congruens.

Stricta tamen interpretatio non est restrictiva, neque lata est extensiva, cum istæ sint interpretationes quæ

---

(1) Decr. S. C. Ind. 16 julii 1887. *Acta S. Sedis*, t. XX, p. 63.

(2) Decr. S. Officii, sectio de indulgentiis, 4-5 junii 1913, apud *Collat. Brugen.*, t. XVIII (1913), p. 527 sq. Hoc autem valet etiam pro quibusvis objectis quæ quis publice benedicere potest cum applicatione indulgentiarum : scilicet ea objecta non debent a benedicente videri. Ad solemnitatem autem et ad ædificationem fidelium, quando laudatæ, benedictiones publice fiunt, optandum est ut sacerdos adhibeat superpelliceum, stolam albam et aquam benedictam.

secundum proprietatem verborum datæ non sunt, sed aliquam mutationem legis habent adnexam, sive per extensionem ultra proprium sensum verborum, si est extensiva, sive per restrictionem infra sensum, si est restrictiva.

b/ Nomine *legum de censura et prohibitione librorum* intelligimus complexum illorum statutorum quibus Ecclesia sapienter fideles tuetur contra periculum, quod pro fide vel moribus exsurgere natum est ex lectione, retentione, venditione, etc. librorum pravorum.

Tria vero comprehendunt α/ varias pœnas comminatas non tantum in lectores et defensores, sed etiam et præcipue quidem, in editores librorum certi generis ; β/ facultates vel legendi ac retinendi libros prohibitos vel hanc veniam aliis concedendi ; γ/ plura, et de his præcipue hic indagatur, præcepta et prohibitiones.

Ex hisce prænotatis statim apparet divisio responsi. Et revera : sub 1/ de pœnis, sub 2/ de facultatibus, sub 3/ de præceptis et prohibitionibus in materia censuræ et prohibitionis librorum agemus, pro singulis inquirendo utrum verba legis vel facultatis, quæ semper in sensu proprio sunt intelligenda, debeant sumi in sensu suo magis extenso ac generalissimo, an vero in sensu suo magis coarctato. Proinde :

1/ *Quod pœnas spectat :* a codice *duplex* statuitur pœna in hac materia :

a/ Excommunicatio Sedi Apostolicæ speciali modo reservata et ipso facto incurrenda, opere publici juris facto, ab editoribus librorum apostatarum, hæreticorum et schismaticorum, qui apostasiam, hæresim, schisma propugnant, itemque a defensoribus aut scienter sine debita licentia legentibus aut retinentibus eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos.

b/ Excommunicatio nemini reservata incurrenda ipso facto ab auctoribus et editoribus qui sine debita licentia sacrarum scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant.

Jamvero hanc duplicem legem pœnalem, de qua can. 2318, stricte esse interpretandam nemo est qui dubitat, cum can. 18 expresse statuit : « leges quæ pœnam statuunt strictae subsunt interpretationi ».

Qua de causa nomen *liber* in duplici hac lege stricte est interpretandum, et significat scriptum alicujus non exiguæ molis (circiter 250 pp. in 8°), quod aliqua morali unitate ratione objecti constat, ac typis est impressum ; non vero libella, ephemerides, folia, fascicula.

2/ *Quod facultates spectat :*

a/ Facultas legendi ac retinendi libros, si cui contingit fieri, *late* potest interpretari, quia habet licentiæ rationem, non autem dispensationis. Lex enim lectionem simpliciter non vetat, sed prohibet *ne legas sine licentia*. Licentia nunc est facultas *secundum legem*, seu conditio, qua posita, actus ex ipsa lege permittitur. Et ideo legendo cum licentia legem adimples, nullo modo ab ea dispensaris.

Cum autem generalis facultas de legendis libris ex professo obscœnis numquam vel fere numquam concedatur, *stricte* accipienda videtur *necessitas* qua quispiam seipsum ab ista prohibitione exemptum habere potest (1).

b/ Indulta concedendi facultatem legendi ac retinendi libros prohibitos, qualia obtinent episcopi, etiam sunt *late* interpretanda ex eo quod hujusmodi facultates accensentur privilegiis præter jus, proindeque secundum can. 68 et 50 latæ subsunt interpretationi.

3/ *Quod autem præcepta et prohibitiones spectat :*

Communis est sententia (2) quæ tenet illa, quatenus *sunt*

---

(1) Cfr VERMEERSCH, *De prohibitione et censura librorum*, p. 24.

(2) Pauci fuerunt auctores qui sententiam oppositam propugnarunt ; ita C. VANCOILLIE, *Commentarius in constitutionem « Officiorum ac munerum »*, p. 22 ; PLANCHARD, in *Rev. théol. franç.*, t. II, p. 159 ; L. VAN RUYMBEKE, in *Nouv. Rev. théol.*, t. XXXVI, p. 98.

mere positiva, esse *stricte* interpretanda, ita ut in casibus dubiis potius favendum sit libertati.

Dicimus : « quatenus illæ prohibitiones sunt mere positivæ » i. e. stricte seu in sensu coarctato sunt intelligendæ, quoties ex solo jure positivo lectio, retentio, etc. alicujus libri prohibetur. Si enim leges illæ mere confirmant jus naturale, quatenus prohibent id quod jure naturali jam erat prohibitum, tunc urgent quousque urget ipsum jus naturale, quo vetamur fidem nostram et mores nostros proximo opponere periculo et aliis esse scandalo.

Ratio autem cur sint stricte audiendæ illæ prohibitiones illaque præcepta inde desumitur quod sint leges « quæ liberum jurium exercitium coarctant » et proinde secundum can. 18 strictæ subsunt interpretationi. Coarctant vero liberum jurium exercitium non quatenus illud exercitium *negative* coarctant restringendo libertatem humanam, prouti faciunt omnes leges ecclesiasticæ, quæ aliquid præcipiunt aut prohibent jure divino non præceptum vel prohibitum, sed quatenus sunt coarctatio alicujus facultatis moralis positivæ a jure naturali agnitæ.

Atvero, quantumvis stricte sint audiendæ illæ leges, seu quamvis præsumendum sit legislatorem verba sumpsisse sensu strictiori, numquam tamen interpretandæ sunt contra voluntatem legislatoris manifestatam ; stricta enim interpretatio non excludit alia subsidia, quibus mens præcipientis detegitur, ideoque fieri potest ut ipsa verba legis positivæ majorem rigorem postulant.

Porro, hac de causa statim thesi propositæ, qua propugnatur strictam posse adhiberi interpretationem in his legibus, fit *objectio* sequens : si leges illæ non possunt explicari contra voluntatem legislatoris manifestatam, certum videtur illas esse *late* interpretandas, ita ut extendantur ad omnia quæ possunt comprehendi verbis acceptis in significatione propria, nam disciplina prouti in novo jure statuitur, multo rigidior ac severior est ac

disciplina antiqua ; ex quo concludendum est legislatorem clare manifestasse suam mentem exigendi majorem rigorem.

Et requidemvera, negandum non est codicem disciplinam in pluribus severiorem exhibere, speciatim α) intelligendo vocem « *liber* » de publicationibus quibuslibet, tum diariis, tum periodicis tum aliis editis scriptis ; β) tollendo licentiam legendi classicos obscœnos illis olim concessam qui ratione officii aut magisterii excusabantur ; γ) prohibendo clericis sine consensu suorum Ordinariorum et religiosis sine licentia superioris majoris et Ordinarii loci in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere (1).

Atvero, objectioni respondetur dicendo hæc nullo modo sufficere ad ostendendum mentem legislatoris manifesto opponi interpretationi strictæ. Nam codex quoad substantiam et fere in omnibus reassumpsit quæ fuerunt statuta in constitutione « *Officiorum ac muncrum* », diei 25 jan. 1897, qua Leo XIII penitus denuo ordinaverat argumentum de censura ac prohibitione librorum. Jamvero ex omnibus circumstantiis hujus præcedentis legislationis apparuit huic Pontifici placuisse disciplinam ecclesiasticam benigniorem efficere, quia onus antiquioris juris ægre ferebatur, et ideo vi can. 6, 2° et 4° etiam nunc licet benigniorem interpretationem amplecti. Cœteroquin etiam in codice adsunt indicia facilioris disciplinæ, uti apparet ad invicem conferendo can. 1385, § 2 ; 1385, § 1, n° 2 et 1399, 5° cum art. 20 et 12 constit « *Officiorum ac munerum* ». Insuper dum constitutio Leonis XIII prius de prohibitione dein de librorum censura agebat, nunc in codice, caput de censura capiti de prohibitione præponitur : quod etiam insinuat benigniorem mentem præsentis legislatoris, cum magis de arcendo periculo quam de pœna vel prohibitione sollicitus videatur. J. Brys.

---

(1) Cfr A. De Meester, *Compendium juris canonici*, t III, p. 253.

De æterna generatione Verbi.

Non omnia quæ spectant *æternam* Verbi *generationem* (1) heic demonstrare aut explicare intendimus, sed dumtaxat inquirere volumus *de modo quo* generationem in divinis accipere debeamus, ut simul recte intelligamus nomina, quæ de prima et altera persona ss. Trinitatis adhibentur in fontibus revelationis, ubi *Pater* et *Filius* nominantur.

In altera breviori pariter dissertatione postea tractabimus de processione et nomine Spiritus sancti, et neminem sane fugit quædam differentia inter illa nomina Patris et Filii, quæ sunt *nomina propria* primæ et secundæ personæ divinæ, uti statim videbimus, et nomen Spiritus sancti, quod non est nomen proprium tertiæ personæ in ss. Trinitate, sed nomen potius accommodatum per quamdam convenientiam, ut ait s. Thomas (2), cujus dilucidam doctrinam presse sequimur et paucis contrahere nitimur.

Supponimus esse probatum, in tractatu de Deo trino, *duas* dari *processiones* in Deo, « quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi ; alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio Amoris » (3). Processiones autem in divinis sunt in identitate naturæ, unde necesse est ut *relationes*, quæ secundum processiones divinas accipiuntur, sint *reales* (4) ;

---

(1) Dicimus *de æterna* generatione *Verbi*, quæ ad tractatum de Deo trino pertinet, prætermissa *temporali* generatione *Verbi incarnati*, quæ in tractatu hujusce nominis consideratur,

(2) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 1, c. coll. q. 27, a. 4, c. ; q. 37, a. 1, c. necnon *Summa contra gentiles*, IV, 19.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 28, a. 4, c. coll. q. 27, a. 2 s. atque *Quæst disp. de potentia*, q. 10, a. 2, c.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 28, a. 1, c. coll. *De potentia*, q, 8, a. 1, c.

hæ porro relationes reales sunt *quatluor* : paternitas, filiatio, spiratio et processio (1), quarum *tres* ad invicem *realiter oppositæ* et ab invicem *realiter distinctæ*, sunt tres *personæ* divinæ, tres relationes subsistentes : Pater, Filius et Spiritus sanctus (2).

* * *

Prima processio, quam in Deo novimus, est itaque secundum intellectum. *Deus intelligit seipsum*, « sed omne intellectum in quantum intellectum [omne id quod intelligitur, in quantum intelligitur] oportet esse in intelligente [in eo qui intelligit] : significat enim ipsum intelligere [seu actus intelligendi] apprehensionem ejus quod intelligitur per intellectum (3) ; unde etiam intellectus noster seipsum intelligens, est in seipso, non solum ut idem sibi per essentiam, sed etiam ut a se apprehensum intelligendo » (4).

Igitur Deus est in seipso ut *id quod intelligitur* est in intelligente, sed hoc est intentio intellecta et verbum (5),

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 28, a. 5, c.

(2) *Ibidem*, q. 30, a. 2, c. coll. q. 28. a. 3, c. et q. 29, a. 4, c. necnon *De potentia*, q. 8, a. 3, c. et q. 9, a. 1 et seq.

(3) Id est : significat .... apprehensionem per intellectum hujusce rei quæ intelligitur.

(4) *Summa contra gentiles*, IV, cap. 11. — Multa testimonia ex hoc capite desumimus, et sequimur presse expositionem s. Doctoris communis, paucis prætermissis, quæ ad quæstionem rite intelligendam non sunt omnino necessaria.

(5) Hoc ipse s. Thomas paulo supra in eodem capite 11 paucis sic elucidat : « Dico autem intentionem intellectam id quod intellectus in seipso concipit de re intellecta. Quæ quidem [intentio intellecta] in nobis,... est quædam similitudo concepta intellectu de re intellecta, quam [similitudinem] voces exteriores significant; unde et ipsa intentio *verbum interius* nominatur, quod est exteriori verbo significatum » ; cfr etiam in eadem *Summa contra gentiles*, I, 53 : « Considerandum est quod intellectus [possibilis] per speciem [intelligibilem et *impressam*] formatus intelligendo format in se ipso quamdam intentionem intellectam », id est *exprimit* seu sibimet dicit quid res sit, seu quænam sit ejus ratio, quam significat definitio ; inde intentio intellecta dicitur adhuc *species expressa* aut *verbum mentis*. Præcipua quædam quæ spectant cognitionem evolvimus paucis apud *Collat. Brugen.*, XXV (1925), p. 430 s., ubi de cognitione angelica diximus.

adeoque in Deo seipsum intelligente est Verbum Dei quasi Deus intellectus, sicut verbum lapidis in intellectu est lapis intellectus, et hinc apud s. Joannem dicitur : « *Verbum erat apud Deum* » (1).

Intellectus porro divinus non exit de potentia in actum, cum semper existat actu et de necessitate semper seipsum intelligat. Necesse est ergo ut Verbum Dei, quod est in Deo, *semper existat* in Deo, ipsi coæternum, et non accedens « ei ex tempore, sicut intellectui nostro accedit ex tempore verbum interius conceptum » (2) ; et revera sic apud s. Joannem legimus : « *In principio erat Verbum* » (3).

Additur autem in textu sacro : « *et Deus erat Verbum* », « *καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος* », seu hoc Verbum erat Deus, « quod quia absolute dicitur, demonstrat Verbum Dei *verum Deum* debere intelligi. Verbum enim hominis non posset dici simpliciter et absolute homo, sed [tantummodo] secundum quid, scilicet homo intellectus ; unde hæc [propositio] falsa esset : homo est verbum, sed hæc posset esse vera : homo intellectus est verbum, [videlicet verbum hominis] Quum ergo dicitur : Deus erat Verbum, ostenditur Verbum divinum non solum esse intentionem intellectam sicut verbum nostrum, [quod in mente nostra existit], sed etiam esse rem in natura existentem et subsistentem » (4).

Atvero Verbum, seu Deus intellectus, habet *essentiam divinam*, non modo specie sed etiam *numero eamdem* cum Deo intelligente se, siquidem « natura quæ est una secundum speciem non dividitur in plura secundum numerum nisi propter materiam. Divina autem natura omnino immaterialis est. Impossibile est igitur quod natura

---

(1) *Jo.*, I, 1.

(2) *Summa contra gentiles*, IV, cap. 11.

(3) *Jo.*, *l. c.* et observa s. Joannem heic respicere prima verba totius Scripturæ sacræ : « In principio Deus creavit cœlum et terram », quo loco verba « in principio » ponuntur absolute, uti explicavimus apud *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 179 s.

(4) *Summa contra gentiles*, *l. c.*

divina sit una specie et numero differens (1). Verbum igitur Dei in eadem natura numero communicat cum Deo ; propter quod Verbum Dei et Deus cujus est Verbum, non sunt duo dii, sed unus Deus » (2).

Ex præmissis facile percipitur Verbum Dei comparari ad Deum intelligentem, cujus est Verbum, sicut *ad* eum *a* quo procedit, et quoniam in Deo, quippe qui est actus purus, omnia per essentiam sunt unum, adeoque et intelligens et intellectum seu Verbum, « remanet *sola distinctio relationis*, prout Verbum refertur ad concipientem ut a quo est » (3).

Et ideo rursus, quum s. Joannes dixerat : « Verbum erat Deus », ne erronee quis intelligeret nullam esse distinctionem inter Deum concipientem et dicentem Verbum suum atque ipsum Verbum Dei seu Deum intellectum, statim subjunxit : « *Hoc erat in principio apud Deum* » (4), « quasi dicat, inquit Angelicus, hoc Verbum quod Deum esse dixi, aliquo [tamen] modo distinctum est a Deo dicente, et sic posset dici apud Deum esse » (5).

* * *

Hæc nunc processio secundum intellectum, qua Deus intellectus, seu Verbum, procedit a Deo intelligente, merito dicitur generatio, quam utcumque ita concipere possumus.

Omne verbum interius conceptum est quædam *simili-*

---

(1) *Sum. theol*, I, q. 50, a. 4, c. et pluribus aliis in locis, eodem utitur Angelicus argumento ut defendat non esse duos angelos ejusdem speciei, sed, ut dicit ad 1 : « Omnes angeli differunt specie secundum diversos gradus naturæ intellectivæ ».

(2) *Summa contra gentiles, l. c.* coll. *Quæst disp de potentia*, q. 2, a. 1, c.

(3) *Summa contra gentiles, l. c.* coll. *Sum. theol.*, I, q. 28, a. 1 et seq. necnon *De potentia*, q. 9, a. 4, c.

(4) *Jo.*, 1, 2.

(5) Sedulo nota in hisce omnibus deductionibus s. Thomam nihil probare ratione, sed supposita revelatione eamdem, quantum humanæ fas est infirmitati, explicare atque manifestare.

tudo rei intellectæ (1), quæ duplici modo se habere potest ad ipsam rem quæ intelligitur : aut enim se habet ut *principium* et tunc vocatur potius *exemplar* (2), aut se habet ad id cujus est similitudo sicut *ad principium*, atque in hoc casu melius *imago* nominatur (3). Quod exemplis a s. Thoma allatis facilius intelligitur.

In mente artificis, existit similitudo rei arte faciendæ *sicut principium* operationis, per quam res artificiata fit, itaque talis similitudo comparatur ad rem artificiatam *tamquam exemplar ad exemplatum*. Similitudo vero cujuscumque rei naturalis, quæ fit a Deo auctore naturæ, nec a nobis arte fieri potest, ubi nunc in mente nostra habetur, non est nisi *imago* rei, et « comparatur ad rem cujus similitudo existit *ut ad suum principium*, quia nostrum intelligere a sensibus principium accipit, qui per res naturales immutantur » (4), aliis verbis, quia res prius nostra cognitione existunt et suo modo nostræ cognitionis sunt principium (5).

Quando hæc ad Verbum Dei nunc applicamus, quum Deus et seipsum intelligat et alia a se (6), et ejus intelligere sit principium omnium rerum, quæ ab ipso causantur (7), dicendum igitur : comparatur Verbum Dei

---

(1) Omnis cognitio est in quadam assimilatione objecti cogniti et subjecti cognoscentis ; in cognoscente existit rei ***similitudo*** seu ***species*** (a verbo inusitato specio = videre, spectare, unde species = aspectus seu apparentia rei, id quo res videtur, nobis apparet) ; in cognitione porro nostra datur species ***impressa***, seu ***id quo*** cognoscimus, et species ***expressa*** seu verbum mentis, quod quandoque dicitur id ***in quo*** cognoscimus ; ***id*** autem ***quod*** cognoscitur primo est res, cujus species intelligibilis est similitudo, uti explicatur *Sum. theol.*, I, q. 85, a. 2, c.

(2) Flandr. dici posset *oorbeeld* (germ. *Urbild*), quasi imago-principium.

(3) Flandr. *beeld*, id est mera similitudo aut species rei, id quo et in quo res aspicitur intus seu intelligitur ; lege notam præced. n. 1.

(4) *Summa contra gentiles*, *l. c.*

(5) Cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Meditationes theol.*, n. 169, apud *Collat. Brugen.*, IV (1899), p. 442.

(6) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 34, a. 3, c. coll. *Quæst. disp. de veritate*, q. 4, a. 5, c. et *Quodlib.*, IV, a. 6, c.

(7) Cfr VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 382 s., p. 317 s., Brugis, 1917.

« *ad res alias* intellectas a Deo sicut *exemplar* (1), [et] *ad ipsum Deum*, cujus est Verbum, sicut ejus *imago* » (2); atque hoc modo, addit Angelicus, effatum Apostoli possumus intelligere, ubi de Verbo Dei dicit : « quod est *imago Dei invisibilis* » (3).

Sed imago alicujus rei, quando non in sensu sed in intellectu consistit, est similitudo rei *quantum ad essentiam ;* per sensum enim apprehendimus accidentia tantum exteriora, uti calorem, saporem aut colorem, dum intellectus sibimet exprimit quidditatem rei, quæ definitione continetur. « Quum ergo Verbum Dei sit imago Dei [in intellectu divino], necesse est quod sit imago Dei quantum ad ejus essentiam, [et] hinc est quod Apostolus dicit quod [Verbum] est *figura substantiæ Dei* » (4).

Jamvero « imago alicujus rei est duplex. Est enim aliqua imago quæ non communicat in natura cum eo cujus est imago, sive sit imago quoad exteriora accidentia, sicut statua ænea est imago hominis nec tamen est homo, sive sit imago quantum ad substantiam rei, [sicut] ratio [seu verbum] hominis in intellectu [etiam] non est homo.... Imago autem alicujus rei *quæ eamdem naturam* habet cum re, cujus est imago, est sicut filius regis, in quo imago patris apparet et [qui] est ejusdem naturæ cum ipso » (5).

Sed novimus : « quod Verbum Dei est *imago* [Dei] dicentis quantum ad ipsam ejus essentiam, et quod *in eadem natura* cum [Deo] dicente communicat. Relinquitur ergo quod *Verbum* Dei non solum sit imago [Dei]

---

(1) Lege *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 117, ubi de scientia Dei practica et p. 199 s., ubi de ideis divinis diximus ; cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o.* et *l. c.* atque VANDER MEERSCH, *o. c.*, n. 391 s., p. 322 s.

(2) *Summa contra gentiles, l. c.*, coll. *Sum. theol.*, I, q. 35, a. 1 et a. 2, c.

(3) *Coloss.*, I, 15.

(4) *Hebr.*, I, 3, ubi figura, χαρακτὴρ, idem est ac imago expressa.

(5) *Summa contra gentiles, l. c.* et iterum sedulo adverte s. Thomam explicare revelationem, quod supra jam monuimus.

sed etiam *Filius* [Dei] » (1), adeoque adhuc ut ille a quo procedit Verbum Dei, utpote Deus concipiens et dicens Verbum suum, recte *Pater* nominari possit (2).

* * *

Inde facile intelligitur hanc primam processionem in Deo, quæ secundum intellectum obtinet, *nomine proprio* vocari *generationem* (3). Quinimmo nomina generationis, paternitatis et filiationis, *per prius* dicuntur *de Deo* quam de creaturis, *non quoad modum significandi*, quandoquidem novimus prius generationem in creaturis quam in Deo, sed *quantum ad rem significatam*, quoniam res significata per paternitatem et filiationem perfectius in divinis quam in creatis verificatur (4).

Et revera « manifestum est quod generatio accipit speciem a termino, qui est forma generati. Et quanto hic [generatus] fuerit propinquior formæ [seu perfectioni] generantis, tanto verior et perfectior est gene atio,... nam de ratione generantis est quod generet sibi simile secundum formam » (5).

In generatione divina nunc hæc forma seu perfectio generantis et generati est *eadem numero*, dum in creatis non est nisi *eadem specie* (6), unde satis constat, addit statim s. Thomas : « quod generatio, et per consequens paternitas [necnon filiatio] *per prius sit in Deo* quam in creaturis », uti etiam dicit Apostolus : « Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur » (7).

(1) *Ibidem* coll. *Sum. theol.*, I, q. 34, a. 2, c.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 33, a. 1, c. et a. 2, ad 3.

(3) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 2, c. coll. *De potentia*, q. 2, a. 1, c.

(4) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 33, a. 2, ad 4.

(5) *Ibidem* et adverte generationem *analogice* de Deo et de creaturis prædicari ; cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. c.*, n. 137, apud *Collat. Brugen.*, III (1898), p. 599 et VANDER MEERSCH, *o. c.*, n. 707, p. 529 s.

(6) In creatis generatio recte definitur itaque : origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturæ specificæ ; in divinis porro habetur in similitudinem unius ejusdemque naturæ numericæ.

(7) *Ephes.*, III, 14 s.

Ad intimiorem tandem intellectum generationis divinæ « considerandum [est] etiam quod id quod generatur, quamdiu in generante manet, dicitur conceptum. Verbum autem Dei ita est a Deo genitum quod tamen ab ipso non recedit, sed in eo manet » (1), et ex hac parte differt iterum conceptio Verbi divini et materialis conceptio, quæ in animalibus obtinet.

« Proles, quamdiu concepta est et in utero clauditur, nondum habet ultimam perfectionem ut per se subsistat, a generante secundum locum diversa ; unde oportet quod, in *corporali* generatione animalium, *aliud* si genitæ prolis *conceptio* atque *aliud partus* ipsius, secundum quem etiam loco separatur proles genita a generante, ab utero generantis egrediens » (2).

In generatione *divina* porro, pergit Angelicus, *non* oportet ita distinguere *conceptionem* et *partum*, quoniam « Verbum Dei, in ipso Deo dicente existens, est perfectum in se subsistens, distinctum [tamen] a Deo dicente », non loco sane, sed sola relatione, uti supra jam dictum est.

Quoniam autem Verbum in Deo semper existit, in fine sui prologi rursus observat s. Joannes (3), unigenitum Filium Dei semper esse « *in sinu Patris* », « εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός » ; juxta textum græcum itaque : « *in sinum*

---

(1) *Summa contra gentiles, l. c.*

(2) *Ibidem* et nota in fine hujusce capitis s. Thomam, secundum physiologiam sui temporis in generatione carnali dicere patrem virtutem activam, matrem vero virtutem passivam et sic addit : « dare naturam et speciem proli competit patri ; concipere autem et parturire competit matri, tanquam patienti et recipienti. Quum autem processio Verbi secundum hoc dicta sit esse quod Deus seipsum intelligit, — ipsum autem divinum intelligere non est per aliquam virtutem passivam, sed quasi activam, quia intellectus divinus non est in potentia, sed in actu tantum, — ideo in generatione Verbi Dei non competit hoc ratione matris, sed solum patris. Unde quæ in generatione carnali distinctim patri et matri conveniunt, omnia in generatione Verbi Patri attribuuntur in sacris Scripturis ; dicitur enim Pater et dare Filio vitam et concipere et parturire ». Adverte iterum s. Thomam itaque semper niti in revelatione, quam ratione solum manifestare conatur.

(3) *Jo.*, I, 18.

Patris », nam in generatione divina, Pater et Filius non tantum simul intelliguntur, seu *secundum intellectum* coexistunt, sed adhuc *realiter* coexistunt, quoniam processiones in divinis sunt ad intra, immanentes, et quidem per communicationem unius numero naturæ, uti in præcedentibus jam satis ostensum est. et penitius explicatur in tractatu de Deo trino, ubi de *circumincessione* seu immeatione divina mutua dicitur, quam græci *perichoresim* appellabant (1).

H. Lamiroy.

(1) Cfr ill. ac rev. Waffelaert, *o. c.*, n. 142, apud *Collat. Brugen.*, IV (1899), p. 14 s. et *De sanctissima Trinitate contemplatio*, apud *Collat. Brugen*, XX (1920), p. 85 s.; pauca diximus de circuminsessione seu circumincessione, prout in tractatu de Deo trino consideratur, apud *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 378 s.

Acta SS. Congr. et Trib.

E S. Congr. Concilii

I.

DE SACERDOTIBUS MAGISTERII MUNUS GERENTIBUS IN PUBLICIS SCHOLIS (1).

DECRETUM

Cum plures locorum Ordinarii postulavissent ut peculiaribus quibusdam normis sacerdotum disciplina, qui in publicis scholis docent, regeretur, haec Sacra Congregatio in plenariis comitiis diei 15 januarii hujus anni decrevit servanda ea quae sequuntur; quae quidem SS. D. N. Pius divina Providentia PP. XI, in audientia die prima mensis februarii ab Emo Cardinali hujus Sacræ Congregationis Præfecto habita, rata firmaque voluit eademque publici juris fieri mandavit.

I. Sanctæ Sedis præscripta de clericis et sacerdotibus publicas studiorum Universitates vel scholas Normales, quas vocant, frequentantibus, firma maneant; præsertim vero ea quæ Litteris Secretariæ Status diei 20 novembris 1920 præcipiuntur, adamussim serventur.

II. Sacerdotes, etsi magisterii titulum consecuti, adstricti, uti antea, suæ quisque dioecesis servitio manent; proprioque Ordinario subjiciuntur.

III. Curent Ordinarii ut hi sacerdotes docendi munus obeant in sua diœcesi, præsertim in sacris clericorum Seminariis vel in privatis scholis.

IV. Sacerdos, hujusmodi munus atque officium in publicis scholis ne petat neque acceptet sine explicito

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 99 s.

Ordinarii sui consensu ; qui quidem consensus est natura sua revocabilis.

V. Ordinarius, graviter onerata ejus conscientia, consensum ne concedat nisi iis qui pietate et doctrina excellunt, quique tum alumnis tum ceteris magistris privatim et publice exemplo sint.

VI. Ordinarius permittere poterit ut sacerdos dioecesanus in aliam diœcesim magisterii exercendi causa se conferat, ea tamen lege ut susceptum munus ad nutum tum Ordinarii proprii tum Ordinarii loci retineatur. Itaque Ordinario in dioecesis servitium illum revocanti et Ordinario loci illum dimittenti, quocumque prætextu remoto, sacerdos parere tenetur.

VII. Ordinarius ne sinat ut sacerdos suæ diœcesis in alia diœcesi magisterium ineat, nisi prius de re loci Ordinarium monuerit ejusdemque veniam obtinuerit.

VIII. Sacerdos in aliena diœcesi magisterium initurus sine mora loci Ordinarium adeat, quem, juxta can. 94 Codicis juris canonici, ut Ordinarium suum, usquedum eo in loco commorabitur, habere, ejusque vigilantiæ auctoritati et correctioni se submittere debet.

IX. Ordinarius vero loci poterit :

a/ præcipere, justa de causa, arbitrio et prudentia ejus æstimanda, ut sacerdos alicui ecclesiæ sit addictus ;

b/ statuere ut idem sacerdos peculiari vigilantiæ Vicarii foranei vel parochi aliusve sacerdotis subsit ;

c/ exigere ut sacerdos referat in qua domo habitualiter commoretur et quibuscum personis cohabitet ; vetare ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineat et quoquo modo frequentet ; jubere, si id necessarium aut opportunum Ordinarius judicaverit, ut penes aliquam religiosorum sodalium domum a se designandam degat ;

d/ vetare ne docendi munus in scholis, quas vel solæ puellæ vel puellæ simul et adolescentes celebrant, suscipiat ; neve puellas privatim doceat atque instituat ;

e/ præcipere ut omnes et singulas obligationes communes clericorum servet ; præsertim vero, ut collationibus seu conferentiis ad casus de re morali ac liturgica solvendos intersit ; ut adjuvet parochum loci in religiosa puerorum institutione ; ut diebus festis de præcepto brevem Evangelii aut alicujus doctrinæ christianæ capitis explanationem habeat in Missa quam, fidelibus adstantibus, celebrat ;

f monere, corripere et, si casus ferat, congruis pœnis, ad normam sacrorum canonum, sacerdotem afficere, si a recto tramite deflexerit.

X. Ordinarius loci, cujusque anni scholastici expleto cursu, Ordinarium sacerdotis certiorem faciat de ejusdem vita et moribus.

XI. Sacerdos magister e loco per notabile tempus discessurus Ordinarium ejusdem loci commonefaciat; ferias vero æstivas initurus suum eidem obsequium præstet; in diœcesim vero reversus, se sistat Ordinario suo ejusque mandatis fideliter obediat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, ex Secretaria Congregationis Concilii, die 22 februarii 1927.

II.

ROMANA ET ALIARUM (1)

DUBIA

Quæsitum est ab hac Sacra Congregatione ut solverentur dubia quæ sequuntur :

« I. Utrum Ordinario jus sit et officium interdicendi per praeceptum actionem politicam viris ecclesiasticis, qui in ea explicanda non se conforment instructionibus S. Sedis? »

Et quatenus *affirmative* :

« II. An qui præceptum violaverint et moniti non se emendaverint, congrua pœna puniri possint et debeant ad normam sacrorum canonum? »

Jamvero Emi Patres ejusdem Sacræ Congregationis, in plenariis comitiis die 20 februarii hujus anni habitis, responderunt :

Affirmative ad utrumque.

Porro SS. D. N. Pius divina Providentia PP. XI in audientia diei 15 martii insequentis resolutionem Emorum Patrum dignatus est approbare et confirmare, eandemque publici juris fieri mandavit.

D. Card. Sbarretti, *Præfectus*.

L. † S.

† Julius, Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius*.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 138.

E S. Congr. de religiosis

DUBIUM

DE CONSECRATIONE VIRGINUM PRO MULIERIBUS IN SÆCULO VIVENTIBUS (1)

Cum nonnulli locorum Antistites petiissent facultatem benedicendi et consecrationem Virginum conferendi fœminis absque votis religiosis in sæculo degentibus, juxta ritum in Pontificali Romano descriptum, Sacra Congregatio de Religiosis, exquisito voto plurium Revmorum Consultorum rem definiendam Emis Patribus proposuit, qui, in plenario Cœtu ad Vaticanum habito die 25 februarii 1927, re mature perpensa, dubio : « An expediat concedere facultatem dandi benedictionem et consecrationem virginum mulieribus in sæculo viventibus » responderunt ; « *Negative* et nihil innovetur ».

Facta autem relatione SSmo Domino Nostro Pio divina Providentia Papa XI, in audientia habita ab infrascripto Secretario, die 1 martii ejusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est, et publici juris fieri mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die 25 martii 1927.

C. Card. Laurenti, *Præfectus.*

L. † S.

Vinc. La Puma, *Secretarius.*

E S. Congr. Rituum

I

I. — Consilium Generale pontificii Operis a propagatione fidei postulat a Romano Pontifice Pio XI (2) :

1/ ut determinetur una dominica, signanter quæ ultima

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX, (1927), p. 138 s.

(2) Cfr *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 23 s.

est in mense octobri, tanquam *Dies precum et propagationis missionnariæ* per totum mundum catholicum ;

2/ ut hac dominica in omnibus missis adjungatur tanquam collecta imperata pro re gravi oratio *Pro propagatione fidei ;*

3/ ut in hac dominica prædicatio caracterem induat missionarium, cum speciali respectu ad Opus a propagatione fidei, et excitet fideles ut dicto Operi nomen dent ; non ideo tamen restringi debet prædicatio ad solas missiones ;

4/ ut concedatur indulgentia plenaria, defunctis applicabilis, iis qui dicta dominica communicabunt et orabunt pro conversione infidelium.

II. — Consilium supremum Generale insuper petit ut occasione festorum et congressuum missionariorum celebrari possit missa votiva solemnis *Pro propagatione fidei*, etiam diebus ritus duplicis majoris et in dominicis minoribus (1).

Qua de re dedit S. Rituum Congregatio sequens rescriptum :

ROMANA (2)

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI his vocibus et precibus sibi porrectis clementer indulgens, eadem postulata probare et exaudire dignatus est ; simulque prudenti judicio Ordinariorum per præsens rescriptum hujus Sacræ Congregationis Rituum exsequenda mandavit : servatis tamen Rubricis aliisque de jure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 aprilis 1926.

A. Card. Vico, Ep. Portuensis et S. Rufinæ, *Præfectus.*

Angelus Mariani, *S. R. C. Secretarius.*

---

(1) Desumptum e supplici libello apud *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 23.

(2) *Ibidem*, p. 24.

II

URBIS ET ORBIS

ADDITIONES ET VARIATIONES IN FESTO S. JOANNIS A CRUCE CONFESSORIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS (1).

Die 24 novembris

S. JOANNIS A CRUCE, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris

DUPLEX (m. t. v.)

Omnia de Communi Doctorum, præter sequentia :

IN I VESPERIS

Ad Magnif. *Ant.* O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Joannes, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Oratio

Deus, qui sanctum Joannem, Confessorem tuum atque Doctorem, perfectæ sui abnegationis et Crucis amatorem eximium effecisti : concede ; ut, ejus imitationi jugiter inhærentes, gloriam assequamur æternam. Per Dominum.

Varianda et addenda sextæ lectioni in ultima periodo :

...Eum, plurimis ante et post obitum fulgentem signis, Benedictus decimus tertius Pontifex maximus in Sanctorum numerum retulit, et Pius undecimus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit.

In II Vesperis. Ad Magnif. *Ant.* O Doctor.

Missa In medio Ecclesiæ, *præter Orationem* Deus, qui sanctum Joannem, *ut in Officio.*

Addenda in Martyrologio Romano

Die 24 novembris

Sancti Joannis a Cruce Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, sanctæ Teresiæ in Carmelitarum reformatione socii, cujus dies natalis decimo nono Kalendas Januarii recensetur.

---

(1) *Acta Apost. Sedis,* XIX (1927), p. 25 s.

Die 14 decembris

Ubedæ, in Hispania natalis sancti Joannis a Cruce Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, qui fuit sanctæ Teresiæ in Carmelitarum reformatione socius. Ipsius tamen festivitas agitur octavo Kalendas decembris.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Undecimus, referente infrascripto Domino Cardinali Sacræ Rituum Congregationi Præfecto suprascriptas additiones et variationes in Officio et Missa apponendas, de Sancto Joanne a Cruce, Confessore et Ecclesiæ Doctore nec non elogium in Martyrologio Romano, ab eadem Sacra Congregatione revisa et disposita approbavit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 novembris 1926.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Ruffinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

E S. Pœnitentiaria apostolica

DUBIA (1)

Ab Episcopo N. N. propositæ sunt Sanctæ Sedi pro opportuna solutione sequentes quæstiones :

« I. — Quelle attitude prendre au for interne et au for externe vis-à-vis d'ecclésiastiques :

1) qui notoirement demeurent partisans, ou ligueurs, ou lecteurs (par abonnement) de l'*Action Française ?*

2) qui encouragent par des consultations théologiques ou simplement en paroles, dans la conversation, les fidèles à lire l'*Action Française* ou à la soutenir par des offrandes d'argent ?

3) qui absolvent sans condition de bon propos et continuent d'absoudre des lecteurs d'*Action Française* ou des chefs ligueurs d'*Action Française ?* »

---

(1) *Acta Apost. Sedis,* XIX (1927), p. 157 s.

« II. — Quelle conduite l'Évêque ou les Supérieurs de Séminaires devront-ils avoir vis-à-vis des Séminaristes demeurant attachés à l'*Action Française* ostensiblement ou en secret ? »

« III. — Quelle conduite tenir au for interne et au for externe vis-à-vis des fidèles :

1) qui lisent habituellement l'*Action Française*, ou y restent abonnés malgré les avis contraires qu'ils reçoivent ?

2) qui, en tant que ligueurs, mènent le mouvement en faveur du journal l'*Action Française*, des doctrines fausses d'*Action Française* ou en faveur des dirigeants d'*Action Française*, qu'ils s'obstinent à conserver pour leurs chefs ?

3) qui continuent de subventionner avec ostentation ou en secret l'*A. F.* ? »

« IV. — 1) Ces lecteurs, ligueurs, propagandistes d'*A. F.* s'ils sont notoirement connus comme tels, peuvent-ils être admis aux Sacrements, particulièrement à la Sainte Table ?

2) Les mêmes peuvent-ils être admis, ou tolérés, dans nos groupements catholiques : tels les groupements de la Fédération Nationale Catholique (Castelnau), de la Jeunesse Catholique, des Scouts catholiques ? »

Sacra Pœnitentiaria Apostolica, de mandato SSmi Dni Nostri Pii Papae XI, mature perpensis quæstionibus a præfato Episcopo propositis, respondet uti sequitur :

Ad primum quæsitum

Pro foro interno. — Monendi omnes graviter tanquam certis ac manifestis Supremæ Auctoritatis Ecclesiasticæ in re gravi mandatis ac præscriptionibus (non interest occulte ne an publice) renitentes ; neque absolvendi nisi si et postquam serio resipuerint et scandalum congrue reparaverint.

Pro foro externo. — Admonendi, ut supra, et corripiendi, ad tramitem canonum 2308 et 2309 ; et si quidem monitiones et correptiones incassum cesserint, procedendum ad tramitem canonis 2310. Confessarii vero, de quibus n. 3, si moniti non se emendaverint et scandalum pœnitenti datum pro posse non reparaverint, suspendi poterunt, donec in propria contumacia perseverent, a sacramentalibus fidelium confessionibus audiendis.

Ad secundum quæsitum

Si moniti non se emendaverint et scandalum, ad Superiorum præscriptum, congrue non reparaverint :

In foro interno : non absolvantur ;

In foro externo : ad tramitem canonis 1371, dimittantur tanquam dyscoli et statui ecclesiastico non idonei.

Ad tertium quæsitum

Si moniti de gravitate inobedientiæ certis ac manifestis Supremæ Auctoritatis Ecclesiasticæ in re gravi mandatis ac præscriptionibus subjectionem detrectaverint et scandalum congrue reparare non curaverint ;

In foro interno : non absolvantur.

In foro externo : habeantur ut publici peccatores et tanquam tales ab iis omnibus arceantur a quibus hujusmodi peccatores per sacros canones arcentur.

Ad quartum quæsitum

Ad I. — *Negative*, uti consequens responsionis supra datæ.

Ad II. — Nisi antea omnino ac publice se subjecerint ac suæ subjectionis sinceritatem serietatemque certis, judicio Ordinarii, argumentis ostenderint et efficaciter, ipsius Ordinarii judicio, scandalum reparaverint, *negative*.

Episcopus autem præ oculis habeat præscriptum can. 2214, § 2.

Datum Romæ, ex Sacra Pœnitentiaria, die 8 martii 1927.

Fr. Andreas Card. Frühwirth, *Pœnit. Major.*

L. † S.

I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

E Pontificia Commissione

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA (1)

I. — *De confraternitatibus Ssmi Sacramenti*

D. I. — Utrum vi canonis 711 § 2 locorum Ordinarii stricte teneantur erigere in qualibet paroecia confrater-

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 161.

nitatem SS. Sacramenti, an ejus loco possint, secundum peculiaria adjuncta, instituere piam unionem vel sodalitatem SS. Sacramenti.

II. — Utrum archiconfraternitati Ssmi Sacramenti in Urbe erectæ, de qua in canone 711 §, *ipso jure* aggregatæ sint tantum confraternitates Ssmi Sacramenti proprie dictæ, an etiam piæ uniones aliæque sodalitates Ssmi Sacramenti.

R. Ad I. — Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. — *De indice funeralium taxarum*

D. — An Religiosi, etiam exempti, subsint indici funeralium taxarum, de quo in canone 1234.

R. — Affirmative.

Romæ, 6 martii 1927.

Consultationes.

I

De laudibus vespertinis.

Q. An potest parochus suo vicepastori *imponere* onus laudes vespertinas celebrandi, stipendio sibi retento? — Agitur præsertim de celebratione *regulariter* recurrenti, saltem semel vel bis in hebdomada (1).

R. Duo in quæstione proposita sunt distinguenda :

1°/ An licet parocho vicepastori suo *imponere* onus laudes vespertinas celebrandi, etiam ubi agitur de celebratione regulariter recurrenti?

2°/ An licet parocho in prædicto casu *stipendium* laudum sibi retinere?

Ad 1m dicendum : parochum de *stricto jure* hoc posse, uti ex ipso munere et qualitate vicepastoris deducitur. Vicepastor enim ibi ab Episcopo constituitur ut parochi cooperator. Parocho vero relinquitur judicium quibusnam in functionibus possit adjutorium vicepastoris invocare. Attamen aliquid ultra quod *æquum* est exigere videtur parochus, qui onus celebrandi laudes *sine exceptione* imponat vicepastori, in casu saltem quo ipse non habeat causam excusantem permanentem, v. g. infirmitatem.

Ad 2m dicendum : Negative. — Celebratio enim laudum vespertinarum non est functio stricte paroecialis, quae ergo exclusive et privative parocho pertinet. Et ideo,

(1) Casus, prouti fuit propositus, indicat in tariffo pro hac parœcia approbato, nullam fuisse partem determinatam tamquam obvenientem vicepastori pro ejus assistentia in laudibus vespertinis.

si huic celebrationi speciale et determinatum stipendium fundatione aliove modo adnectitur, jus utile inde obveniens stricte non est jus parocho cedens ; a. v. emolumenta inde obvenientia non cedunt ipsi soli parocho, etiam in casu quo ab alio sacerdote laudes peraguntur.

Qua de causa justum et æquum non videtur hoc stipendium, fundatione aliove titulo præstitutum, pro celebratione regulariter recurrenti laudum vespertinarum sibi [parocho] retinere, saltem ubi impedimentum quo parochus detinetur non est strictum ac permanens, uti esset infirmitas gravis ac perdurans.

Nihilominus communiter admittitur in praxi et ex consuetudine videtur probatum, quod stipendium parocho cedat in casu quo vicepastor ejus locum insumit, ubi ille accidentaliter legitimo impedimento detinetur.

II

De licentia legendi scripta prohibita.

Q. An ille qui a S. Sede obtinuit generalem licentiam legendi libros prohibitos, eo ipso etiam habet licentiam legendi libros ab episcopo damnatos ?

R. S. Sedes, mediante S. C. S. Officii, aliquando concedit licentiam generalem « legendi ac retinendi libros *quoscumque* prohibitos et ephemerides... » (1). At, uti can. 1403, § 1, expresse statuit : hæc licentia, quamvis generalis, non tamen respicit ephemerides vel libros a propriis Ordinariis proscriptos, nisi in apostolico indulto expressa fuerit potestas legendi ac retinendi libros a « *quibuslibet* » seu a « *quacumque auctoritate ecclesiastica* » damnatos (2).

---

(1) Generatim excipiuntur « opera de obscenis ex professo tractantia ».

(2) Eadem regula erat in vigore ante codicem vi art. 26 in constit. « *Officiorum ac munerum* ».

Formula proinde, quæ in rescripto, quo talis licentia conceditur, consuevit adhiberi, nempe : « *libros quoscumque prohibitos* » non est eadem ac formula « *libros a quibuslibet damnatos* ».

Et ideo, nisi exceptionaliter obtenta fuerit a S. Sede licentia legendi libros « quoscumque et a quibuslibet damnatos », hujusmodi licentia generalis, qualis regulariter a S. Sede obtinetur, non sufficit ad licite legendum ephemerides vel libros ab episcopo prohibitione stricte dicta proscriptos. Adverte tamen S. Sedi non deesse potestatem permittendi alicui lectionem librorum ab Ordinariis prohibitorum, sed deesse, uti ex dicto canone liquet, intentionem seu voluntatem.

Ordinarii autem licentiam etiam generalem concedere valent pro scriptis ab seipsis prohibitis (1).

J. Brys.

(1) Notatu etiam dignum est licentiam legendi ac retinendi libros prohibitos, quam quis obtinuit, esse ***personalem ;*** sequitur ergo personam ubicumque locorum, etiam quando tantum a proprio episcopo fuerit concessa.

Notæ bibliographicæ

Ryckmans, G. *Het Boek Genesis* (Oud Testament, Deel I, nr 1), Brugge, Beyaert, 1927. — Gr. in 8, 164 bl. — Pr. 19 fr.

Beelen, Jo. Th. (Mgr). *Het H. Evangelie volgens Mattheus* aangeteekend door **A. Vander Heeren** (Nieuw Testament, Deel I, nr 1), Brugge, Beyaert, 1926. — Gr. in 8, 142 bl. — Pr. 15 fr.

Beelen. Jo. Th. (Mgr). *Het H. Evangelie volgens Marcus* aangeteekend door **A. Vander Heeren** (N. T. I, 2), Brugge, Beyaert, 1926. — Gr. in 8, 70 bl. — Pr. 8 fr.

De uitgeversfirma Beyaert gaat flink vooruit in het heruitgeven van het Oud en Nieuw Testament naar de vroeger door Mgr Beelen en anderen bezorgde uitgave; drie deeltjes zijn zooeven verschenen en vier andere. — Judith, Jeremias, 3e en 4e evangelie, — liggen ter ter perse.

Het boek Genesis verschijnt met eenen gansch nieuwen commentaar; de nieuwste stellingen van de kritiek, de talrijke ontdekkingen in het Oosten en de daarmêe samengaande vooruitgang van de kennis der oude wereld vergden eene nieuwe bewerking, die mogelijks na korte jaren alweer zal moeten bijgewerkt. De uitgave werd toevertrouwd aan Kan. Ryckmans, professor aan het Mechelsch Groot Seminarie en conferencier aan de Leuvensche Hoogeschool; zijn theologische bekwaamheid en zijn bekendheid met de semietische talen en toestanden gaven hem de noodige vóórkennis en het schrander oordeel hier vereischt om het meer waarschijnlijke van het louter hypothetische af te scheiden en vooral om de katholieke leer niet te kort te doen door een onbedacht overmatig toegeven aan de vrije kritiek.

Kan. Ryckmans biedt ons eene uitgave die als voorbeeld mag dienen voor de reeks. Eene korte inleiding tot den Pentateuch geeft onder meer, een bevattelijk overzicht aan van de bronnentheorie van Graf-Wellhausen met daartegenover een bondige samenvatting van het katholieke standpunt, in de laatste jaren omschreven door de besluiten van de Bijbelkommissie; bondig wordt de geschiedkundige waarde van den Pentateuch bewezen. De tekstuitleg is sober maar raak; de theologische vraagstukken, — evolutie, schepping van den mensch, eenheid van het menschdom, algemeenheid van den zondvloed, veelwijverij, — worden kort behandeld, de topographische en ethnogra-

phische gegevens worden goed in het oog gehouden, de voorafbeeldingen van het Nieuwe Testament zorgvuldig aangeteekend.

De verklaring mocht geen studie zijn die alles wilde ontvouwen en bewijzen; feitelijk is ze de uitkomst van zulke studie in het bereik gesteld van onze priesters en ontwikkelde leeken.

Het *H. Evangelie volgens Mattheus en Marcus* werd heruitgegeven met de aanteekeningen van Mgr Beelen; op enkele plaatsen slechts moesten inleiding en nota's wat opgefrischt; Kan. Vander Heeren belastte zich ermêe en deed het met zijn bekende bevoegdheid en met de bescheidenheid, die past bij een heruitgeven van Mgr Beelen's meesterlijke commentaren.

M. De Jonghe.

De Smet, A. *Tractatus theologico — canonicus de sponsalibus et matrimonio.* Ed. 4a. Beyaert, Brugis, 1927. — In 8, XLV-840 p. — Pr. 85 fr.

Judicio plena sunt quæ legimus in Revue ecclésiastique de Liège, 1927, p. 339: « L'auteur est un érudit peu ordinaire. Il lit beaucoup et sait tirer profit de ses lectures. Cette nouvelle édition est parfaitement à jour tant de la jurisprudence matrimoniale religieuse et civile, que de la littérature la plus récente de son sujet ». Supervacaneum est laudem dicere hujus operis, uti scripsit quidam, res ipsæ loquuntur.

Pars tertia cui titulus: « de dispensationibus matrimonialibus », quæque maximi momenti practici est, tantas subiit modificationes ut appareat quasi nova. Quicumque percurrere velit varia capita hujus partis et comparationem instituere cum editione præcedenti id non videre non potest. Præsertim immutatum invenimus caput I « de notione dispensationis »; caput II de auctore dispensationis ubi agitur v. gr. de objecto, natura et subjecto potestatis Ordinarii, de principiis moderantibus interpretationem ac exercitium hujus potestatis, necnon de natura potestatis sacerdotalis; caput V de dispensationis concessione et executione, denique caput VI de vitiis dispensationis.

Brevi in lucem edetur compendium hujus tractatus, prælectionibus seminariorum magis accommodatum.

V. Coucke.

Slater, Th. (S. J.) *A manual of moral theology.* 5 ed. London, Burns-Oates, 1924. — Duo vol. in 8, XII-367 et IX-352 p. — Pr. 25 sh.

Probant toties repetitæ ejusdem manualis libri editiones peculiarem favorem quem apud sacerdotes Angliæ et Americæ septentrionalis merito sortitus est. Ut in limine fatetur ex. auctor, voluit ad usum etiam laicorum eruditiorum totam theologiam moralem exponere quam lucidissime et quam brevissime; luciditas revera in opere adest summa, quæstiones difficiles et theses arduæ serena et limpida explicatione exponuntur et probantur; at, ni fallimur, brevitas hinc inde

vergit in defectum, signanter in parte quæ reservatur præceptis Dei et Ecclesiæ; ita, ut unam nominemus, dissertatio de jejunio et abstinentia duas tantummodo complectens paginas nimia concinnitate hanc materiam absolvit. Præ eadem brevitate ulteriores conclusiones et applicationes multarum theseum deducendæ relinquuntur lectori qui, ut libenter fatemur, eas optime statuere poterit dummodo sedulo incubuerit theologiæ morali fundamentali, quæ in hoc manuali præcellenti modo exponitur.

Per totum opus apparet quam sapienter et acute P. Slater in rebus moralibus, historicis et canonicis opinionem suam statuere nitatur.

Kœniger, A. M. *Katholisches Kirchenrecht mit Berücksichtigung des deutschen Staatskirchenrechts.* Freiburg i. Br., Herder, 1926. — In-8, XVIII-514 p. — Pr. 13 mk.

Het doel van den schrijver was een handboek te schrijven van kerkelijk recht, dat den middenweg zou kiezen tusschen een omstandig kommentaar en een bondig overzicht. Hij bedoelde vooral praktisch te zijn en daarom gaf hij een algemeen en toch volledig overzicht van hetgeen de nieuwere kerkelijke wetgeving bevat, zonder overtolligen uitleg, zonder in te gaan in de betwiste punten. Bij de voorschriften van den codex werden heel nauwkeurig alle latere romeinsche dekreten en aanvullende wetsbepalingen gevoegd. Ook de passende burgerlijke voorschriften uit verschillige duitsche gewesten werden nuttig ingeschoven.

Schrijver wijkt af van de gewone indeeling die in de handboeken van kerkelijk recht na den codex wordt gevolgd. In vier inleidende hoofdstukken geeft hij algemeene begrippen aan : over het wezen van 't recht in 't algemeen, en van 't kerkelijk recht in 't bijzonder ; over de geschiedkundige ontwikkeling der kerkrechtelijke wetenschap ; over gezag, wet en uitzondering op de wet. Dan handelt hij over de leeken, de clerici, de hierarchie, de kloosterlingen, verder over den eeredienst, de kerkelijke leer, de kerkelijke goederen en 't strafrecht. In elk hoofdstuk wordt alles samengebracht wat over heel den codex nopens een bepaalde stof mogelijks verspreid is. In een laatste, al te bondig hoofdstuk worden enkele principes uiteengezet over de betrekkingen tusschen kerk en staat.

Het werk zal velen dienstig zijn die minder vertrouwd zijn met de taal der kerkelijke wetgeving. Doch wie een nadere omschrijving en een dieperen uitleg zoekt van de wetten, zal toch naar andere meer uitgebreide kommentaren moeten uitzien.

Sägmüller, J. B. *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts.* Band I, teil II. *Die Quellen des Kirchenrechts.* Vierte Auflage. Freiburg i. Br., Herder, 1926. — In-8, IV-128 p. — Pr. 6 mk.

Het groote handboek van den vermaarden kanonist, professor aan de Universiteit van Tubingen, dat vóór den codex drie uitgaven telde,

wordt nu volledig omgewerkt en op de nieuwe kerkelijke wetgeving aangepast.

Een eerste deel bevatte een algemeene inleiding tot de studie van het kerkelijk recht en droeg als titel : « *Einleitung, Kirche und Kirchenpolitik* ». Het tweede deel dat we hier bespreken en volgaarne aan onze lezers aanbevelen, handelt over de bronnen van het kerkelijk recht. Schrijver behoudt de meest aangenomene verdeeling in *materieele* en *formeele* bronnen van het kerkelijk recht, en geeft dus logisch twee hoofdstukken in dit boek.

Door materieele rechtsbronnen of fontes juris essendi verstaat hij de innerlijke gronden waarop het bestaande recht berust, waaruit een wetsbepaling haar wettelijke kracht haalt. Door uiterlijke of formeele rechtsbronnen, anders gezegd fontes juris cognoscendi verstaat hij de uiterlijke vormen waarin het objectieve recht wordt voorgesteld, den tekst van de wet, de oorkonden en wettenverzamelingen waarin die teksten te vinden zijn.

Onnoodig hier veel uit te weiden over de heel bijzondere verdiensten van dit handboek. 't Is een der klaarste, beste en grondigste werken die we bezitten over kerkelijk recht, en we drukken gaarne den wensch uit dat de overige deeltjes spoedig zouden verschijnen.

Vromant, G. (C. I. C. M. de scheut) *Facultates apostolicæ quas s. Congregatio de propaganda fide delegare solet Ordinariis missionum. Commentaria in formulam tertiam.* Museum lessianum, section théologique, n. 16. Louvain, rue des récollets, 1926. — In 8, VI-166 p. — Pr. 8,50 fr.

Hoc opus R. P. Vromant uti titulus ipse indicat est commentarium in *formulam tertiam majorem*, quæ inter tres formulas seu elenchos facultatum quas S. C. de P. F. concedere solet Ordinariis missionum, est omnium amplissima. Hæc formula *tertia* continet facultates quæ solent concedi Ordinariis illorum locorum, unde difficilius Romam recursus instituitur, estque major et minor : *major* vocatur illa, quæ reservatur illis locorum Ordinariis qui charactere episcopali aucti sunt ; *minor* vero hæc, quæ illis superioribus missionum obtingit, qui charactere episcopali carent ; eamdem A. in suo commentario non prætermittit, quamquam majorem præsertim explicat.

Opus dividitur in duplicem partem : *prior* quidem agit de facultatibus in genere, ibique exponuntur variæ normæ generales interpretationis, prouti tum ex codice J. C. tum ex animadversionibus facultatum erui possunt ; *altera* vero pars commentarium exhibet de singulis facultatibus in specie.

Admodum rari sunt hujusmodi facultatum commentarii, qui eminent ét scientia tam juridica, ét methodo tam clara, ét doctrina tam probata, ét accommodatione ad practicas missionum necessitates tam perspicua. Et revera, quod *scientiam juridicam* specta , A. habet accuratam notitiam « regularum juris » quæ, uti notum est, totidem sunt principia generalia ac fundamentalia pro recta textuum interpretatione inser-

vientia ; profundam etiam cognitionem possidet locorum parallellorum in codice, quæ — uti ex can. 18 constat — in textibus juris interpretandis magno subsidio sunt. *Methodus* ejus optima : præmittuntur, brevi explicatione illustratæ, variæ normæ generales interpretationis, quæ fundamentum præbent, quo A. nititur ad opiniones suas legitimandas, vel ex quo singulæ explanationes facultatum tamquam corollaria deducuntur ; insuper, pro singulis facultatibus juxtaponitur quid sit juris communis, quid objectum specialis commissionis. In exponenda *doctrina*, R. P. Vromant utitur sane commentariis ab aliis auctoribus, præsertim a P. Vermeersch et P. Iglesias exaratis, sed ipse examinat singulas theses, ut eas quæ probandæ sunt accipiat, alias vero — et non sunt tam paucæ — rationibus tamen additis, recuset. In specie quod *accommodationem* hujus operis *ad statum missionum* attinet, hoc opus aliis commentariis certo eminet, quoniam A. penitiorem cognitionem difficultatum practicarum habet, quam acquisivit experientia ; ministerium enim apostolicum ipse per plures annos in missionibus jam exercuit, et insuper a quibusdam annis jus canonicum in schola theologica suæ congregationis cum doceat, perplures sane casus difficiliores suorum confratrum in missionibus laborantium dissolvere debuerit.

Pauca sunt revera in toto opere quæ minus placent, nec hic indicari debent ; adeoque hoc opus R. P. Vromant libenter commendamus.

J. Brys.

Théologie mystique ou traité de vie spirituelle du P. Boniface Maes, Récollet, traduit du latin par le P. Martial Lekeux. Collection Caritas. Paris, Bloud, 1926. — In 8, 183 p.

Nous applaudissons de tout cœur à l'initiative prise par les Frères Mineurs de rééditer, à l'occasion du septième centenaire de la mort de leur séraphique Père, les plus beaux ouvrages de spiritualité que l'école franciscaine nous a légués au cours des siècles passés. Tel sera l'objet principal de la Collection Caritas, qui nous fournira ainsi une bibliothèque de lectures spirituelles d'inspiration franciscaine et qui rouvrira aux âmes le chemin de cette grande source jaillisante que fut le Poverello, pour qu'elles y boivent l'eau de ses claires vertus, la candeur, la pénitence joyeuse et l'amour séraphique. Ce salutaire retour au passé franciscain marque un mouvement d'offensive contre certaine littérature spirituelle sans cœur et sans vie, mais surtout il veut inaugurer un service de ravitaillement pour les âmes si nombreuses de nos jours qui ont faim et soif de vie mystique. On comprend que sous ce double aspect l'opération ne pouvait être mieux « commandée » que par le P. Martial Lekeux. Et à vrai dire le départ fait bien augurer du succès de l'entreprise. En effet le présent traité du P. Boniface Maes a fait ses preuves. Paru en 1668 en flamand, et l'année suivante en latin, « il eut aussitôt un immense succès : au bout de quelques années il avait eu dix éditions — ce qui pour l'époque est énorme — et était

traduit en français et en allemand » (1). En 1854 M. Ubaghs, professeur à l'Université de Louvain, en fit une réimpression en latin et en 1921 M. le chanoine Mahieu a réédité le texte flamand dans la collection *Het geestelijk leven* (2). La présente traduction est faite sur la version latine de M. Ubaghs : des notes ajoutent au texte d'utiles éclaircissements. Comme nos lecteurs connaissent l'édition flamande, il est superflu de nous attarder à une analyse un peu détaillée. Rappelons seulement la tendance générale du traité du P. Macs : il se propose d'enseigner à tous, ignorants ou savants, la *science* de l'amour, ou mieux encore peut-être, *l'art* d'aimer. Cette tendance se trouve nettement exprimée dans la belle prière préliminaire où l'âme demande à Dieu par la lecture de ces paroles trés saintes, de le connaître et de l'aimer ; mais à cette condition qu'Il lui donne autant d'amour que de connaissance, et non pas plus de connaissance que d'amour : « car je ne veux Vous connaître que pour vous aimer. Amen ». Nous conseillons la lecture de cet ouvrage spécialement comme un efficace apéritif à ceux qui, comme le P. M. L., se plaignent parfois de « ne plus savoir lire », de ne trouver que nausée dans la lecture spirituelle.

Méditations pour tous les jours de l'année sur la vie et la doctrine de N. S. Jésus-Christ, d'après les quatre évangélistes par le P. M. Avancin, S. J. Nouvelle édition par le P. J. Busée, S. J., Arras, Brunet, 1926. — Deux vol. in 18, VI-391 p. et 380 p. — Pr. 16 fr.

Le P. Nicolas Avancinus savant jésuite (1612-1685) publia par ordre de ses supérieurs sa *Vita et doctrina J. C.*, recueil de méditations brèves, substantielles, suggestives, à l'usage de ses confrères, qui eurent un vif succès même en dehors de la compagnie. La traduction du P. Busée peut être considérée comme la plus fidèle. La firme Brunet a fait œuvre utile en donnant une double édition : l'une à l'adresse des prêtres, l'autre à l'adresse des communautés et des personnes pieuses vivant dans le monde. Une courte notice au sujet de l'auteur et de l'œuvre aurait certes avivé l'intérêt du lecteur et les quelques pages d'introduction dont le P. Avancinus fait précéder ses méditations méritaient tout autant que celles-ci la réimpression.

A. Legrand.

---

(1) Cfr Préface, p. 11.
(2) *Collat. Brug.*, t. XXII (1922), p. 351.

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis februarii propositas.

—

I.

In Jo., XX, 19-31. — Homilia.

Q. *Expositis circa evangelium Missæ Dominicæ in Albis* (Jo., xx, 19-31) *explicationibus ad textum intelligendum requisitis et, intuitu homiliæ habendæ, lectioni evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ, cujus objectum sit : resurrectio spiritualis ex morte peccati et perseverantia in vita gratiæ.*

R. *Explicationes ad intellectum evangelii præparatoriæ.* Dira morte occubuerat Jesus, quam potestates inferorum hisque deserviens mundus ei intulerant. Sepultus erat lapideque magno valde inclusus, Judæorum signaculo obsignatus militibusque in mortem et sepulchrum custoditus. Ast, omnibus istis invitis, ad vitam redierat, omnipotentis Dei miraculo, nemini vel amico vel hosti perspecto. Et a primis jam horis, ab ipsa prima die indubiis argumentis veritatem resurrectionis suæ demonstraverat, iteratis apparitionibus, tum legatorum suorum angelorum, tum propriis suis, et matri, et piis mulieribus, et Petro et discipulis in Emmaus tendentibus. Eamdem demonstrationem perget per horas et dies sequentes, ut enarrat præsentis Dominicæ lectio evangelica, usquedum

quadraginta dies post resurrectionem, in cælum ascendet, vitam suam gloriosam in æternum perducturus.

De hisce apparitionibus Jesu redivivi occupatur præsens hujus Dominicæ lectio evangelica. Tribus constat pericopis: una enarrat Jesu apparitionem, in ipsa die resurrectionis, decem ex Apostolis suis; in ea demonstrat Jesus veritatem suæ vitæ committitque Apostolis potestatem qua etiam in alios, peccatores nempe, vitam gratiæ transfundant; — secunda, describit aliam apparitionem, undecim Apostolis, octo dies postea; in ea iterum demonstrat Jesus resurrectionem suam beatitudinemque fidei proclamat; — tertia tandem sequitur quæ est Evangelii quarti conclusio: in ea Joannes ipse fidem in Jesum qua medium vitæ habendæ et conservandæ assignat.

Sequatur lectio Evangelii.

Applicatio.

Quam multæ et quam præclaræ et cæteroquin quam obviæ, in doctrina s. Scripturæ, signanter in doctrina s. Pauli, in doctrina quoque ss. Patrum aliorumque antiquorum recentiorumque scriptorum ecclesiasticorum, sicut etiam in manifesta doctrina Ecclesiæ fundatæ possunt fieri applicationes ad eam resurrectionem, qua peccator ex morte spirituali redit ad vitam gratiæ, vita gloriæ aliquando perficiendam! Quam opportune hæc meditabuntur in hodierna Dominica, qua festa Paschalia, ad memoriam resurrectionis Christi et ad spiritualem resurrectionem in nobis operandam instituta concluduntur.

Sicut Jesu fuit ita et peccatori dira est mors peccati, quam potestates inferni eisque deserviens mundus ei inferunt; in sepulchro jacet anima, lapideo pejori, in mortem et ruinam æternam a dæmonibus custodita. Sed, omnibus invitis quibus dominatur nobis peccatum, omnipotentis Dei auxilio ex morte redimus, ad vitam resurgimus. — Et vide documenta quæ nobis ab hodierna evangelica lectione suscitantur.

1/ Mirabilis fuit et mysteriosa, cujus nemo testis fuit,

Dei operatio qua e morte et sepulchro resurrexit Jesus. Ita quoque mirabilis et mysteriosa est, quam nemo in anima peccatoris perspicere valet, operatio qua ad vitam redit peccator. Est nempe illa supernaturalis operatio, quam sacerdos potestate et quasi persona Jesu indutus pœnitentem a peccatis suis absolvit.

Eamdem enim missionem quam a Patre accepit Jesus, vitam dandi hominibus, *Jo.*, x, 10, transmisit Apostolis et Ecclesiæ suæ, v. 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, ipsisque divinam commisit potestatem ex morte peccati homines ad vitam gratiæ resuscitandi, v. 22 s. : *Accipite Spiritum sanctum : Quorum remiseritis peccata remittentur eis, etc.*

2/ Quam atrox fuerat Jesu mors ! In *anima* sua tristis fuerat usque ad mortem ; dirum expertus fuerat bellum a parte inimicorum suorum, potestatum inferni ipsisque addictorum Judæorum ; imo et in seipso perdolorosam resistentiam naturæ inferioris, dum cœperat tædere et pavere et mæstus esse. In *corpore* cruento modo fuerat laceratus, vulneribus perfossus, morte peremptus. Et ecce dum resurgit, *corpore* quidem redit ad vitam gloriosam, dotibus præternaturalibus indutus, ita ut januis clausis subito assistat discipulis, v. 19 ; *anima* vero pace et beatitudine perfunditur tota, ita ut ipsam et in alios transfundat. — Sic et homo peccato suo in *anima* vulnera, imo et mortem ab hostibus suis patitur totusque turbatus timore et remorsu tentationibusque existit ; imo et *corpus* ejus, quasi instrumentum diaboli, pronius ad nova peccata et in via ad mortem æternam existit. Et ecce dum ex peccato resurgit, *anima* donatur vita supernaturali et pace quæ exsuperat omnem sensum ; imo ipsum *corpus* jam nunc nobilitatur fitque Spiritus sancti templum, aliquando ad eamdem vitam gloriosam transiturum, quam et Jesus accepit.

3/ Morte sua alios quoque, matrem et fratres et Apostolos dolore affecerat, timore perculserat, v. 19 : *fores erant clausæ, propter metum Judæorum.* Et ecce,

dum resurgit, eosdem ingenti *pace* perfundit, ter eam ipsis apprecans, vv. 19, 21 et 26 et ex visione sua *gaudio* eos adimplet, v. 20. — Nonne et homo, dum peccat fratres et cognatos, sacerdotes et Ecclesiam dolore afficit timoreque percellit ne in æternum pereat ; sed nonne resurgendo ad vitam gratiæ ingenti gaudio eos recreat?

4/ Ad exemplum Jesu *veritatem resurrectionis demonstrent peccatores.*

Equidem nemo fuerat resurrectionis Jesu testis; sed quot apparitionibus manifestum se fecit et quam multis argumentis veritatem resurrectionis suæ comprobavit! Ita in præsenti evangelio voce sua eos alloquitur ; aspiciendum se præbet et vulnera sua, v. 20: *ostendit eis manus et latus ;* imo et tangendum et palpandum se præbet, v. 27; tandem, quod supplemus ex synopticis, manducat coram discipulis, piscem et favum mellis. Sic et peccator, ad vitam gratiæ redux, audiatur *loquens* verba vitæ, sermones honestos et dignos ; *ostendat* hominibus *manus* suas, actus et opera sua vitæ christianæ conformia ; ostendat imo *et latus*, cor suum tangendum præbeat, pandendo affectus dispositionesque cordis in novos mutatos; tandem, coram aliis christianis, in Ecclesia, sine ullo respectu humano, *manducet piscem*, qui Christus est, cibum dulcem super *mel et favum*, Eucharistiam. Signanter exerceat peccator redivivus opera illa quorum Jesus hîc exemplum se præbet : charitatem, qua mæstos discipulos consolatur ; miram comitatem erga Thomam tam irrationabiliter incredulum, tanta præsumptione signa exigentem; humilitatem, qua Apostolis omnibus Thomæque in specie, videndum et tangendum seipsum committit; pœnitentiam: ut Jesus, ostendat se peccator tamquam gerens vulnera crucifixionis; crucifixus sit mundo; zelum tandem, quo tanta sollicitudine ad fidem alios adducere satagit. Imo innumeris aliis bonis operibus præluceat: sicut *Jesus multa alia signa fecit*, quæ non scripsit Joannes in libro suo, v. 30, ita et peccator, ad vitam resuscitatus, vitam suam actibus

virtutum exsequatur, qui, si plerique aliis hominibus ignoti permanent, Deum certe non latebunt suamque mercedem habebunt. Uno verbo, ut dicit Joannes in v. 31, *credat* peccator conversus *Jesum esse Christum*, salvatorem eumdemque *Filium Dei ;* credat, inquam, non fide mere theoretica et speculativa, quæ sine operibus mortua est, sed fide illa concreta et practica, fide illa integrali, quam fere ubique in Evangelio suo intellexit Joannes, fide quæ per caritatem et Christi legis observationem operetur et operibus seipsam exsequatur. Sic enim *credens*, per hujusmodi fidem, *in nomine* seu per merita *Christi*, *vitam habebit ;* vitam, inquam, sensu Joannis : nimirum, quod animam spectat, vitam gratiæ in hac terra, vitam gloriæ in cælo, quæ vita animæ in sæculo futuro per resurrectionem gloriosam corporis consummabitur.

A. Vander Heeren.

II.

De communicatione idiomatum.

Q. *Quid venit nomine communicationis idiomatum in tractatu de Verbo incarnato? Paucis explica responsum.*

R. — Hanc quæstionem de communicatione idiomatum esse satis intricatam nemo non novit qui quosdam tractatus de Verbo incarnato pervolverit. Ponitur inter quæstiones consequentes ad ipsum problema de unione hypostatica, et merito quidem, ast sæpius non satis apparet quonam modo se habeat ad ipsam ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν seu unionem secundum subsistentiam.

Connectitur etiam cum ea quæ dicitur duarum naturarum in Christo mutua circumincessio [περιχώρησις], sed rursus non satis videtur quonam modo, nec quidpiam explanatur addendo illam communicationem idiomatum cum hac perichoresi fere coincidere.

Tandem auctores in articulo, quem inscribunt de com-

municatione idiomatum, bene multi agitant præsertim quæstionem de modo quo loquendum venit de Christo, Deo-homine, quam quæstionem sanè non multum elucidant, dum idioma dicunt esse proprietatem, quod recte omnino, et statim addunt hæc idiomata, quod spectat naturam humanam Christi, esse *omnia* ejus *attributa :* qualitates, operationes, passiones, ac vel ipsam naturam ejusque constitutiva (1).

Jam autem idioma [ἰδίωμα] ex etymo dicit *proprietatem ;* derivatur ab adjectivo ἴδιος, latine proprium, et cohæret cum verbo inusitato εἴδω, quod significat : video, aspicio (2), unde habetur εἶδος, aspectus seu forma rei aspectabilis, et ἰδέα, apparentia, species et etiam forma rei distinctiva, quod agentes de ideis divinis jam observavimus (3).

Igitur *communicatio idiomatum* stricte sumpta intelligitur *proprietatum* tum divinæ tum humanæ naturæ in Christo *quasi permutatio*, sine ulla tamen permixtione aut confusione. Hæc communicatio, quam ss. Patres græci, quorum testimonia pro hac materia præcipue attendimus (4), dicebant ἀντίδοσιν, *fundatur in ipsa unitione* (ἕνωσις) duarum naturarum in una persona Verbi, sine ulla confusione rursum aut alteratione, quamvis *cum* earumdem naturarum quadam *circummeatione* et quasi

---

(1) Ita v. g., cum aliis multis, Van Noort-Verhaar, *De Deo Redemptore*, n. 73, p. 48, Hilversum, 1925[4].

(2) Adhibetur ut aor. 2. εἶδον cum verbo ὁράω = video.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 199.

(4) Præcipua testimonia refert Petavius, *Opus de theol. dogm.*, De incarnatione, lib. IV, c. 14 et 15 necnon lib. VIII, c. 10 (ed. Antverpiæ. 1700, in t. V, p. 201 s. et p. 395 s.). — Adverte *litteraturam ecclesiasticam* trium priorum sæculorum, et adhuc magna ex parte sæculi quarti, quando ineunte hoc sæculo, nimirum a. 325, celebratur primum concilium œcumenicum, nicænum scilicet, in quo damnatur Arius, *esse græcam ;* maximi momenti in hac materia sunt certo etiam testimonia s. Hilarii pictaven. († 367), qui vocatur « Athanasius occidentis », sed ipse in exsilio fuit imbutus subtilioribus speculationibus græcis,

in se mutuo inexistentia seu *circumincessione*, quam græci περιχώρησιν appellabant (1).

Quam doctrinam concinne refert s. Joannes damascenus, qui multam traditionem paucis verbis complectitur (2): « Verbum, quia ipsius sunt quæ sanctæ ejus carnis sunt, ea quæ humanitati conveniunt, sibi vindicat et carnem participem facit eorum quæ propria sua sunt [gr. τῶν ἰδίων], juxta modum alternæ communicationis [κατὰ τον ἀντιδόσεως τρόπον], ob mutuam inter se partium [naturarum] commeationem [διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν], unionemque hypostaticam [καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν].

Adverte sedulo, secundum s. Joannem damascenum, perichoresim, quam alibi sequenti ratione describit: « mutuam in se invicem divinitatis ipsius [Verbi] et carnis commeationem » (3), radicari pariter in ipsa unitione duarum naturarum secundum hypostasim Verbi (4). Apprime adhuc notandum venit virtutem conjunctivam

---

(1) Nota quomodo illa circumincessio, de qua in tractatu de Deo trino (cfr *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 373 s.), quæ dicit mutuam immeationem trium divinarum personarum in una natura divina, quin tollatur distinctio personarum, differat ab hac perichoresi, quam in tractatu de Verbo incarnato consideramus, quæque dicit mutuam immeationem duarum naturarum in una persona Verbi, quin distinctio naturarum tollatur.

(2) S. Joannes damascenus († c. a. 754), *De fide orthodoxa*, III, 3 (MPG, XCIV, 993). — Uti notum, s. Joannes damascenus, qui ultimus nominatur plerumque Pater Ecclesiæ græcæ (cfr *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 36 s.) jam colligit sæpius aliorum Patrum testimonia atque systematice eadem proponit; ejus tractatus, qui inscribitur « De fide orthodoxa », merito nominatur « Summa theologiæ græcæ ».

(3) *Adv. eos qui sacras imagines abjiciunt or.* I, 21 (MPG, XCIV, 1253).

(4) Cfr Petavius, *o. c.*, lib. IV, c. 15, n. 3 (p. 204); advertit Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, Paderborn, 1912[5], II, p. 97: « Vergleicht man die Perichorese mit der hypostatischen Union selbst, so ist sie nicht so sehr deren Folge als vielmehr ihre Kehrseite », et infra refert approbando hæc verba theologi germanici Oswald, *Die Erlösung in Christo Jesu*, Paderborn, 1887: « Beide [Perichorese und persönliche Einheit] ergänzen sich zum vollen Ausdruck der hypostatischen oder physichen Union ».

totam esse ex parte Verbi, nullam ex parte humanæ naturæ assumptæ, quod insistendo Damascenus inculcat (1).

Num autem ad perichoresim presse sumptam, quæ spectat utramque naturam inconfusam, atque ad communicationem idiomatum stricte pariter consideratam, quæ proprietates utriusque naturæ respicit, consequitur adhuc utriusque naturæ *communio quædam ad operandum*, quæ rite intelligi debet, secundum formulam s. Leonis magni, quæ ad fidem pertinet : « Agit utraque forma [seu natura] cum alterius communione quod proprium est » (2). Hæc porro communio triplici modo obtinere potest.

a/ Verbum, humanam naturam *sustentando* ut hypostasis, conferebat *omnibus* operationibus suis humanis valorem quemdam infinitum, utpote quum essent actiones divinæ personæ secundæ ss. Trinitatis incarnatæ, et inde intelligitur valor infinitus satisfactionis et meriti Christi.

Hæc communio habetur igitur *quin natura divina quidquam agat*, ratione ipsius unionis secundum subsistentiam, seu juxta τρόπον τῆς ὑπάρξεως, uti Patres græci dicebant (3); hac eadem ratione quæcumque operatio humana Christi merito vocatur *theandrica*, latine deivirilis, et quidem per excellentiam, licet *latiori sensu*, quia revera divinitas nihil agit (4).

b/ Verbum concurrebat ad *omnem* operationem huma-

---

(1) *De fide orthodoxa*, III, 19 (MPG, XCIV, 1079).

(2) S. Leo magnus († 461), *Epist. dogm.* [28] *ad Flavianum*, a. 449, apud *Enchir.*, n. 144; eadem formula sæpius in aliis documentis ecclesiasticis resumitur; ita v. g. in epist. dogm. s. Agathonis, R. P. († 681), ad conc. roman. a. 680, mediis in controversiis de unica vel duplici operatione et volitione in Christo. Monergismus et monothelismus damnati fuere solemniter in conc. constantinopolitano tertio, œcum. VI, a. 681.

(3) Cfr Petavius, *o. c.*, lib. VIII, c. 10, n. 12 s., p. 398 s.; ὕπαρξις = existentia.

(4) Cfr Petavius, *o.* et *l. c.*; Billot, *De Verbo incarnato*, th. XXX, p. 301, Romæ, 1900³; *Collat. Brugen.*, V (1900), p. 223.

næ suæ naturæ, non solum generali motione qua Deus operans ad extra, sed *speciali regimine atque directione*, qua Verbum incarnatum, subsistens in humana natura assumpta ; aliis verbis, « in ordine perfectionis moralis, operatio humanitatis [Christi quælibet] per divinitatem ita regebatur, ut esset semper ordinatissima, et omnibus numeris absolutum [perfectionis] exemplar » (1).

Hic modus, qui conferri potest cum illo, quem ss. Patres græci ἔνδοσιν nominabant (2), importat itaque denuo actionem vere *theandricam*, sed rursus *latiori sensu*, quoniam *ipsæ operationes* utriusque naturæ nondum conjunguntur.

c/ Verùm, existit *genus quoddam actionum* in Christo, « quod *mistum* appellari », ait Petavius (3), « supra notavimus ; in quo humana simul cum divina concurrit operatio, ut [obtinet] in miris [Christi] operibus [seu miraculis]... Quod genus θεανδρικὸν proprie vocari ab antiquis diximus, utpote in quo duplex aperte inest operatio, divina et humana, quæ ambæ inter se copulantur et concurrunt ad ejusdem effecti partim humani, partim divini molitionem » (4).

Hæc est igitur *actio theandrica stricte sumpta*, quæ habetur per veram cooperationem, per συνέργειαν, uti græci dicebant (5), sed sine ulla nihilominus ipsarum operationum confusione, uti secundum fidem catholicam tenere omnino necesse est (6).

---

(1) Billot, *o.* et *l. c.*, p. 296.

(2) Cfr Petavius, *o. c.*, lib. viii, c. 10, n. 11, p. 398 ; ἔνδοσις dicit relaxationem potius et concessionem, quam ἔνδοσιν, ait Petavius, « s. Joannes damascenus, aliique Patres exponunt sicut divina natura humanam regens, ei quæ propria erant et naturæ consentanea, pati vel agere concesserit » ; heic autem insistimus in speciali regimine, quo hæc omnia fiebant ordinatissima.

(3) Petavius, *o. c.*, lib. viii, c. 10, n. 14, p. 399.

(4) Heic obtinet revera conjunctio causæ principalis cum causa instrumentali creata, ad unum eumdemque effectum producendum.

(5) Cfr Petavius, *o.* et *l. c*, n. 11, p. 398.

(6) De operatione theandrica rite intelligenda videsis *conc. lateran.*, a. 649, can. 15 (*Enchlr.*, n. 216) ; explicationem hujusce canonis habes

Itaque satis constat quid sit communicatio idiomatum, *objective* seu *ontologice* spectata, et simul luculenter apparet quemnam locum in explicanda unione hypostatica habeat.

Jam age nunc poni potest etiam problema quomodo possint ac debeant de Christo tum divina tum humana *prædicari mutuo*, et quomodo non possint. « Hæc [autem] mutua prædicatio est, quæ solet », inquit Franzelin, « intelligi potissimum nomine communicationis idiomatum, quamvis forte melius diceretur *prædicatio idiomatum*, fundata in eorum [ontologica] communicatione » (1).

Animadvertere juvat sub hac quæstione de prædicatione idiomatum, plerumque nunc omnia agitari quæ quocumque modo, non solum ratione communicationis ipsorum idiomatum, sed adhuc ratione unitionis et circumincessionis, vel etiam ratione operationis et correlativæ passionis, de Christo dici possunt. Hoc est itaque reapse problema de modo quo secundam rectam fidem de mysterio incarnationis loqui oporteat, quod quanti momenti sit ut accurate omnino fiat, ex variis erroribus christologicis exortis a primis exordiis revelationis christianæ, abunde sane patescit (2). H. Lamiroy.

III-IV.

De præcepto annuæ confessionis.

Q. *Quod attinet præceptum ecclesiasticum annuæ confessionis, quæritur 1) quomodo annus computandus sit et 2) quinam hoc præcepto obligentur?*

R. *Prænota.* Præceptum confessionis annuæ, lege universali et sollemni, primum latum est a concilio latera-

---

apud *Collat. Brugen.*, V (1900), p. 221. — Adverte omnem operationem Christi-*hominis* fuisse aliquo modo theandricam; non ita omnem operationem Christi-*Dei*, quippe quum humanitas in iis solum operationibus divinitatis communicaverit, quæ ad opus incarnationis et redemptionis spectabant.

(1) Franzelin, *De Verbo incarnato*, th. XXXVII, p. 337, Romæ, 1869.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXVII (1927), p. 9 s.

nensi IV, anno 1215, hisce verbis: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti... » (1).

Interim, consuetudine vim legis habente, abolita est dispositio concilii qua præcipiebatur ut fideles apud suum *proprium* sacerdotem, parochum scil. aut episcopum suum, confiterentur. Quare, canon 906, antiquam legem referens, simpliciter statuit: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri ».

Facilitatis gratia, invertimus ordinem quæstionum et agimus :

I. *De subjecto obligationis.*

Lex annuæ confessionis obligat, *ratione sui* (2) fideles :

1/ *Rationis usum adeptos, sive jam septennes sint, sive non.*

Etenim, ætas discretionis tum ad confessionem tum ad communionem, ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est *circa* septimum annum, *sive* supra, *sive* etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique præcepto confessionis et communionis (3).

Ratio est quia jure *divino* obligamur inde ab adepto usu rationis. Jamvero, statim dicemus præceptum annuæ confessionis esse determinativum juris divini.

2/ *Conscios peccati gravis, quod nondum clavibus directe remissum est.*

a/ Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut ea peccata confiteantur, quibus se Dominum et Deum *mortaliter* offendisse meminerint. Sic, concilium tridentinum, sessione XIV, cap. 5, *De confessione* (4).

---

(1) *Enchiridion symbolorum*, n. 437.

(2) *Aliunde* quoque confessio præcipi potest, puta ob can. 855 de quo infra.

(3) Decretum, *Quam singulari*, statutum I ; Cfr *Collat. Brugen.*, XV (1910), p. 579.

(4) *Enchiridion symbolorum*, n. 900.

b/ Præterea, præceptum ecclesiasticum determinat jus divinum. Id etiam docet concilium tridentinum : « Neque enim per lateranense concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur » (1).

Atqui, præscriptum can. 901 refert jus illud divinum : « Qui post baptismum *mortalia* perpetravit, *quæ nondum per claves Ecclesiæ directe remissa sunt*, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem *conscientiam* habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quæ speciem peccati mutent ».

Itaque, ii tantum obligantur ad confitendum semel in anno, qui conscii sunt *gravis* peccati a se commissi (2) et nondum clavibus directe remissi. Id tamen non est imprudenter proclamandum, ne confessiones rariores fiant.

Adverte : *α*/ Qui dubitant an de facto *commiserint* peccatum quod sciunt esse grave, vel dubitant an peccatum quod commiserunt subjective *grave* sit, non obligantur præcepto quousque dubium hoc manet probabile : non enim sunt *conscii* gravis peccati. Pariter, qui dubitant an peccatum mortale quod commiserunt jam clavibus directe remissum sit, possunt confessionem hujus peccati differre quousque probabile manet peccatum clavibus directe absolutum esse.

β/ Qui inculpabiliter oblitus est accusare aliquod peccatum grave, non debet vi præcepti ecclesiastici iterum eodem anno confiteri, quia hoc anno jam omnia peccata mortalia, quorum momento absolutionis conscientiam habebat, confessus est.

γ/ Præceptum non adimplet, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam (can. 907).

---

(1) *Ibidem*., n. 901.
(2) Id olim in controversiam veniebat.

II. *De tempore obligationis implendæ.*

Verba « saltem semel in *anno* » vario modo explicantur.

1/ *Alii* dicunt annum sumi pro anno *currente*, cujus scilicet initium dependet a stilo qui in usu est.

Noscitur tempore medii ævi plures stilos in usu fuisse (1). In quibusdam regionibus annus incipiebat die 25ª martii (stilus Incarnationis seu Annuntiationis), in aliis die Nativitatis Domini (stilus Nativitatis), Sabbato sancto (stilus paschalis, a cereo paschali), in aliquibus die 1ª januarii (stilus Circumcisionis).

Porro, nostro tempore, solus existit stilus Circumcisionis. Unde, prima sententia docet annum computandum esse a die 1ª januarii.

2/ Secunda sententia docet juxta stilum paschalem computari annum, sed ita ut initio temporis paschalis annus incipiat.

Nimirum, unico textu a concilio lateranensi latum est præceptum confessionis et communionis annuæ. Verba « *semel in anno* » referuntur tum ad confessionem tum ad communionem (2). Jamvero, annus intra cujus limites communicandum est, computatur a concilio lateranensi juxta stilum paschalem. Hæc est interpretatio authentica Eugenii IV qui præterea docet fideles adimplere præceptum communicando inde ab hebdomada sancta (3).

Quare, mirum non est nonnullos docere annum, pro utroque præcepto, secundum eumdem stilum paschalem computandum esse.

3/ *Alii* dicunt « *annum* » sumendum esse pro *spatio*

---

(1) Cfr De Schepper, *Inleiding tot de studie der kerkgeschiedenis*, Brugge, 1922, p. 107.

(2) En textum : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum ». Cfr *Enchiridion symbolorum*, n. 437.

(3) Epist. *Fide digna*, 8 julii 1440 et cfr Gasparri, *Codicis juris canonici fontes*, I, Romæ, 1923, p. 77.

12 mensium continuorum, quod incipit a primo lapsu gravi et, si post confessionem iterum mortaliter peccatur, inde ab ultima *confessione* bona vel, juxta alios, inde a *relapsu* computatur.

Omnes istæ sententiæ practice tutæ sunt.

Nota. a/ Lex annuæ confessionis non determinat aliquam anni partem qua durante ad tribunal pœnitentiæ accedendum est. Sub hoc respectu differt a lege communionis, quæ virtualiter duplex est, urgens 1/ ad communionem *annuam*, eamque 2/ determinate *tempore paschali* sumendam.

b/ Præceptum annuæ confessionis obligat *ratione sui*. Incapacitas communicandi non liberat itaque peccatorem ab obligatione confitendi semel in anno.

c/ Inspecta probabilitate secundæ sententiæ supra expositæ, peccator qui initio anni paschalis 1927 sacramentum pœnitentiæ suscepit et brevi post tempore relapsus est, non censetur peccare contra præceptum annuæ confessionis si *ante finem* sequentis anni paschalis, idest ante hebdomadam sanctam anni 1929 ad sacramentum pœnitentiæ accedit.

Attamen, ob aliam rationem regulariter citius confiteri debebit. Nam obligatur ad communicandum *initio* anni paschalis 1928. Porro, peccabit contra præscriptum canonis 856 nisi huic communioni confessionem præmittat : nemo enim quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine præmissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedere potest.

d/ Qui novit se in fine anni ab adimplendo præcepto impeditum iri, tenetur confiteri antequam impedimentum adsit.

e/ Qui annuam confessionem *sive culpabiliter sive inculpabiliter* omisit, tenetur confiteri quam primum commode poterit. Tempus enim unius anni non est assignatus ad extinguendam obligationem sed ad eam urgendam, scil. ne confessio diutius differatur. V. Coucke.

V.

Nestorius en het nestorianisme.

V. *Wat leerde Nestorius zelf betreffende het menschgeworden Woord, toen hij bisschop van Constantinopel was geworden (428), en hoe werd zijne leering onthaald?*

A. De dwaalleer van de twee personen in Christus, door Diodorus van Tarsus en vooral door Theodorus van Mopsuesta voorgehouden (1), kwam voor het eerst in opspraak, toen Nestorius, monnik te Antiochië en leerling van Theodorus, in 428, patriarch van Constantinopel was geworden.

Nestorius stond in hoog aanzien, om reden van zijn buitengewoon redenaarstalent : keizer Theodosius had hem zelf voor den patriarchalen zetel uitverkoren en het volk meende in hem een nieuwen Johannes Chrysostomus te ontvangen. De hooge verwachtingen werden echter weldra te leur gesteld. Wel legde Nestorius van den beginne af een bijzonderen iever aan den dag voor de uitroeing der ketterijen ; maar zijn iever keerde jammerlijk tegen de rechtgeloovigheid ! Hij had het vooreerst mis op toen hij zijn steun schonk aan de pelagianen, die, nadat ze te Rome waren veroordeeld, naar Constantinopel waren gevlucht ; doch hij verbeurde vooral zijn goede faam, wanneer hij de verkeerde richting van de antiocheensche school wilde doordrijven tegen de apollinaristen, of beter tegen hen die hij apollinaristen waande. Nog in het eerste jaar van zijn bestuur had hij aan zijn geheimschrijver, den priester Anastasius, dien hij uit Antiochië had medegenomen, opdracht gegeven te prediken « dat men de heilige Maagd niet mocht noemen θεοτόκος, moeder Gods, aangezien Maria slechts een schepsel was, en een God uit een schepsel niet kan geboren worden ». Velen nu ergerden zich aan deze taal

(1) Zie hooger, bl. 94.

en klaagden bij Nestorius ; doch de patriarch nam Anastasius onder zijn bescherming en kwam in eene reeks sermoenen openlijk met dezelfde leer voor den dag. « Neen, zoo sprak hij zelf nu, Maria heeft den God niet gebaard, die ons de zaligheid is komen brengen... Maria heeft het leven gegeven aan den mensch, in den welken het Woord is vleesch geworden ; zij heeft het menschelijk werktuig van onze zaligheid voortgebracht. Het Woord is vleesch geworden in een sterfelijk mensch ; maar het Woord is niet gestorven en het heeft dengene doen verrijzen, in denwelken het vleesch geworden was. Jesus is nogthans God voor mij, want hij bevat God. Ik aanbid de vaas om reden van haren inhoud, ik aanbid het kleed om reden van hetgeen het bedekt, ik aanbid wat mij uiterlijk verschijnt om reden van den verdoken God, dien ik er niet van scheide ». Een geweldig verzet ontstond nu niet alleen onder de leeken, maar ook bij den clerus en de monniken van Constantinopel ; de genoemde bisschop van Cysicus, Proclus, die te Constantinopel vertoefde, trad op in naam van de geestelijkheid tegen de leer van den bisschop en predikte : « Wie beweert dat Christus en het goddelijk Woord twee zijn, verdient

---

(1) Nestorius, geboren te Germanicia in Syrië, omstreeks 380, stierf in ballingschap in 451. Zie meer over hem bij Héfélé-Leclercq, *Histoire des Conciles*, II, p. 233 ss. ; Batiffol, *Le Siège Apostolique* (359-451), Paris, 1924, p. 246 ss., Tixeront, *o. c.*, t. III, p. 16 60, vooral Jugie, *Nestorius et la controverse nestorienne*, Paris, 1912. De bijzonderste bronnen die bij voornoemde werken gediend hebben zijn : 1/ hetgeen uit Nestorius geschriften overgebleven is, te weten : a) brieven, redevoeringen en andere fragmenten verzameld door Loofs, *Nestoriana*, Halle, 1905 ; b) het zoogenaamd *Boek van Heraclides van Damascus*, aan Nestorius toegeschreven, en enkel in syriaksch bewaard. Dit boek in 't begin dezer eeuw ontdekt werd uitgegeven door P. Bedjan, Paris, 1910, vertaald in 't fransch door F. Nau, Paris, 1910. (Tegen de echtheid werden bezwaren geopperd door prof. Lebon van Leuven in *Rev. d'Hist. Eccl.*, 1911, p. 513 ss.) 2/ De geschriften der tijdgenooten : de historieschrijvers, als Socrates, Evagrius en andere, de theologanten, vooral de h. Cyrillus en Marius Mercator en niet het minst de acten van conciliën en pauzen.

afgescheiden te worden van God zelf, want aldus wordt eene *vierheid* geleerd in de plaats van de Drieëenheid, die wij aanbidden ! » Eens ook werd Nestorius te midden van zijn sermoen onderbroken door een leek, die uitriep : « Wat we hooren is leugen en laster : de waarheid is dat één en hetzelfde Woord Gods uit den Vader van alle eeuwigheid geboren, een tweede maal geboren is naar het vleesch uit den schoot eener Vrouw, tot onze verlossing. » Een plakkaat werd in de stad uitgehangen « tot beschaming van den ketter Nestorius. » Op zijne beurt noemde Nestorius zijne tegenstrevers « ellendelingen » en liet er enkele tuchtigen en opsluiten (1).

Intusschen was de beroering van de keizerlijke stad elders bekend geraakt, vooral door toedoen van de monniken, die erg op Nestorius verbitterd waren en steun zochten bij hunne broeders uit de woestijnen van Egypte. Zoo werd de patriarch van Alexandrie, de h. Cyrillus, er toe gebracht zich met den twist te bemoeien ; deze nu zag aanstonds in dat de loochening van Maria's goddelijk moederschap slechts eene uiting was van eene meer algemeene dwaling ; reeds met Paschen, 429, schreef hij naar de monniken een langen brief, waarin hij, zonder Nestorius te noemen, tegenover diens dwaling de traditionneele leer betreffende de menschwording uiteenzette ; ook Nestorius trachtte hij te winnen, maar kreeg een beleedigend antwoord terug. Daarop meende Cyrillus meer doeltreffende maatregelen te moeten nemen ; daar hij geen rechtsmacht had op Constantinopel, schreef hij naar Rome (430) om paus Celestinus op de hoogte van den toestand te brengen : een heel dossier werd medegezonden : de homilieën van Nestorius, uittreksels uit de grieksche Vaders en de brieven welke Cyrillus zelf had geschreven. Een veroordeeling zou niet lang meer uitblijven (2).

---

(1) Deze teksten bij Héfélé-Leclercq, *l. c.* (in de voetnota's).
(2) Batiffol, *l. c.*, p. 347 ; Janssens, *o. c.*, p. 114.

Hoe deze veroordeeling geschieden zal en verder verwikkelingen medebracht, hebben we in de volgende verhandelingen te verhalen. Hier past het echter na te gaan of de beweging tegen Nestorius wel gegrond was. Enkele moderne schrijvers immers hebben het in de geschiedenis der zoogenaamde « tragedie van Nestorius » opgenomen voor Nestorius tegen Cyrillus van Alexandrie : de leer aan Nestorius toegeschreven door zijn tegenstrevers kan wel verkeerd zijn, doch die leer is, volgens hen, niet te vinden in de fragmenten die van Nestorius geschriften overbleven, vooral niet in het beruchte « boek van Heraclides » onlangs teruggevonden en aan Nestorius toegekend (1).

Vooreerst kan daarop geantwoord dat de tijdgenooten het heele dossier van Nestorius in handen hadden, en dus best in staat waren een oordeel te vellen over de uitlatingen van den ongelukkigen patriarch ; daarbij, daargelaten nog wat de tegenstrevers schreven, is er genoeg in de eigen geschriften van Nestorius (zelf in die van lateren datum) om hem ketter te moeten noemen. Wel heeft hij, toen hij door allerlei opwerpingen in 't nauw gebracht werd, de leer van zijnen meester wat vermilderd, en mag hij daarom min nestoriaan genoemd dan Theodorus van Mopsuesta ; doch hij heeft zich niet kunnen losrukken

---

(1) Aldus J. F. Bethune-Baker, *Nestorius and his teaching*, Cambridge, 1908, eenigzins gevolgd door Duchesne, *Histoire ancienne de l'Eglise*, t. III, p. 449 ss. Paris, 1910, ook door Dufourcq, *Le passé chrêtien*, t. IV, Paris, 1910, die op bl. 257 schrijft als volgt : « Il est assez probable que Nestorius au fond n'a pas été hérétique. La malheureuse histoire s'expliquerait : 1° par l'imprécision de certaines de ses formules ; 2° par les théories foncièrement hérétiques de certains Antiochiens ; 3° par l'outrance du point de vue théologique de Cyrille ; 4° par les ambitions ecclésiastiques d'Alexandrie ». Daar tegenover blijft Jugie, *o. c.*, niettegenstaande de nieuw ontdekte bronnen, Nestorius voort als ketter beschouwen ; meestal de katholieke schrijvers volgen hem ; zie Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, Paderborn, 1921, II, bl. 41 ; Tixeront, *l. c.* ; Junglas, *Die Irrlehre des Nestorius*, Trier, 1912 ; vooral P. Galtier, *De Incarnatione ac Redemptione*, Parisiis, 1926, pp. 83-98.

van deze gronddwaling, eigen aan zijn meester : dat eene natuur niet kan volledig zijn zonder eigen persoonlijkheid.

Op deze eerste verkeerde opvatting steunen de zes navolgende dwalingen, die zonder twijfel in de geschriften van Nestorius zelf te vinden zijn :

1° Aangezien de menschelijke natuur in Christus zeker volledig is, heeft die hare eigene persoonlijkheid ; zij is een subject, aan wie zijn eigene (menschelijke) handelingen moeten toegeschreven.

2° De twee naturen in Christus staan dus op hun eigen persoonlijkheid (*prosôpon naturale*) ; ze zijn echter innig vereenigd ; en deze vereeniging geschiedt door den wil, nl. door een zoo volmaakte overeenstemming der beide willen dat er werkelijk maar één willen meer is. Er is tusschen beide « natuurlijke persoonlijkheden » een wederzijdsch geven en nemen, dat toelaat te zeggen dat deze twee op één persoonlijkheid uitkomen, welke Nestorius noemt het *prosôpon unionis*.

3° Deze persoonlijkheid, dit *prosôpon unionis*, is slechts, het blijkt, eene moreele persoonlijkheid, eene kunstmatige, die geen werkelijk bestaan heeft maar enkel eene spreekwijze is. Ze wordt volgens Nestorius, uitgedrukt door de woorden : de *Zoon*, *Christus*, de *Heer*.

4° Uit deze alleen-moreele eenheid, die geen werkelijke, zelfstandige vereeniging daarstelt, en dus beide naturen volledig op hun eigen laat, volgt logisch dat de eigenschappen en de daden van den mensch Jesus niet mogen toegeschreven aan God het Woord (en omgekeerd). Men mag dus niet zeggen dat God het Woord is geboren, heeft geleden, is gestorven. Maria is ook niet θεοτόκος.

5° De *communicatio idiomatum* mag echter wel geschieden voor zooveel men daarbij de termen gebruikt, die de moreel-vereenigde menschheid en Godheid aanduiden (het *prosôpon unionis*), nl. Christus, Zoon, Heer. Zoo mag b. v. de h. Maagd Χριστοτόκος genoemd worden.

6° Ten slotte onderscheidt Nestorius niet tusschen een

concrete natuur en een abstracte natuur ; menschheid is voor hem zooveel als mensch, God hetzelfde als godheid; de woorden worden zonder onderscheid gebruikt ; zoo schijnt hem in de uitdrukking: « Het Woord is gestorven » een bevestiging bevat van de sterfelijkheid der goddelijke *natuur* (1).

Het mag nu waar zijn dat Nestorius rechtzinnig zocht de eenheid te redden in Christus, hij is er echter met zijn *prosòpon unionis* niet in gelukt ! Het blijkt dat hij den zin van de vereischte eenheid in den Zaligmaker niet gevat heeft, noch de gevolgen die er uit voortspruiten in de leer der Menschwording en der Verlossing. Zijn dwaling werd dan ook aanstonds door velen opgemerkt als een ongehoorde nieuwigheid, in strijd met de Schriftuur en de Overlevering ; zij zal aan de Kerk de gelegenheid geven eene verduikelijking en vaster omlijnde bepaling voor te houden van de vereeniging der twee naturen in den goddelijken persoon van Christus, die thans door de kerkelijk-geijkte spreekwijze, « *Unio hypostatica* », uitgedrukt wordt.

R. Deschepper.

VI.

De cura sacræ suppellectilis.

Q. Explica et consiliis practicis illustra sequentem rubricam Ritualis Romani, I, 9 : *Sacerdos « curabit etiam ut [in administratione sacramentorum] sacra suppellex, vestes, ornamenta, linteamina et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda »*.

R. I. **Praeceptum** generali modo inculcat Juris Can. Codex, tit. XVIII, De sacra suppellectili :

Can. 1302. Rectores ecclesiarum aliique quibus credita sit *cura* sacræ supellectilis, sedulo debent ejusdem *conservationi* et *decori* prospicere.

Can. 1296, § 1. Sacra suppellex, præsertim quæ ad normam legum liturgicarum, benedicta aut consecrata

(1) Zie Janssens, *l. c.* en Michel, *Hypostatique (Union)*, in *Dict. de Théol. Cathol.*, volgens Jugie, *o. c.* ; vooral Tixeront, *o. c.*, p. 24-35.

esse debet, quæque publico in cultu adhibetur, *caute custodiatur* in ecclesiæ sacrario aliove tuto ac decenti loco, nec ad usus profanos adhibeatur.

§ 2. Ad normam can. 1522, §§ 2, 3, universæ sacræ supellectilis *inventarium* fiat et accurate servetur.

§ 3. Circa materiam et formam sacræ supellectilis, serventur præscripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliori quo fieri potest modo, etiam artis sacræ leges.

Eadem ferme repetit *Concilium provinciale* Mechliniense, n. 258, et varia *statuta diœcesana*, quæ tamen solent hæc generalia magis in specie determinare, ut infra patebit.

Rubricam generalem in quæstione positam repetit pro s. Eucharistia in specie, Rituale IV, 1, 6 : « Curabit parochus ut omnia ad ipsius sacramenti cultum ordinata integra mundaque sint et conserventur ».

II. Ratio hujus præscripti neminem fugit. Hoc enim exigit :

a/ *Reverentia debita Deo* et rebus sacris. « Domum enim tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum ». Et reverentia qua servire oportet supremæ Majestati non solum interna debet esse sed externe etiam manifestari in iis omnibus quæ ad cultum pertinent. Et nemo non sentit quam indignum sit ut in altari jaceat mappa quam sacerdos in propria mensa non toleraret !

b/ *Ædificatio populi*, qui solet æstimare res sacras pro æstimatione quam ostendunt ipsi sacerdotes non solum dignitate et pietate qua celebrant sed etiam cura qua invigilant cæremoniarum ordini et pulchritudini supellectilis sacræ.

c/ *Utilitas œconomica practica*. Res enim suo loco semper repositæ non facile deperduntur aut franguntur. Minor fractura aut incipiens usura *statim reparata*, non impedit quominus res aliqua adhuc diu maneat ad usum suum convenienter idonea. Albæ et superpellicea regulariter replicata multo diutius decenter adhiberi possunt quin laventur. Et ita sedula cura prævenit majores expensas renovationis supellectilis.

III. **Explicatio.** Integritas et mundities supellectilis sacræ sunt prima et essentialia requisita, sine quibus non obtinetur decens ac dignum ministerium.

Merito sane cupit Ecclesia et hortatur ut, ad honorem supremæ Majestatis divinæ, omnia quæ ad cultum pertinent, sint pulchra, splendida, pretiosa et secundum « artis sacræ leges » ornata. Sed hæc injungit tantum « meliori quo fieri potest modo », quia sæpe desunt media. Sed ab integritate et munditie non debet excusare pauperies : exemplo hoc constat tot communitatum religiosarum, quæ nitidissimum munditiei splendorem conjungunt cum vera ipsius communitatis paupertate !

1. Ad hæc autem requiritur *ordo*, ut « res omnes suo quæque loco disponantur » (1), juxta adagium receptum :

Een plaats voor ieder ding
Ieder ding op zijn plaats.

Quam indecens est ut varia utensilia inordinate accumulenter juxta altaria vel sedilia chori vel in baptisterio. Merito igitur præscribunt statuta Brugensia, n. 165 : « ad sacristiam aut potius *ad depositorium* relegentur quæcumque in ecclesia minus deceant, ut scalæ, capsæ, aliaque quæ vilipendium inspirent potius quam venerationem. » — « Nulla prorsus utensilia, scamna, candelabra et res hujusmodi asserventur *sub altaribus* vel etiam retro post ea ; ideoque altaria armariis instructa ne construantur. Parochi vigilabunt ut sacristæ hoc statutum assidue observent » (n. 178). Item ne congerantur *in baptisterio*. Quare « sedulo invigilent parochi ne locus præcellenti huic sacramento administrando destinatus, in usus profanos imo et sordidos convertatur » (n. 179).

Ideo « vestes sacerdotales, ornamenta, linteamina, libri aliaque summa cura perfectoque ordine *in armariis et scriniis* disponantur et decenter serventur » (n. 178). Sint hæc scrinia in sacristia tantæ amplitudinis ut ordinate continere valeant omnia quæ generatim adhiberi debent.

---

1) *Statuta Brugensia*, n. 178.

Ea vera quæ rarius, v. g. pro processionibus aut præcipuis festis usuveniunt, possunt in domo pastorali aut alio loco convenienti asservari. Capsæ, maxime in quibus recondendæ sunt vestes sacerdotales et linteamina alba, sint bene clausæ ne pulveres penetrent, et identidem mundentur.

2. Ut **integritati** supellectilis consulatur, summi momenti est ut minor fractura aut incipiens usura *quantocius* reparetur: secus enim cito crescere solet et rem totam ante tempus usui suo ineptam et irreparabilem reddere. Quod præsertim valet de *indumentis et linteaminibus*. Quibus igitur adhibenda est cura specialis et assidua, quæ vix aliter quam manu, arte et solertia muliebri præstari potest. Quare suadendum est ut frequenter et tempore statuo aliqua monialis vel persona pia et optimæ famæ scriniorum inspectionem faciat, ut judicet quid sit lavandum, quid vero reparandum.

Refectiones saltem ordinariæ forte committi possunt monialibus vel alicui mulieri, conducto labore. Verum multis in parœciis non ægre inveniet parochus nonnullas personas pias et zelosas quæ huic pio muneri sese devovere non recusabunt. Solent die statuto convenire in cœtum, *naaikamertje* nuncupatum, ut simul vestibus et linteaminibus liturgicis reparandis vel et conficiendis allaborent. Sacerdos eis aderit consiliis et monitis, ut præscripta et desiderata liturgica congruenter servare valeant. Optimo adjumento possunt esse parocho hi cœtus, maxime his temporibus difficillimis. Sed valde commendandum est, tam ad fovendum spiritum religiosum quam ad auxilium et directionem obtinendam, ut hujusmodi cœtus reparationis adnectantur pio operi canonice erecto « *Werk der arme kerken* », cujus associationes existunt fere in omnibus decanatibus nostræ diœceseos.

Si necessariæ sint aliquæ *expensæ* quibus solvendis impar est ecclesiæ fabrica, vix non ubique aderunt boni fideles qui parochum convenienti modo petentem elee-

mosyna adjuvabunt libenter, modo videant ipsum de sua ecclesia veram et religiosam habere curam et eleemosynam revera in destinatum usum adhiberi.

« Paramenta trita, aiunt Statuta Brugensia, n. 179 vel comburantur, vel ad nova conficienda adhibeantur, in usus autem profanos nullatenus convertantur aut vendantur ».

De munditie sectanda ordinant statuta nostra, n. 165 :

« Curent rectores ut ecclesiæ cum earum supellectili splendeant nitore ».

« Quare singulis hebdomadis ecclesia et sacristia verrantur, vasa aquæ benedictæ mundentur, pavimentum chori et gradus altarium laventur ». « Saltem bis in anno totius ecclesiæ pavimentum lavetur et parietes et fenestræ a pulvere et omni squalore mundentur ».

« Calices, patenæ et vasa quæ continendæ sanctissimæ Eucharistiæ inserviunt, identidem intrinsecus et extrinsecus mundentur et suo splendori restituantur » (n. 179).

Ut mundities servetur, araneæ quantum fieri potest destruantur ; res detritæ et inutiles non conserventur sed removeantur ; linteamina maculata aut sordida tempestive laventur ; præsertim pulveres, in choro maxime et sacristia, diligenter auferantur : quem in finem uti possunt panno laneo, aut aspiratore electrico, aut pro nonnullis v. g. statuis, folle, vulgo blaasbalg. Suadendum est ut thuribulum accendatur et conservetur in loco extra sacristiam et chorum sito.

Pars interior exstinctoris (kaarsendomper) purgetur, ne guttæ ceræ sordidæ mappam altaris maculent. Utiliter ante fores ecclesiæ firmantur crates ferreæ ad pedes excutiendos et extergendos.

Tandem ut prædicta efficaciter servari possint, maximi momenti est 1° ut adsint determinatæ personæ quibus ex officio commissa est cura prædicta, de qua ratio exigi possit ; 2° ut ipse parochus in munditie sectanda et exigenda exemplo præeat et, ut optime notat aliquod responsum, « identidem faciat examen capsarum et... conscientiæ ».

C. Callewaert.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis martii propositas.

—

I.

Parabola boni pastoris. — Jo., X, 1-16.

Post sanationem cæci nati, eruens symbolismum hujus miraculi, Jesus aperte proclamat munus suum salvatoris et mediatoris unici : « In judicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant » (*Jo.*, IX, 39) ; et statim revelat coram adstantibus, incredulis et fidelibus, præclaras illas relationes quibus unitur cum discipulis suis. Utens genere populari similitudinis, e vita pastorali depromit figuram quæ illas relationes significet ; cum autem sensus figuræ audientes fugiat, ipse Jesus dein applicationem et explicationem profert.

I. — **Descriptio boni pastoris** (v. 1-6).

In sua boni pastoris descriptione respectum habet Jesus ad mores vitæ pastoralis, prout tunc temporis in Palæstina vigebant et etiam nunc perdurant : excepta statione pluviarum, oves ibi per diem ad pascua ducuntur, vespere autem includuntur in ovili, pluribus sæpe gregibus simul congregatis. Ovile est locus apertus, muro conclusus et nocte custoditus ab uno pastorum, dum ceteri non longe ab ovili in suis tentoriis pernoctant.

His adjunctis suis auditoribus optime notis, dicit Jesus, v. 1-6 : *Qui* nocte *non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde*, per murum np., quia scit

custodem portam sibi non esse aperturum, *ille* certo *fur est et latro* qui vult nocere gregi. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium ;* ideo *huic* custos, ita *ostiarius* factus, mane *aperit, et oves vocem ejus audiunt* cum assuetum emittit gutturis sonum *et proprias oves vocat nominatim* (1) : *et* tunc *educit eas* ad se accurrentes. *Et cum proprias oves* (*omnes,* græce) *emiserit, ante eas vadit, et oves* libenter *illum sequuntur quia sciunt vocem ejus* continuo nunc repetitam. *Alienum autem non sequuntur sed* e contrario *fugient* (*fugiunt,* Vulgata) *ab eo : quia non noverunt vocem alienorum.*

Notemus Jesum in sua descriptione duo efferre : primo bonum pastorem per ostium intrare, furem autem aliunde ascendere, et secundo, oves libenter sequi sollicitum suum pastorem eique obedire, ab alieno autem fugere. Hisce duobus Dominus comparationem aptat.

II. — **Jesus est ostium ovilis** (v. 7-10a).

Primo, audaci metaphora, Jesus se dicit ostium (2), v. 7-10a : *Ego sum ostium ovium,* per quod transeunt pastores quos audient et sequentur oves, sed, eheu !, *omnes quotquot venerunt* ad eas (3) non per me, ostium,

---

(1) In Palæstina etiam hodiedum quisque pastor specialem sonum habet quo vocet oves suas, sed insuper quibusdam ovibus prædilectis nomina singularia imponit ; hic exhibetur pastor quasi singulas oves vocans nominatim ; Jesus rem ita fortius proponit ut melius aptetur objecto comparationis, cfr v. 14.

(2) Non una est exegetarum sententia de ratione qua in v. 7 et 9 ostium ovilis consideretur. Juxta alios in utroque versiculo agitur *de ostio per quod intrant oves* ut tutæ sint et per quod exeunt ad cibum quærendum ; ita Jesus hic affirmaret se esse unicam viam salutis. Alii vero utrobique intelligunt *ostium per quod transeunt pastores* ut veniant ad oves ; ita dicit Jesus omnem missionem spiritualem a se debere conferri ; hanc sententiam in textu sequimur et præferimus, 1/ quia sic, ut revera exspectatur, hi versiculi explicant et applicant dicta v. 1-4 ; 2/ quia secus non intelligitur oppositio cum fure et latrone. Alii tandem primam sententiam admittunt pro v. 9, alteram vero pro v. 7, sed nihil indicat Jesum in v. 9 ostium alio sensu intelligere ac in v. 7.

(3) Plures codices græci hic addunt πρὸ ἐμοῦ, *ante me,* sed hæc lectio, ceteroquin non ita certa, sensum dictorum non mutat.

venerunt sed aliunde ascenderunt, et ita apparet quod *fures sunt et latrones ; et* feliciter *non audierunt eos oves.* Quia *ego sum ostium* ducens ad oves, *per me si quis* ut pastor *introierit, prospere aget* (*salvabitur*, Vulgata), *et ingredietur et egredietur* (1) plenus sollicitudine ducens oves suas *et* pro eis *pascua inveniet* ; *fur* autem qui per me transire negat non intendit bonum ovium sed *non venit nisi ut furetur, et mactet et perdat.*

Obvie per oves illi intelliguntur qui audierunt vel in futurum audient vocem Jesu et qui a Patre ei traditi sunt sanctificandi (*Jo.*, x, 27-29) : hucusque illos conabantur seducere falsi doctores mortem animæ spirantes, qui ideo falsi doctores, fures et latrones sunt quia non per Jesum venerunt ad oves. His verbis indicatur solam missionem docendi et regendi a Jesu acceptam proficuam esse animabus.

Neminem latet per fures et latrones præprimis designari contemporaneos populi duces et magistros, qui Jesu insidiantur, qui duces sunt cæci (*Mt.* XXIII, 16), claudentes regnum cælorum ante homines (*Mt.*, XXIII, 13) ; his opponit Christus prædicatores et duces qui nomine Jesu populum docebunt et oves ducent ad pascua vitæ spiritualis ; revera eadem figura postea utetur ubi apostolo Petro præ aliis hanc missionem conferet dicens : « Pasce oves meas » (*Jo.*, XXI, 17).

III. — **Jesus est bonus pastor** (v. 10b-16).

Increpans furem qui non venit nisi ut perdat oves, persentit Jesus quam longe ab isto ipse distet, v 10b : *ego veni ut vitam habeant et abundanter* (*abundantius*,

---

(1) Sensus hujus locutionis hebraicæ metaphoricæ quæ in Biblia sæpe occurrit optime intelligitur ex collatione *Num.*, XXVII, 16-17, ubi Moyses a Deo successorem sibi petit hisce verbis : « Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc : et possit exire et intrare ante eos et educere eos vel introducere : ne sit populus Domini sicut oves absque pastore ».

Vulgata) (1) *habeant ;* et ita obvio gressu transitum facit ad alterum comparationis membrum vel potius ad novam et altiorem comparationem, qua se dicit similem bono pastori.

V. 11-13 : *Ego sum pastor bonus* (2), qui officio præclare fungitur ; jamvero *bonus pastor animam suam ponit* (*dat*, Vulgata) (3) *pro ovibus suis ; mercenarius autem* (*et*) *qui non est* vocandus *pastor*, *cujus non sunt oves propriæ*, statim ac *videt lupum venientem*, de sola propria salute cogitat *et dimittit oves et fugit ; et lupus rapit* quasdam *et dispergit* ceteras *oves* absque defensore relictas. Pastor bonus manet apud gregem etiam cum propriæ vitæ periculo, *mercenarius autem fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus* (4).

Per lupum intelligitur quicumque insidias struit saluti fidelium, per mercenarium autem omnis præpositus, qui de seipso magis curat quam de animabus sibi commissis, seu, uti dicit *Ezechiel*, XXXIV, 8, pastor qui seipsum pascit et non gregem Dei ; ita tunc temporis faciebant duces populi relinquentes populum sicut oves non habentes pastorem (*Mt.*, IX, 36).

Descripto bono pastore a contrario, per oppositionem

---

(1) *Vitam habere abundanter* indicat præsto esse non tantum necessaria vitæ, sed etiam quæcumque utilia et proficua. Lectio Vulgatæ posset explicari : vel vitam animæ conferri abundantius quam in Veteri Testamento, vel hic in terra conferri abundanter, in cælo autem abundantius.

(2) Ὁ ποιμὴν ὁ καλός, pastor eximius. In V. T. sæpe Deus dicitur pastor Israël (cfr v. g. *Ps.* XXII ; LXXIII, 1) ; hæc appellatio mox transfertur ad Messiam qui nomine Dei populum reget (cfr pulcherrimam descriptionem Messiæ boni pastoris apud *Ezech*, XXXIV). In synopticis pluries videmus Jesum implicite se affirmantem bonum pastorem (*Mt.*, IX, 36 ; X, 6, 16 ; XV, 24 ; XVIII, 12-14 ; XXV, 32) ; hic aperte hanc appellationem vindicat sed non expresse, ut videtur, qua titulum messianicum ; simpliciter Jesus asserit se perfectissime possidere dotes boni pastoris.

(3) Græce τίθησι, sicut etiam v. 15 et 17-18 ; sensus locutionis est impendere, offerre vitam pro bono alterius.

(4) Textus græcus accuratius vertitur : *quia non est sollicitus de ovibus.*

scil. ad mercenarium, Jesus se identificando cum bono pastore jam positive profitetur quam arcte cum fidelibus uniatur, v. 14-15 : *Ego* non sum mercenarius sed *sum pastor bonus*, *et cognosco* nominatim et diligo (1) singulas oves *meas*, *et* vicissim amorose *cognoscunt me meæ sicut novit me Pater* cognitione amoris *et ego* vicissim *agnosco Patrem* (2) ; oves autem meas non tantum affective diligo sed *et animam meam* de facto *pono pro ovibus meis*.

Explicat hisce verbis Christus quomodo ovibus vitam abundantem præstet ; præ amore erga fideles suos tam intime a se notos paratus est mortem subire et de facto vitam suam offeret ut vita ovium salvetur. Intimitatem hujus cognitionis et ardorem hujus amoris, quali nullus in terra prævalet (*Jo.*, xv, 13) similem dicit infinitæ cognitioni et caritati mutuæ Patris et Filii ; post ultimam cœnam, diligens discipulos in finem, idem dicet : « sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos » (*Jo.*, xv, 9).

Prænuntiata sua morte vicaria, statim cogitat Jesus de sublimi fecunditate mortis suæ et de regimine summi pastoris (*I Petr.*, v, 4) quod exercebit in sua ecclesia catholica, v. 16 : *et alias oves* adhuc *habeo quæ non sunt ex hoc ovili* communitatis judaicæ sed quæ ex alio sunt ovili vel dispersæ errant, *et* etiam *illas oportet me pascere* (*adducere*, Vulgata), *et* etiam istæ *vocem meam audient* cum vocabo eas gratia efficaci, *et* ita, congregatis omnibus ovibus meis, *fiet unus grex* (*ovile*, Vulg.), ecclesia, *et unus pastor* supremus Christus, qui eam acquisivit sanguine suo (*Act.*, xx, 28).

M. De Jonghe.

---

(1) Ut e contextu liquet non agitur de mera cognitione sed et de consequenti amore ; etenim sacrificium vitæ in v. 15 assignatur ut sequela istius cognitionis, et v. 17 explicatur cognitio Patris hisce verbis : « Propterea me *diligit* Pater ».

(2) Punctuatio in Vulgata occurrens est evidenter derelinquenda.

II.

De impeccabilitate Christi.

Q. *Quid intelligitur per impeccantiam Christi? Quid per ejus impeccabilitatem? Hanc paucis explica.*

R. — 1/ Intelligitur *a/* per *impeccantiam* Christi, ipsius *immunitas ab omni peccato* tum personali, tum originali, quæ revelatione omnino constat (1) et fide catholica, utpote dogma definitum ab Ecclesia (2) teneri debet.

b/ Per *impeccabilitatem* autem intelligitur *incapacitas peccandi*, quæ nunc dicitur *antecedens*, postquam sæculo superiore Günther, confundens impeccantiam et impeccabilitatem, defenderit hanc opinionem : Christus de facto nunquam peccavit, quamvis peccare potuerit, itaque impeccabilitas de Christo non potest affirmari nisi *consequens ;* Christus videlicet ideo tantummodo dicitur impeccabilis, quia a Deo prævidebatur nunquam peccaturus (3).

Nota sententiam, quæ tenet impeccabilitatem proprie dictam, saltem esse theologice certam ; quidam eamdem dicunt proximam fidei (4), et pro concilio vaticano præparatum fuit hoc schema : « Atvero [Verbum incarnatum]

---

(1) Ita v. g. in ipsa Scriptura sacra, *Jo.*, VIII, 46 ; XIV, 30 ; *II Cor.*, V, 21 ; *Hebr.*, IV, 15 ; VII, 26 ; *I Petr.*, II, 22 etc.

(2) Cfr *conc. ephes.*, œcum III (a. 431), *Anathem.*, n. 10 *(Enchir.*, n. 122) ; *conc. chalced.*, œcum. IV (a 451), apud *Enchir.*, n. 148 ; *conc. lateran.* a 649, can. 5 *(Enchir.*, n. 258) ; *conc. tolet. XI*, a. 675, in symbolo fidei *(Enchir.*, p. 286) ; *conc. constantinopolitan. III*, œcum. VI (a. 681), apud *Enchir.*, n. 290 ; *conc. florent.*, œcum. XVII, in decreto pro Jacobitis *(Enchir.*, n. 711). — Nota de fide insuper esse Christum *nullos* habuisse *motus inordinatos concupiscentiæ* juxta *conc. constantinopolitan. II*, œcum. V (a. 553), can. 12 (*Enchir.*, n. 224) et theologice certum esse Christum non habuisse *fomitem peccati* seu concupiscentiam habitualem.

(3) Cfr CHR. PESCH, *De Verbo incarnato*, n. 301, p. 148 s., Frib. Br., 1896.

(4) Ita P. GALTIER. *De incarn. et redemptione*, n. 349, p. 300, Parisiis, 1926.

carni et sanguini participans, cum infirmitate naturæ, culpæ maculam nequaquam suscepit, et licet vero libero arbitrio præditus, non solum non peccavit, sed nec peccare potuit » (1).

Observa tamen theologos dissentire *de modo* quo hæc impeccabilitas antecedens obtinuerit : alii pauci, cum Scoto (2), propugnant impeccabilitatem *antecedentem externam*, fundatam in speciali Dei providentia, quæ Christum ita præservavit a peccato, ut reapse peccare non potuerit ; alii plerique, cum s. Bonaventura (3) et s. Thoma (4), defendunt impeccabilitatem *antecedentem internam*, quam ratione theologica paucis probando simul explicabimus (5).

2/ Imprimis satis obvium videtur *metaphysice* repugnare quominus dicatur Verbum, potuisse peccare.

a/ Etenim, uti tritum axioma dicit, actiones sunt suppositorum ; atqui suppositum humanæ naturæ Christi est ipsum Verbum, secunda persona ss. Trimitatis, quæ proinde omnes actus humanæ naturæ suos facit et moraliter in se recipit (6).

b/ Insuper quum natura humana Christi tam arcte conjuncta sit cum natura divina in una persona Verbi, non potest voluntas divina non regere et moderare voluntatem humanam, ut in præcedenti responsione vidimus (7), adeoque si Verbum Dei non ita gubernaret naturam sibi subditam ut eam ab omni prorsus inhone-

---

(1) Cfr *Collectio lacen.*, Acta et decreta sacror. concil. recent., VII, 560 s., Frib. Br., 1890.

(2) Scotus, *In III Sent.*, d. xii, q. unica, coll. *In IV Sent.*, d. xlix, q. 6 (ed. Antverpiæ, 1620, p. 82 et p. 519 s.).

(3) S. Bonaventura, *In III Sent.*, d. xii, a. 2, q. 1 s. (ed. Lugduni, 1668, p. 132 s.).

(4) S. Thomas, *In III Sent.*, d. xii, q. 2, a. 1 s. (ed. Parmæ, 1867, VII, p. 131 s.).

(5) Cfr *Collat. Brugen.*, V (1900), p. 350 s.

(6) Ita Suarez, *De incarnatione*, disp. XXXIII, sect. ii, n. 6 (ed. Vivès, Parisiis, 1890, XVIII, p. 190) ; Pesch, *o. c.*, n. 307, p. 151.

(7) Vide supra, p. 168.

state contineret, jam ipsi defectus in Verbum redundarent (1).

Adverti tamen debet unionem hypostaticam, quæ est itaque ratio *fundamentalis* et *princeps* impeccabilitatis, exigens stricte ut Christus peccare non potuerit, nihilominus propter distinctionem naturarum, non efficere Christum physice impeccabilem, sicut nec ipsum formaliter sanctum et Deo gratum facit, ut alibi probavimus (2).

Physice porro redditur Christus impeccabilis : α/ *per plenitudinem gratiæ creatæ*, qua Verbum humanam voluntatem conservata plena libertate, tam efficaciter movebat, ut voluntati divinæ jam resistere non posset ; β/ *per ipsam visionem beatificam*, qua Christus fruebatur a primo momento incarnationis, quæque, quod in tractatu de novissimis probatur, omnem comprehensorem intrinsece reddit impeccabilem (3).

Neque objiciatur contra rationem fundamentalem ex unione hypostatica petitam (4) : sicuti nihil obstat quominus dicatur Deus mortuus, ita nihil prohibet quominus dicatur Deus peccans et peccator, secundum naturam scilicet assumptam. Non enim habetur paritas inter mortem et peccatum.

Mors est malum pœnæ a Deo volitum (5) et ad gloriam divinam ordinatum ; peccatum vero est malum culpæ, contra voluntatem divinam commissum et divinæ gloriæ

---

(1) Cfr Suarez, *o.* et *l. c.*, n. 8, p. 190 s. ; Pesch, *o. c.*, n. 309, p. 152 s.

(2) *Collat. Brugen.*, XXI (1921), p. 209 s.

(3) Non infitiamur providentiam Dei externam removisse a Christo quæcumque indecentia, sed insuper et præcipue nunc provocamus ad subsidia quædam interna, sicut in tractatu de Deo elevante admittimus Adamum donatum fuisse integritate seu immunem fuisse a concupiscentia, per specialem Dei providentiam sed etiam per habitus infusos.

(4) Ita de Lugo, *De mysterio incarnationis*, disp. XXVI, sect. 1, n. 9 (ed. Vivès, Parisiis, 1878, II, p. 735).

(5) Cfr ill. ac rev. Waffelaert, *De origine mali*, apud *Collat. Brugen.*, XIX (1914-1919), p. 622 s. ; Vander Meersch, *De Deo uno et trino*, n. 446, p. 357, Brugis, 1917.

oppositum (1). Unde satis apparet Deum dici posse mortuum, secundum naturam humanam, dum dici nequit Deum peccare, quamquam secundum naturam assumptam, quia nequit Deus recipere prædicata ordinis moralis, quæ macula morali ipsum afficiant (2).

H. Lamiroy

III-IV

De constitutivis sacramenti pœnitentiæ.

Q. *Expone sententiam 1) thomistarum 2) scotistarum de constitutivis sacramenti pœnitentiæ.*

R. *Prænota.* In processu sacramentalis reconciliationis plures actus interveniunt, nimirum ex parte pœnitentis : contritio, confessio et satisfactio, ex parte vero ministri absolutio et satisfactionis impositio.

Jam omnes admittunt sententiam absolutionis sacramentaliter operari. Omnes etiam docent veram pœnitentiam interiorem necessariam esse ut removeatur obex ad fructuositatem sacramenti, præterea confessionem et satisfactionem jure divino necessarias esse.

Controvertitur autem utrum signum sacramentale intrinsece constituatur ex sola absolutione, an etiam ex actibus pœnitentis, qui proinde aliquatenus sensibiles esse deberent.

Concilium tridentinum, sess. xiv, cap. 3 hæc habet quæ spectant præsentem materiam :

« Docet præterea sancta synodus, sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo* etc... Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente *ad integritatem sacramenti*, *ad*

(1) *Ibidem*, p. 616 s. et n. 447 s., p. 358.
(2) Cfr Suarez, *o.* et *l. c.*, n. 7, p. 190 ; Pesch, *o. c.*, n. 308, p. 151 s.

plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur » (1).

I. *Sententia thomistarum.*

Secundum doctorem angelicum quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in *partes essentiæ* (2).

Quod attinet sacramentum pœnitentiæ, forma est absolutio ministri. Ad signum autem constituendum nulla adhibetur res materialis, sed pro materia sunt hîc actus pœnitentis « qui se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione », nam « in illis... sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia et matrimonio » (3). Quare « sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ, principalius tamen virtute formæ, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit, ita etiam remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur quod est formale in hoc sacramento... ; secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ : tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ... » (4).

Præterea, contritio, confessio et satisfactio sunt *partes integrales* sacramenti.

Sicut res corporales ratione materiæ partes habent quantitativas, ita quoque *ratione materiæ*, quæ tribus actibus integratur, hoc sacramentum suas partes habet, non quidem subjectivas aut potentiales sed *integrales*, ad quarum scilicet rationem « exigitur, ut totum non adsit

(1) *Enchiridion symbolorum*, n. 896.
(2) *Sum. theol.*, III, q. 90, a. 2, c.
(3) *Ibidem*, q. 84, a. 1, ad 1m.
(4) *Ibidem*, q. 86, a. 6, c.

singulis partibus neque secundum totam virtutem ejus, neque secundum totam ejus essentiam, sed omnibus simul » (1).

Porro, quia actus pœnitentis et ministri sunt partes signi sacramentalis, oportet ut in unam coalescant significationem seu concurrant ad aliquid sanctum significandum. Jamautem id verificatur « nam peccator pœnitens per ea quæ facit, et dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse : similiter etiam sacerdos per ea quæ agit, et dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccata... » (2).

Auctores qui s. Thomam sequuntur docent ulterius contritionem et confessionem esse partes integrales tam necessarias ut, si deficiant, ipsum sacramentum non consistat, fere ad modum quo deficientibus quibusdam partibus integralibus, puta capite vel corde, homo existere nequit. Deficiente autem satisfactione, sacramentum, etsi non integrum sit et perfectum, validum tamen esse potest, ad modum quo homo absque brachio mancus quidem est, sed vivere valet.

Aliqui solam satisfactionem vocant partem integrantem et docent signum sacramentale constitui processu judiciali fori interni, duplicem partem essentialem complectente, videlicet 1) causæ instructionem ad quam spectat confessio dolorosa, ad valorem requisita, et 2) judicis sententiam, quæ est absolutio sacerdotis.

II. *Sententia scotistarum.*

Scotus docet *solam absolutionem esse sacramentalem.* Inde sacramentum definitur : « absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato » (3).

---

(1) *Ibidem*, q. 90, a. 3, c.
(2) *Ibidem*, q. 84, a. 1, c.
(3) *In IV Sentent.*, dist. 14, q. 4. (ed. Parisiis, 1894, XVIII p. 139).

Contritio, confessio et satisfactio non sunt partes quibus signum sacramentale intrinsece constituitur : « De pœnitentiæ sacramento dico quod ista tria nullo modo sunt partes ejus, quia ut dictum est dist. XIV, pœnitentiæ sacramentum est illa absolutio sacramentalis, facta certis verbis, etc. Hujus autem nulla pars est contritio quæ est quoddam spirituale in anima, neque confessio quia nihil est ipsius sententiæ sacerdotis sed actus rei accusantis se ; neque satisfactio sed sequitur illam absolutionem sacramentalem » (1).

« Hæc tamen tria ad sacramentum pœnitentiæ ad hoc, ut digne recipiatur, requiruntur, vel prævia, vel sequentia. Simpliciter enim requiritur confessio. quia sacerdos non absolvit reum arbitrarie, nisi prius reus sibi fuerit accusatus in foro illo ; non est etiam utilis illa absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio vel attritio... Satisfactio autem debet sequi sacramentum pœnitentiæ ad hoc ut habeat efficaciam, et hoc in re vel in voto » (2).

Antiquiores scotistæ docent confessionem dolorosam esse necessariam, non tantum ad *dispositionem* animæ sed etiam tanquam *conditionem sine qua* sententia sacerdotis *non* est vere judicialis (deficiente cognitione causæ), adeoque non est vere sacramentalis.

Recentiores vero requirunt 1) pœnitentiam interiorem tanquam dispositionem necessariam, 2) confessionem autem ob præceptum divinum positivum, quod non urget in casu impotentiæ, ita ut absolutio in hisce circumstantiis possit esse valida et fructuosa absque confessione.

Confessio dolorosa et satisfactio in sententia eorum, vocari possunt partes integrales sacramenti ob respectum quem habent ad absolutionem.

Sat multi scotistæ admittunt hoc sacramentum intrinsece constitui materia et forma. Docent absolutionem

---

(1) *Ibidem*, dist. 14, q. 1, p. 421.
(2) *Ibidem*.

esse *materiam*, quatenus est ritus sensibilis, idest quatenus certis verbis profertur, eamque habere rationem *formæ*, quatenus significat effectum sacramenti (1).

V. Coucke.

V.

De altari privilegiato pro vivis et defunctis, et pro agonizantibus.

Q. *Quid intelligis nomine altaris privilegiati pro vivis et defunctis? Quid nomine altaris privilegiati pro agonizantibus? Quomodo componitur indultum altaris privilegiati pro agonizantibus cum can. 930* (2) *?*

R. In superiore quodam responso tractavimus de altari privilegiato *pro defunctis* (3). Olim aliquando, licet rarissime extra Urbem, concessiones factæ sunt altaris privilegiati *pro vivis* vel *pro vivis et defunctis;* recenter vero indultum prorsus novum inductum est altaris privilegiati *pro agonizantibus*. De his in præsenti responsione pauca dicemus.

I. — Altare privilegiatum *pro vivis et defunctis* designat vel 1) altare cujus *visitationi* quædam indulgentia adnexa est, sive plenaria sive partialis, (quod ad præsentem quæstionem non pertinet), dum simul missa ibidem celebrata est privilegiata pro defunctis (4) ;

vel 2) altare vero sensu privilegiatum *tum pro vivis tum pro defunctis*, quod « ita est interpretandum, ut tam pro vivis, si in altari de quo agitur, missæ sacrificium

---

(1) Cfr Perrone, *Prælectiones theologicæ*, XI, Lovanii, 1841, p. 456.

(2) Cfr *Analecta juris pontificii*, series VIII, col. 2060 ss.; Vermeersch, S. J., *Periodica de re canonica et morali*, t. XII (1924), p. 138 ss.; Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 529 ss., n. 978 ss ; *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XXIV (1924), p. 140 ss.; *Theol. Mechlin. Tractatus de indulgentiis*, ed. 4a, n. 100 sq p. 173.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 44 ss.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, t. III (1898), p. 181. — *Analecta juris pontificii, t. c.*, col. 2061 ss.

pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his s. sacrificium applicetur, intelligatur concessa indulgentia plenaria : pro vivis ad modum jurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii » (1).

Hoc privilegium, uti apparet, est privilegium *locale*.

II. — Altare privilegiatum *pro agonizantibus*.

Sacerdotibus adscriptis Piæ Unioni a Transitu s. Joseph concessum est a Pio X (2), et deinde confirmatum successive a Benedicto XV (3) et a Pio XI (4) *personale* indultum seu facultas altaris privilegiati quoties missam pro morientibus celebrabunt (5). Circa hoc privilegium hæc pauca ulterius notamus.

1/ Missæ celebratæ pro agonizantibus a sodali laudatæ Piæ Unionis, adnectitur indulgentia plenaria « *tamquam pro vivis ad modum absolutionis* » (6).

2/ Hæc indulgentia tamen, ut videtur, non est indulgentia in articulo mortis, sed statim, ipso momento celebrationis, moribundo applicatur (7).

3/ Per analogiam cum indulgentia altaris privilegiati pro defunctis (8), ulterius determinant auctores :

a/ hanc indulgentiam *uni tantum* morienti applicari pro quo missa offertur, vel si pro pluribus celebretur,

---

(1) Cfr decretum S. C. Indulg. 25 aug. 1897, apud *Collat. Brugen.*, t. III (1898), p 180, ubi vide expositam difficultatem circa subjectum cui applicatur hæc indulgentia plenaria altaris privilegiati pro vivis. — Apud *Analecta juris pontificii, t. c.*, col. 2061 ss., citantur plura hujusmodi altaria quæ inscribuntur : « altare privilegiatum pro vivis et defunctis ».

(2) Cfr *Acta Apost. Sedis.*, t. VI, p. 177, ubi pium sodalitium erigitur in primarium.

(3) Cfr epist. 15 junii 1917, apud *Acta Apost. Sedis*, t. X, p. 318 sq.

(4) Cfr breve 29 junii 1923 apud *Monitore ecclesiastico*, 1923, p. 257 ss.

(5) S. Congregatio Rituum, 28 januarii 1920, approbavit formulare speciale missæ votivæ pro agonizantibus; cfr Beringer, *o. c.*, t. II, p. 254, n. 268.

(6) Cfr decretum S. C. S. Officii, 9 nov. 1922, apud *Monitore*, 1923, p. 261.

(7) Cfr *Nederl. Kath. stemmen.*, t. XXIV (1924), p. 141.

(8) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 50 sq.

uni tantum ex illis, quem celebrans designaverit, sive nominatim sive modo magis indeterminato (1). Quod si celebrans de neutro cogitaverit, privilegium non ideo tamen inutile evadit (2), sed indulgentia applicabitur, si Deo placuerit, illi ex morientibus cui Deo placuerit (3);

b/ hanc indulgentiam non adnecti missæ quæ intentione primaria offerretur simul pro agonizantibus et pro defunctis, vel imo, ut videtur, simul pro agonizantibus et pro aliis vivis (4).

III. — Tandem dicendum manet quomodo indultum altaris privilegiati « pro agonizantibus » componi possit cum canone 930.

1/ Si ad litteram canonis spectetur, non datur vera oppositio inter utrumque. Canon etenim 930 sic sonat : « Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare » (5), adeoque excludit applicationem quam unus vivens alii viventi faceret indulgentiæ a se acquisitæ.

Jamvero, in indulto personali altaris privilegiati pro agonizantibus — et idem dicendum nobis videtur de rarissimo indulto locali altaris pro vivis, de quo supra — indulgentia missæ adnexa ab ipso celebrante acquiri non potest, adeoque ipse *non communicat* alii vivo indulgen-

---

(1) V. g. si celebrans intendit « morientem magis derelictum », vel « illum quem divina miseratio eligere velit ».

(2) Cfr decretum S. C. S. Officii, 9 nov. 1922, ad III-IV, *Monitore, l. c.*

(3) Merito tamen advertunt *Nederl. Kath. Stemmen, t. c.*, p. 144 sq. et *Periodica, t. c.*, p. 141 sq. majorem esse difficultatem ubi de indulgentia pro vivis agitur, quam ubi de indulgentia pro defunctis, quippe quum prima applicetur per modum *absolutionis*, qui actus jurisdictionis ecclesiasticæ supponit subjectum determinatum, dum altera applicatur per modum *suffragii*. Cum laudatis periodicis authenticam rei declarationem nobis in votis manere fatemur.

(4) Cfr *Nederl. Kath. Stemmen*, t. XXIV (1924), p. 144.

(5) Jure quidem merito negat Ecclesia hanc indulgentiarum inter vivos communicationem ne fideles minus fervidi, fervidiorum generositati innixi, sibi ipsi indulgentias lucrari negligerent, atque ita ad quamdam desidiam deflecterent.

tiam a se sibi acquisitam ; sed indulgentia plenaria directe a R. Pontifice ei conceditur cui missa applicatur : ergo celebrans sua intentione mere *designat* subjectum cui Ecclesia applicat indulgentiam (1).

2/ At, uti statim apparet, hæc *designatio* per unum vivum facta alterius viventis, ut ipsi ab Ecclesia indulgentia applicetur, est et ipsa in œconomia ordinaria Ecclesiæ indulgentiarum thesaurum dispensantis quædam exceptio, quoddam phænomenon extraordinarium. Unde nil mirum hanc dubitationem exortam esse, ac S. C. S. Officii solvendam propositam : « Utrum post canonem 930 novi Codicis adhuc perseveret existentia altaris privilegiati pro agonizantibus ? ». - Cui responsum est : « *Affirmative* » (2) Igitur Ecclesia vere, uti provida mater, speciali cura sollicita circa ægrotos ultimum agonem agentes, hanc — quasi-unicam (3) — in favorem ipsorum derogationem admisit in suo habituali modo concedendi indulgentias pro vivis.

A. Legrand.

VI.

De prohibitione librorum.

Q. *Tradita notione prævia librorum censuræ determina quænam opera prævia censuræ sint subjicienda.*

R. Supra (4) ostendimus Ecclesiæ competere jus et officium removendi a fidelibus periculum quod pro fide vel moribus ex pravis scriptis oriri natum est. Hoc autem officium Ecclesia adimplet, illudque jus exercet utendo duplici medio : alio *repressivo*, quo nempe prohibentur

(1) Cfr *Nederl. Kath. Stemmen, t. c.*, p. 144 sq. ; *Periodica, t. c.*, p. 141.

(2) Cfr decretum S. C. S. Officii, 9 nov. 1922, ad I, apud *Monitore, l. c.*

(3) Altera derogatio, quæ consistit nimirum in indulgentia locali altaris privilegiati pro vivis, est tam rara ut practice attendi fere non debeat.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVII, p. 46.

libri noxii jam typis impressi, alio vero *præventivo*, quo impeditur quominus scripta noxia in lucem edantur. De hoc altero medio, quod in jure vocatur « prævia librorum censura » hìc solum agimus. Et quidem duplici sub paragrapho indagamus primo de notione censuræ, dein de operibus præviæ censuræ subjiciendis.

I. — **Notio præviæ censuræ.**

1/ *Vi vocis*, censura dicit sententiam, judicium. *In jure* autem, in materia nostra, uti ex can. 1384 eruimus, est auctoritativa recognitio libri a potestate ecclesiastica (1).

Hæc vero recognitio in eo consistit quod judicium feratur vel de orthodoxia aut heterodoxia alicujus libri, vel de concordantia alicujus editionis cum editionibus authenticis. Hoc judicium prærequiritur ut auctoritas ecclesiastica possit concedere licentiam edendi librum.

His autem inspectis, censura librorum prævia sæpe describitur : judicium quod, prævio examine, pro natura alicujus libri fertur, vel de ejus orthodoxia aut heterodoxia, vel de ejus concordantia cum editionibus authenticis in ordine ad concedendam vel denegandam licentiam illum edendi (2).

2/ Ex qua notione illico liquet *censuram* alicujus libri apprime esse distinguendam a *licentia* illum edendi.

Hujusmodi licentia duplex distinguitur : *alia* quæ conjuncta est cum censura, quatenus pro libris certi argumenti censura a jure prærequiritur instituenda ad licentiam edendi obtinendam, et de illa agit codex in can. 1385 et 1387-92 ; *alia* quæ datur sine respectu ad præviam censuram, quatenus independenter ab omni censura certæ personæ quidquam in lucem edere prohibentur absque permissione superiorum. De hac tractat can. 1386.

Censura autem a *licentia* multiformiter differt : hæc

---

(1) Cfr Vermeersch-Creusen, *Epitome juris canonici*, ed. 2a, t. II, p. 416.

(2) A. De Meester, *Compendium juris canonici*, t. III, p. 256.

enim censuram logice præsupponit; hæc personam scribentis, illa vero librum immediate attingit; hæc potest esse generalis, expressa, tacita aut præsumpta, dum illa necessario est particularis et prævia (1).

II. — **Opera praeviae censurae subjicienda.**

Opera, quæ ex lege positiva ideo censurari debent, ut prævio examine constet de eorum orthodoxia, enumerantur in prima paragrapho can. 1385; illa vero, quæ ideo censurari debent, ut constet de eorum concordantia cum editionibus authenticis traduntur in can. 1387-92. Ideo:

A/ Opera censuræ subjicienda, etiam, quod probe notandum est, si a laicis edantur, eo fine ut auctoritative constet de doctrinæ orthodoxia:

1/ « *Libri sacrarum scripturarum vel eorumdem annotationes et commentaria* » (c. 1385, § 1).

Attinguntur hìc omnes editiones sacrarum scripturarum, sive in textu originali, sive in versionibus antiquis.

2/ « *Libri qui divinas scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, jus canonicum, theologiam naturalem, ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas spectant* ».

Hìc sermo est de libris doctrinalibus argumenti religiosi aut moralis. Sunt nempe omnes libri qui ratione doctrinæ spectant: *a/ divinas scripturas:* qui scilicet agunt de earum exegesi, de introductione in eas generali aut speciali in singulos libros, qui continent prolegomena ipsarum, vel de textu primigenio aut versionibus tractant; *b/ sacram theologiam:* omnes ergo libri tractantes de Deo rebusque divinis ex revelatione cognitis; *c/ historiam ecclesiasticam*, generalem aut specialem, universalem aut particularem; *d/ jus canonicum*, ideoque omnes libri tractantes de fontibus ipsius sive existendi sive cognoscendi, de exegesi legum ecclesiasticarum sive generalium sive particularium, de jure publico Ecclesiæ seu de mutuis

(1) Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.* et *l. c.*

relationibus societatem civilem inter et Ecclesiam, de jure pœnali ecclesiastico; *e/ theologiam naturalem* seu theodiceam, i. e. omnes libri qui spectant ad scientiam de Deo prouti ex ratione cognoscitur; *f/ ethicen* seu philosophiam moralem: omnes ergo libri qui agunt de scientia recti ordinis actuum humanorum ex ultimis rationis principiis; *g/ aliasve hujusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant*: hac clausula comprehenduntur libri ratione objecti affines supradictis exempli causa recensitis. Inter illos recenseri possunt opera patrologiæ, tractatus liturgici, libri in quibus agitur de re sociali sub respectu religioso ac morali, etc. (1).

Controvertitur inter doctores num *libri* de quibus hic agitur sint intelligendi de solis libris stricte dictis, exclusis libellis, foliis, diariis, periodicis, uti ferebatur præcedentis juris interpretatio. Censemus in hac parte textus verbum « *libri* » esse stricte audiendum, ita ut publicationes diariæ vel libelli quæ forsan unam alteramve scientiam enumeratam spectant, non vi hujus textus præviam censuram reportare teneantur (2).

---

(1) Cfr Blat, *Commentarium textus codicis*, t. III, p. 332.

(2) Nobiscum sentiunt Vermeersch-Creusen, *o. c.*, p. 417; Cocchi, *Commentarium in codicem*, t. VI, p. 149. — Contrarium tenent: A. De Meester, *o. c.*, p. 258; Blat, *o. c.*, p. 332 (nulla addita ratione, rem affirmat); Prümmer, *o. c.*, *Institutiones juris canonici*, q. 415. — Temperate sententiam severiorem proferunt Claeys-Bouuaert = Simenon, *Manuale juris canonici*, ed. 2a, p. 549.

Ratio nostræ opinionis desumitur, ut Cocchi, *l. c.*, ait, tum ex natura rei, tum ex contextu sermonis. His enim constat, ut videtur, can. 1384, § 2, hic non applicari. Canon enim 1385 *eadem* paragrapho (§ 1 sub 2°) nitide distinguit tres classes operum: libros, libellos ac scripta. Quod absonum videtur si stricte applicandus esset canon 1384, § 2. Et hæc distinctio cæteroquin merito fit a legislatore, cum argumenta, quæ sacras Scripturas, theologiam, etc. spectant, generatim in *libris* et non in libellis aut foliis tractantur; sicuti et argumenta quæ devotionem, etc. spectant sæpius in libris ac *libellis*, qui minoris sunt voluminis, tractantur.

Immerito tamen quis concluderet ex hac interpretatione publicationes diarias vel periodicas, quæ unam alteramve scientiam, in prima parte hujus canonis enumeratam, spectarent, non teneri ad reportan-

3/ « *Libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ aliique hujusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur* ».

Textum illum parvo commentario adumbranti tria apparent dicenda :

a/ Ex redactione ipsius canonis videtur eruendum hic *in genere* agi de illis libris ac libellis quorum scopus immediate practicus est, et quorum argumentum ad populi christiani institutionem religiosam aut moralem spectat ; non vero de iis qui doctrinam moralem, asceticam, etc. speculative exponunt. Hi enim reguntur paragrapho præcedenti.

b/ Vigore ipsius textus censurandi tantum sunt libri ac libelli, exclusis aliis scriptis editis ut diaria et folia. Imo censemus, iterum vi ipsius textus, qui in hac materia est stricte audiendus, opera periodica non comprehendi sub hac categoria, cum periodica tum usu communi, tum sensu codicis omnino a libris ac libellis secernantur (1).

c/ Hujusmodi autem libri *in specie* sunt « præter libros precatorios proprie dictos, catechismi, libri lectionis spiritualis, meditationis, et universim, qui dicuntur *livres de dévotion, livres et opuscules de piété* ; vitæ Servorum Dei, libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones » (can. 1399, 5°) (2).

4/ « *Ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit* ».

Hæc clausula, uti legenti apparet, valde ampla est ; ad

---

dam præviam censuram. Illæ enim, etsi minores forsan sint voluminis, sufficienter attinguntur ultima parte canonis, quatenus « aliquid continent quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit ».

(1) Aliter sentit A. De Meester, *o.c.*, p 258. — Blat, *l.c*, hic audit *libros* sensu stricto, quod non videtur logicum, inspecta interpretatione quam tradit pro priore parte canonis. — Cocchi, *l. c.*, dicit : « excluduntur hic *folia*, subjiciuntur autem *periodica*, quæ totaliter de re religiosa loquuntur ».

(2) Cfr A. De Meester, *l. c.*

ejus autem explanationem sequentia veniunt advertenda :

a/ Sub nomine *scripti* veniunt opera cujusvis formæ aut molis : libelli, folia, ephemerides, periodica, imo unicum folium aut singuli articuli alicujus diarii.

b/ Hæc vero scripta, etiamsi ex inspecto generali argumento operis essent a censura prævia immunia, ei tamen subjacent si vel in una pagina aliquid sit peculiaris momenti pro religione vel morum honestate.

c/ Aliquid autem *peculiariter* religionis aut morum honestatis interest, si res quæ tractatur, etiam in una pagina scripti, pro religione aut moribus consueto majoris sit momenti, errandive periculum gravius et perniciosius.

Jam age, ut practice dignoscatur quid religionis aut morum honestatis peculiariter intersit, attendenda sunt non tantum ipsa materia ac modus illam tractandi, sed sæpe, et aliquando præcipue quidem, adjuncta locorum ac temporum.

« Potest esse, ait Vermeersch, quæstio politici regiminis vel socialis : acceptionis novæ cujuspiam legis ; sæpius erit quæstio moralis, ut hodie de divortio, de onanismo conjugali » (1).

Et ideo, cum aliquando sat intricatum sit determinare utrum aliquid in scripto determinato religionis peculiariter intersit necne, sapientissime totum illud negotium moderandum relinquitur Episcopo, cujus proinde erit in concreto judicare de peculiari momento argumenti et consequenter de necessitate reportandi præviam censuram.

Supervacaneum autem non erit hic addere, quod hodie non satis attendi videtur, hanc legem attingere et

(1) Scribit Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum*, p. 148 : « Sic dum Concilium Vaticanum cogebatur, specialiter religionis intererat scriptum de proclamanda infallibilitate Vicarii Jesu Christi ; sic in Italia scriptum agens de vindicando dominio temporali S. Sedis, de opportunitate pro catholicis ferendi suffragium in electionibus politicis ; ita etiam, fervente aliqua controversia de facultate jurisjurandi præstandi cuipiam legi, scriptum de illa re facile hac clausula attingeretur ».

libellos periodicos et ephemerides quatenus ea vulgent « in quibus aliquid sit quod religionis vel morum honestatis peculiariter intersit ». Et ita jus Episcopo esset scripta hujus generis vel modo generali vel quoad specialis argumenti articulos præviæ censuræ subjicere (1).

5/ « *Imagines sacræ quovis modo imprimendæ sive preces adjunctas habeant, sive sine illis edantur* » (1385, § 1, 3°).

Ad cujus textus explicationem nota :

a/ Imagines *sacræ* eæ sunt quæ sacro vel pio usui destinantur, non quæ mere ad artem colendam vel propagandam factæ sunt.

b/ Sub antiquo jure censura exigebatur tantum pro *novis* imaginibus, dum præsenti disciplina, ut contendere volumus contra Cocchi, omnes imagines imprimendæ aut edendæ attinguntur. Et ideo reimpressio imaginis jam censuratæ denuo censuræ obnoxia est.

c/ Solæ imagines *imprimendæ* attenduntur nostro canone, ad exclusionem ergo illarum quæ manu factæ sunt. At attinguntur *quovis modo* sint imprimendæ. Hæc autem dictio, valde generalis, complectitur multas illas rationes quibus, per impositionem et compressionem effigies mechanice multiplicantur. Ad rem non refert exemplar prius ære fuisse incisum, aut per lithographiam, phototypiam, photographiam, aliasve artium inventiones, quibus nostra abundat ætas, confectas esse imitationes.

d/ *Picturæ* ac *statuæ*, cum ad genus impressarum ima-

---

(1) Scribit SALSMANS, *Institutiones theologiæ moralis*, ed. IIa, t. I, p. 385 : « In plerisque regionibus putamus hunc usum vigere ut in *foliis* et *periodicis* quæ non *unice* argumentum plane religiosum tractant, edantur sine prævia censura etiam articuli qui ex argumenti natura revisioni subjacerent; dum censuræ subjiciuntur libelli periodici qui *toti* in argumento prorsus religioso versantur, qualis est theologia dogmatica vel moralis, jus canonicum, ascesis ».

Quæstio non inutiliter, nostris præsertim temporibus, ponitur utrum hic usus, inspecto nostro canone, qui paulo severior videtur quam jus antiquum, non sit aliquatenus abusivus.

« Catholicæ ephemerides, ait VERMEERSCH, *o. c.*, p. 144, solent rem amice componere cum Episcopo, ut v. g. tamquam censorem approbet unum ex redactoribus, etc. ».

ginum minime pertineant, sub hac lege non comprehenduntur, sed reguntur can. 1289.

e/ De *numismatibus* posset disputari. At communius admittitur et merito quidem, illa sub hac lege non comprehendi. Etenim, quamvis in nummo ferant impressam imaginem ac etiam facillime vulgentur, tamen potius cuduntur quam imprimuntur, et in textibus juris potius designantur peculiari ac proprio vocabulo *numismatis*.

f/ Si imago sine requisita licentia publicetur, peccat editor, sed non ideo fideles ab earum usu prohibentur.

g/ Licentia est in ipsa imagine imprimenda (c. 1394).

B/ Opera quæ pro editione indigent *speciali licentia*, cui præsupponitur censura seu judicium de conformitate cum exemplaribus authenticis, enumerantur in can. 1387-92. Hæc sunt:

1/ « Quæ ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei quoquo modo pertinent » (can. 1387).

2/ « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur » (can. 1388).

3/ « Collectiones decretorum Romanarum Congregationum rursus » edendæ (can. 1389).

4/ « Libri liturgici eorumque partes, item litaniæ a S. Sede approbatæ » (can. 1390).

5/ « Versiones sacrarum Scriptuarum in linguam vernaculam » (can. 1391).

6/ « Omnis nova editio aut translatio in aliam linguam approbati operis » (can. 1392) (1).

J. Brys.

(1) Hos canones ob defectum momenti practici hic non interpretamur. Vide longam explicationem apud De Meester, *o. c.*, p. 263 ss.

Acta Pii PP. XI

DECLARATIO

QUOAD VENIAM LEGENDI COMMENTARIUM DIURNUM, CUI TITULUS « L'ACTION FRANÇAISE », A SANCTITATE SUA IN INDICEM RELATUM (1).

Cum Beatissimus Pater, die XXIV mensis februarii a. MDCCCCXXVII, Emum Dominum Card. Ludovicum E. Dubois, Archiepiscopum Parisiensem, coram admisisset, hæc quæ sequuntur, quoad damnationem Commentarii diurni *L'Action Française* eidem percontanti declaravit:

1. Cum Summus ipse Pontifex memoratum Commentarium Indici librorum prohibitorum inseruerit, idem unus hujusmodi interdictione ac vetito exsolvere potest.

2. Attamen, pro sua in Galliæ Episcopos benevolentia ac peculiari fiducia, eisdem facultatem facit, ut veniam dare queant, raro quidem ac gravibus tantum de causis, fidelibus suæ cujusque jurisdictioni subjectis, legendi Commentarii *L'Action Française*.

3. Quæ autem generali modo jam habita sunt, aut in posterum habebuntur, rescripta legendi libros aut ephemerides prohibitos, veniam non præbent memoratum Commentarium legendi, tam sollemni documento ab ipsa Sanctitate Sua proscriptum.

Quas quidem declarationes augustus Pontifex Emo Cardinali Archiepiscopo Parisiensi mandavit ut cum ceteris universæ Galliæ Cardinalibus et Archiepiscopis, in communem cœtum mox conventuris, communicaret, easque publici juris fieri jussit.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 185.

Acta SS. Congregationum (1)

E Supr. S. Congr. S. Officii

INSTRUCTIO

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS CETEROSQUE LOCORUM ORDINARIOS : DE SENSUALI ET DE SENSUALI-MYSTICO LITTERARUM GENERE (2).

Inter mala huius ætatis funestissima, quæ doctrinam christianam de moribus penitus subvertunt atque animabus, Iesu Christi emptis pretiose Sanguine, admodum nocent, imprimis numeranda sunt ea litterarum genera quæ sensualitati et libidini aut etiam lascivo cuidam mysticismo indulgent. Huiusmodi sunt præcipue fabulæ romanenses, narratiunculæ commenticiæ, dramata, comœdiæ, quarum quidem scriptionum incredibiliter fecunda sunt hæc tempora quotidieque maior ubique copia diffunditur.

Quæ ingeniorum commenta quibus tam multi, maximeque iuvenes, tantopere capiuntur, si pudoris et honestatis finibus, non sane angustis, continerentur, non solum sine fraude delectare, sed etiam ad legentium mores conformandos prodesse possent.

Nunc vero satis dolere non licet, ut dictum est, ex hac affluentia librorum in quibus magna cum fascinatione nugacitatis par inest turpitudo, gravissimam animarum iacturam exsistere. Etenim quam plures huius generis scriptores fulgentissimis imaginibus impudica facta depingunt ; obscœnissima quæque, modo tecte, modo aperte et procaciter, omni castimoniæ lege neglecta, enarrant ; subtili quadam analysi vitia carnalia vel

(1) Supra p. 151, post lineam 10 addatur : « Ad II. — Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».

(2) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 186 s.

pessima describunt eaque cunctis orationis luminibus et lenociniis exornant, adeo ut nihil iam in moribus inviolatum relinquatur. Id omne quam perniciosum sit, præsertim adolescentibus, quibus fervor ætatis difficiliorem efficit continentiam, nemo est qui non videat. Volumina autem illa, tenuia sæpe, parvo venalia prostant apud bibliopolas, per vias et plateas civitatum, in stationibus, quæ dicuntur, viæ ferreæ, eademque in manus omnium mira rapiditate veniunt et familias christianas in magna et luctuosa frequenter discrimina adducunt. Nam quis ignorat litteris ejus modi phantasiam fortiter excitari, effrenatam libidinem vehementer accendi et cor in cœnum turpitudinum trahi ?

Ceteris vero fabulis amatoriis multo pejores solent ab iis proferri qui, horribile dictu, pabulum morbosæ sensualitatis rebus sacris cohonestare non verentur, amoribus impudicis quamdam pietatem in Deum et religiosum mysticismum, falsissimum quidem, intexendo : quasi Fides cum rectæ vivendi normæ negligentia, imo impudentissima infitiatione, componatur et virtus religionis cum morum depravatione consocietur. Contra, sanctum est vitam æternam neminem consequi posse, qui, licet veritates divinitus revelatas vel firmissime credat, præcepta tamen a Deo data non custodit, cum christiani hominis ne ipsum quidem mereatur nomen quicumque fidem Christi professus, Christi vestigiis non ingreditur : « Fides sine operibus mortua est » (Iac., 2, 26) monuitque Salvator noster : « Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum » (Matt., 7, 21).

Ne quis vero illa opponat : in pluribus illorum librorum nitorem et ornamenta orationis vere laudanda inesse, psychologiam hodiernis inventis congruentem præclare doceri, lascivas autem corporis voluptates eo reprobari quod exprimantur, ut sunt, fœdissimæ, aut quod interdum cum conscientiæ angoribus coniunctæ ostendantur, vel quod patefiat quam sæpe extrema turpissimi gaudii luctus cuiusdam pœnitentiæ occupet. Nam neque scribendi elegantia, nec medicinæ aut philosophiæ scientia — si modo his litterarum generibus ea continentur — nec mens, quævis ea sit, auctorum impedire unquam possunt quominus lectores, quorum generatim,

propter naturæ corruptionem, magna est fragilitas magnaque ad luxuriam propensio, paginarum immundarum illecebris sensim irretiti, et mentibus pervertantur et cordibus depraventur, ac, remissis habendis cupiditatum, ad scelera omnis generis delabantur, vitamque ipsam, sordibus oppletam, fastidientes, haud raro se ipsi interimant.

Ceterum quod mundus, qui sua quærit usque ad contemptum Dei, his libris delectetur, eosdemque divulget, mirandum non est; sed maxime dolendum, a scriptoribus qui christiano nomine se iactant, operam studiumque in tam exitiosas litteras conferri. Numquid fieri potest ut principiis ethicæ evangelicæ adversando, adhæreatur Iesu benedicto, qui omnibus, ut carnem cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigant, præcepit? « Si quis vult — inquit — post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me » (Matt., 16, 24).

Atque eo quidem audaciæ et impudentiæ scriptores processisse non paucos videmus, ut ea ipsa vitia suis libris in vulgus spargant, quæ Apostolus vel nominari a christifidelibus vetuit: « Fornicatio autem, et omnis immunditia... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos » (*Eph.*, 5, 3). Discant isti tandem aliquando se duobus dominis servire non posse, Deo et libidini, religioni et impudicitiæ. « Qui non est mecum — ait Dominus Iesus — contra me est » (Matt., 12, 30), ac certe cum Iesu Christo non sunt scriptores sordidis descriptionibus bonos depravantes mores, qui societatis civilis ac domesticæ sunt verissima fundamenta.

Itaque perspecta litterarum lascivarum colluvie, quæ quoquo anno latius omnes fere nationes inundat, Sacra hæc Suprema Sancti Officii fidei et moribus tuendis præposita Congregatio, Apostolica auctoritate ac nomine SSmi Domini Nostri Pii Divina Prov. Papæ XI, omnibus locorum Ordinariis mandat, ut omni qua possunt ope tanto tamque præsenti malo mederi conentur.

Profecto ipsorum est, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei, in omnia, quæ in suis diœcesibus typis imprimantur et edantur, solerter diligenterque invigilare. Neminem autem illud effugit, libros, qui toto orbe hodie vulgantur, longe crebriores esse quam qui a Sede Apostolica examini possint subiici. Propterea

Pius X s. r. Motu-proprio « *Sacrorum Antistitum* » hæc edixit : « Quicumque in vestra uniuscuiusque diœcesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exsulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat, adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit ».

Nec vero talium voluminum et opusculorum pleraque, quamquam perniciosissima, speciali Supremæ huius Congregationis censura plecti valent. Quare Ordinarii ex canone 1397 § 4 C. I. C. per se aut per Consilia *a vigilantia* quæ quidem Summus idem Pontifex, litteris encyclicis « *Pascendi dominici gregis* » instituit, sedulo naviterque gravissimum istud munus explere studeant ; neque opportune denunciare in diœcesanis Commentariis prætermittant eosdem libros uti damnatos et quam maxime noxios.

Præterea quis ignorat Ecclesiam generali lege iam statuisse, ut libri pravitate infecti, qui morum integritatem data opera vel ex professo lædcrent, vetiti haberentur omnes, perinde ac si in *Indicem* librorum prohibitorum relati essent ? Consequitur inde ut peccatum letale ab iis admittatur qui sine permissione debita librum non dubie salacem legant, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica non sit nominatim damnatus. Et quia de hac re, maximi quidem momenti, falsæ et exitiosæ opiniones obtinent inter christifideles, ideo locorum Ordinarii pastoralibus admonitionibus curent, ut imprimis parochi eorumque adiutores animum in id intendant, et fideles opportune edoceant.

Insuper omnibus declarare qui libri nominatim, pro singularum diœcesium necessitatibus, ipso jure prohibiti sint Ordinarii ne omittant. Quod si fideles a volumine quopiam arcere efficacius celeriusque se posse existiment si peculiari decreto illud improbent, hoc suo jure omnino utantur oportet sicut, gravioribus causis postulantibus, id ipsum consuevit S. Sedes, ad præscriptum canonis 1395 § 1 C. I. C. : « Jus et officium libros ex justa causa prohibendi competit non solum supremæ auctoritati ecclesiasticæ pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis ».

Denique hæc Suprema Sacra Congregatio omnes Archiepiscopos, Episcopos et reliquos locorum Ordinarios jubet, occasione relationis diœcesanæ, quidquid contra libros lascivos statuerint et exsecuti sint, Sancto Officio manifestare.

Ex ædibus Sancti Officii, die 3 maii 1927.

L. † S. R. Card. Merry del Val, *a Secretis.*

E S. Congr. Rituum

ROMANA

INSTRUCTIO CIRCA MISSAS IN ORATIONE XL HORARUM CELEBRANDAS (1).

Ut ea, quæ in Clementina Instructione atque in Decretis huius Sacræ Rituum Congregationis iam præscripta fuerant circa Missas tempore Orationis XL Horarum celebrandas, novis Missalis Romani Rubricis omnino respondeant, eadem Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, hæc declaranda censuit, nimirum.

I. Missa votiva solemnis de Ssmo Sacramento vel pro Pace permittitur iisdem diebus, quibus Missa votiva solemnis pro re gravi et publica simul causa celebrari potest, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. II, n. 3. Diebus autem quibus huiusmodi Missa impediatur, in Missa solemni diei currentis sub unica conclusione cum prima Oratione addatur Commemoratio de Missa votiva impedita; sed Oratio de Ssmo Sacramento, ob identitatem Mysterii, omittatur in Festis Passionis, Crucis, Ssmi Redemptoris, Sacratissimi Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis, iuxta Decretum n. 3924 ad IV, diei 3 julii 1896.

II. In eadem Missa votiva solemni de Ssmo Sacramento vel pro Pace, necnon in Missa solemni quæ illius Missæ votivæ impeditæ locum tenet, fiant tantummodo Commemorationes quæ præscribuntur in Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. II, n. 3, et tit. V, nn. 3 et 4.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 192 s.

III. In Missa votiva solemni pro Pace et in Missis privatis quæ triduo expositionis celebrantur, addatur Collecta de Ssmo Sacramento, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiæ, numquam autem sub unica conclusione cum Oratione Missæ, sed post Orationes a Rubricis præscriptas; hæc tamen Collecta omittatur, si Missa vel Commemoratio in Missa occurrens sit de identico Domini Mysterio, et in Missis quæ in Commemoratione omnium fidelium defunctorum celebrentur.

IV. In missa votiva solemni pro Pace, etiamsi extra Dominicam celebretur, Symbolum addatur, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. VII, n. 3 et Decretum n. 3922, tit. II, § 3, diei 30 junii 1896.

Facta autem Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ XI, per infrascriptum Cardinalem Sacræ Rituum Congregationi Præfectum, relatione, Sanctitas Sua præfatam Instructionem circa Missas in Oratione XL Horarum celebrandas adprobavit, eamque adhibendam decrevit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 27 aprilis 1927.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S. Angelus Mariani, *Secretarius.*

E S. Congr. de Seminariis et studiorum Universitatibus.

DECLARATIO (1)

Quæsitum est a Sacra Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus utrum præscriptio in Litteris Encyclicis *Pascendi* (8 Septem. 1907) contenta hisce verbis : « *Theologiæ ac Juris Canonici Laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica Philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto* » adhuc vigeat.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 194.

Re Ssmo D. N. Pio PP. XI delata in audientia die 27 hujus mensis ab infrascripto eiusdem Sacræ Congregationis Card. Præfecto, Ssmus respondere dignatus est: *Affirmative.*

Romæ, e S. Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, die 29 aprilis 1927.

C. Card. Bisleti, *Præfectus.*

L. † S. Jacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

De processione Spiritus sancti.

Uti jam in articulo præcedenti, de æterna generatione Verbi breviter disserentes, præmonuimus (1), inquirere dumtaxat volumus de modo quo processiones divinas accipere debeamus, ut recte intelligamus nomina divinarum personarum, quæ in ipsis sacris litteris Pater, Filius et Spiritus sanctus nuncupantur.

Prima processio, quæ in divinis secundum operationem intellectus obtinet, nomine proprio dicitur generatio; nomina primæ necnon secundæ personæ ss. Trinitatis pariter sunt nomina propria, uti explicavimus.

Altera vero processio, quæ secundum operationem voluntatis accipitur (2), dicitur *processio*, « sine speciali nomine, sed potest nominari *spiratio*, quia est processio Spiritus » (3). Inde Pater et Filius etiam dicuntur *spirare* tertiam personam et distinguere fas est spirationem activam, quæ convenit tum Patri quum Filio, et spirationem passivam, quæ est ipsa processio Spiritus (4), sed uti videtur, semper remanet eadem quæstio quonam modo tertia persona divina Spiritus dicatur.

Unde primum requirimus *de ipso nomine Spiritus* sancti; postea videbimus utrum necne et quonam modo rursus tertia persona *nomen proprium* habeat.

In hac porro breviori lucubratione sequimur rursus s. Doctorem communem, cujus dilucidam doctrinam paucis contrahere nitimur; advertere denuo juvat, quod in præcedenti dissertatione sæpius etiam monuimus:

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXVII (1927), p. 133 s.

(2) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 3, c.; q. 28, a. 4, c.; *Quæst. disp. de potentia*, q. 10, a. 2, c.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 4, ad 3 coll. q. 28, a. 4, c.

(4) Cfr *Sum theol.*, I, q. 30, a. 2, c. et ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 138, apud *Collat. Brugen.*, III (1898), p. 601 s.

s. Thomas nihil ratione probare intendit, ast, supposita revelatione divina, quantum humanæ fas est infirmitati, eamdem utcumque explicare et manifestare conatur ; fides revera quærens intellectum (1).

* * *

Altera processio, quam in Deo novimus, est itaque secundum voluntatem. *Deus amat semetipsum* (2), sed omne id quod amatur « necesse est aliqualiter esse in voluntate amantis » ; unde etiam dicamus oportet « quod ipse Deus sit in voluntate sua ut amatum in amante » (3), seu uti *Deus amatus*, unius tamen naturæ cum Patre et Filio, a quibus per solam relationam oppositam distinguitur (4).

Quod ut penitius intelligamus, quomodo scilicet Deus sit in semetipso, et quidem in voluntate divina, ut amatum in amante, breviori necesse est analysi requiramus quomodo nos velimus, seu amemus, nam amor est reapse actus primarius voluntatis (5) ; ita etiam in investi-

---

(1) Lege *Sum. theol.*, I, q. 32, a. 1, ad 2 et ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Contemplatio de ss. Trinitate*, apud *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 84 s.

(2) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 3, c. — Deus amando se amat omnem creaturam actu existentem, sicut intelligendo se omnem omnino creaturam intelligit, adeoque ait s. THOMAS, *Sum. theol.*, I, q. 37, a. 2, ad 3, « respectus importatur ad creaturam, et in Verbo et in Amore procedente, [sed] quasi secundario, in quantum scilicet veritas et bonitas divina est principium intelligendi et amandi omnem creaturam » ; cfr adhuc *Sum. theol.*, I, q. 34, a. 1, ad 3 et a. 3, c. ; *Summa contra Gentiles*, IV, 13 ; *Quæst. disp. de veritate*, q. 4, a. 4, c. ; ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. c.*, n. 186 et n. 154, apud *Collat. Brugen.*, III (1898), p. 598 et IV (1899), p. 206 s. ; VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 772 s., p. 568 s., Brugis 1917.

(3) *Summa contra Gentiles*, IV, 19.

(4) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 28, a. 2 s. ; *Summa contra Gentiles*, IV, 19 et 24 ; *Quæst. disp. de potentia*, q. 8, a. 2, c. necnon *Quodlib.*, VI, q. 1, a. 1.

(5) Distinguimus in nobis plures actus voluntatis nostræ, ut desiderare, odire, delectari et alios hujusmodi, sed horum omnium actuum habetur unum principium et radix communis, videlicet *amor* ; etenim « ex hoc quod aliquid amamus, desideramus illud si absit, gaudemus autem quum adest, et tristamur quum ab eo impedimur, et odimus quæ nos ab amato impediunt, et irascimur contra ea » (*Summa contra Gentiles*, IV, 19 coll. *Sum. theol.*, I, q. 20, a. 1, c. ; I-II, q. 23, a. 4, c. ; q. 28, a. 1, ad 1 et a. 2, c.).

ganda generatione æterna Verbi penitiori modo quæsivimus quomodo nos intelligamus (1).

Jamvero *amor*, qui est actus appetitus nostri rationalis seu voluntatis nostræ, merito comparari potest cum inclinatione naturali ad bonum conveniens, quæ in rebus naturalibus invenitur et quandoque amor naturalis appellatur (2).

« Est enim quidam appetitus non consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius; et hujusmodi dicitur appetitus naturalis. Res enim naturales appetunt quod eis convenit secundum suam naturam, non per apprehensionem propriam sed per apprehensionem instituentis naturam (3).... Alius autem est appetitus consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed ex necessitate, non ex judicio libero, et talis est appetitus sensitivus in brutis (4).... Alius autem est appetitus consequens apprehensionem appetentis secundum liberum judicium, et talis est appetitus rationalis, sive intellectivus, qui dicitur voluntas » (5).

Jam age « in unoquoque horum appetituum *amor* dicitur illud quod est *principium motus* tendentis in finem amatum. In appetitu autem naturali principium hujusmodi motus est connaturalitas appetentis ad id in quod tendit; sicut ipsa connaturalitas corporis gravis ad locum medium est per gravitatem, et potest dici *amor* naturalis; et similiter *coaptatio appetitus* sensitivi vel voluntatis [seu appetitus intellectivi] *ad aliquod bonum*, id est ipsa *complacentia boni*, dicitur *amor* sensitivus, vel intellectivus seu rationalis » (6).

---

(1) Vide supra, p. 134 s.

(2) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 59, a. 1, c.; q. 60, a. 1, c. et q. 80, a. 1, c.

(3) Hæc penitius explicantur *Sum. theol.*, I, q. 103, a. 1 s., ubi de gubernatione divina dicitur.

(4) Adverte eumdem appetitum sensitivum existere in nobis, in quibus aliquid libertatis participat, in quantum rationi subditur.

(5) *Sum. theol.*, I-II, q. 26, a. 1, coll. I, q. 59, a. 1, c.

(6) *Ibidem*, coll., q. 28, a. 2, c.

Hæc itaque intercedit differentia inter appetitum naturalem ex una parte et sensitivum necnon intellectivum ex alia parte, quod in priori non habetur cognitio ipsius appetentis, sed « appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem; appetitus autem sensitivus, vel etiam intellectivus, seu rationalis qui dicitur voluntas, sequitur formam [seu perfectionem, sive sensu, sive mente] apprehensam » (1). Attamen ex ratione ipsius appetitus idem est amor, idem principium motus tendentis in finem amatum, sive agatur amor naturalis, sive agatur amor sensitivus aut etiam intellectivus.

In rebus igitur naturalibus « ex hoc oritur inclinatio naturalis quod res naturalis habet affinitatem et convenientiam secundum formam [seu perfectionem suam],... cum eo ad quod movetur, sicut grave cum loco inferiori » (2); in voluntate vero oritur inclinatio « ex eo quod per formam intelligibilem aliquid apprehenditur ut conveniens vel afficiens. Affici autem ad aliquid, in quantum hujusmodi, est amare ipsum » (3).

Sedulo nunc observa: ipsa inclinatio in bonum, ipsa *complacentia boni* quæ dicitur *amor* terminative spectatus, ipsa *res amata ut amata*, consistit revera in voluntate, postquam res ut conveniens et afficiens mente concepta fuerit (4).

Aliis verbis quando mente cognoscimus aliquid ut bonum conveniens nobis, hoc bonum mente apprehensum appetimus per voluntatem, sed voluntas non tendit *quasi vacua* in rem quam amamus; id quod amamus vere est in nobis: in intellectu secundum similitudinem

---

(1) *Sum. theol.*, I-II, q. 8, a. 1, c.
(2) *Summa contra Gentiles*, IV, 19.
(3) *Ibidem*.
(4) Quomodo intellectus moveat appetitum vide apud *Sum. theol.*, I-II, q. 9, a. 1, c. et q. 26, a. 2, ad 3 necnon *Quæst. disp. de malo*, q. 6, a. unic., c. et ad 10.

dus quoddam spirituale, quo amans inclinatur in rem amatam, ut in bonum conveniens et proportionatum.

Jam autem, pergit Aquinas, « impulsus rei viventis ab interiori ad spiritum pertinet, [itaque] convenit Deo per modum amoris procedenti ut Spiritus dicatur » (1).

Et enim, ut alibi rursus docet s. Thomas: « spiritus in rebus corporeis impulsionem quamdam et motionem significare videtur, nam flatum et ventum spiritum nominamus » (2). Et reapse « nomen spiritus a respiratione animalium sumptum videtur,... unde nomen spiritus ad omnem impulsum et motum cujuscumque aërii corporis trahitur, et sic ventus dicitur spiritus;... sic etiam vapor tenuis diffusus per membra ad eorum motus spiritus vocatur. Rursus quia aër invisibilis est, translatum est ulterius spiritus nomen ad omnes virtutes et substantias invisibiles et motivas » (3).

Sic autem, addit Angelicus, quamvis *secundum formalum rationem suæ processionis*, tertia persona ss. Trinitatis *non habeat nomen proprium*, nihilominus ex propria significatione nominis spiritus, « quod in rebus corporeis impulsionem quamdam et motionem significare videtur » (4), quoniam « amor virtutem quamdam motivam insinuat » (5), *accommodatum est hoc nomen Spiritus* ex usu Scripturæ et Ecclesiæ, « ad significandam unam trium personarum, scilicet quæ procedit per modum amoris » (6).

Antequam nunc ad inquisitionem de nomine proprio

---

(1) *Summa contra Gentiles*, IV, 19 et in fine addit s. Thomas: « Quia vero omnis intellectualis motus a termino denominatur, amor autem prædictus est quo Deus ipse amatur, convenienter Deus per modum amoris procedens dicitur Spiritus *sanctus;* ea enim quæ Deo dicata sunt sancta dici consueverunt ».

(2) *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 1, c.

(3) *Summa contra Gentiles*, IV, 23.

(4) *Sum. theol.*, *l. c.*

(5) *Summa contra Gentiles*, *l. c.*

(6) *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 1, ad 1.

suæ speciei : in voluntate tanquam « inclinans et quodammodo impellens amantem in rem amatam » (1).

Exemplum, quod a rebus naturalibus desumit Angelicus, rem fortasse illustrare poterit : sicut res quanta, gravis seu ponderosa, secundum convenientiam naturalem et proportionem quam habet ad terram, elementum grave, ad eamdem terram inclinatur, attrahitur et tendit, eamdemque appetitu naturali appetit (2), ita voluntas, *quasi informata* amore rei, seu re amata, tendit, inclinatur et appetit rem amatam si absit, in eadem acquisita, semper amando, requiescit et tandem delectatur.

Igitur « appetibile [revera] movet appetitum, faciens quodammodo in eo ejus intentionem (3), et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit ibi finis motus ubi fuit principium. Prima [nunc] immutatio appetitus ab appetibili vocatur *amor*, qui nihil aliud est quam *complacentia appetibilis;* et ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, et ultimo quies, quæ est gaudium » (4). Unde rursus ipsum appetibile dat appetui primo quidem quamdam coaptationem ad ipsum, quæ est quædam complacentia appetibilis [seu amor], ex qua [complacentia boni] sequitur motus ad appetibile » (5), adeo ut amor seu res amata in amante, nimirum in voluntate ipsius existens, haberi possit uti pon-

---

(1) *Summa contra Gentiles,* IV, 19.

(2) Appetitus « licet ab appetendo nominetur, non tamen hunc solum actum habet ut appetat, quod non habet, sed adhuc ut amet quod habet, et delectetur de illo » (*Sum. theol.*, I, q. 19, a. 1, ad 2). — Unde satis percipitur appetitum stricto sensu inesse entibus, quæ cognitionem habent ac proprie dictum amorem, sive sensitivum sive intellectivum ; attamen in entibus naturalibus, cognitione destitutis, ipsa inclinatio naturalis in bonum, ut diximus, et appetitus et amor naturalis appellatur.

(3) Id est : facit affectionem et propensionem seu complacentiam boni, secundum quam facultas appetitiva quodam modo inclinatur et afficitur ad bonum.

(4) *Sum. theol.*, I-II, q. 26, a. 2. c. sed attende ad ea quæ modo de amore, actu primario voluntatis, præmisimus.

(5) *Ibidem.*

Spiritus sancti procedamus, advertere juvat adhuc cum s. Thoma, processionem alteram in divinis, quæ secundum voluntatem obtinet et merito vocatur *spiratio*, *non posse vocari generationem*, quamvis Deus amatus reapse in Deo amante existat.

Etenim « processio quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid; et ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut Filius, sed magis procedit ut Spiritus, quo nomine quædam vitalis motio et impulsio designatur » (1).

* * *

Spiritus sanctus est amor Patris et Filii, amor procedens, uti statim ulterius explicabimus, sed prius insistendo paucis notandum venit quomodo dicatur amor Patris *et* Filii, nimirum, ut alibi jam exposuimus (2), tanquam procedens tum a Patre quum a Filio, sed tamen ut *ab uno principio*, quod fides catholica plane docet (3).

Unum est revera *principium quo proximum* Spiritus sancti, voluntas Patris et Filii; unum *principium quo remotum*, natura divina ut habita a Patre et a Filio; unum *principium quod*, Pater et Filius (4) et ideo melius etiam dicitur Patrem et Filium esse *unum spiratorem*, quamvis dici possit esse *duos spirantes*, quia nomina substantiva habent numerum secundum formam signi-

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 4, c. coll. q. 37, a. 1, c. necnon *Summa contra Gentiles*, IV, 19 et 23.

(2) *Collat. Brugen.*, XXIV, (1924), p. 308 s.

(3) Cfr *conc. lugdun.*, II, œcum. XIV, apud *Enchir.*, n. 460; *conc. florent.*, œcum. XVII, *Decretum pro Græcis* et *pro Jacobitis*, apud *Enchir.*, n. 693 et n. 703; *prof. fidei* græcis præscripta a Gregorio XIII, a. 1575 (ex actis circa unionem ecclesiæ græco-russiacæ), apud *Enchir.*, n. 1084.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 309; ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 138, apud *Collat. Brugen.*, III (1898), p. 601; VANDER MEERSCH, *o. c.*, n. 724 et n. 727, p. 539 et p. 541.

ficatam, adjectiva vero secundum supposita. Forma porro significata est una, spiratio activa, sed « si considerentur supposita [unius] spirationis [activæ], sic Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, ut sunt plures » (1).

Et revera « quod aliquid sit in voluntate ut amatum in amante, ordinem habet ad conceptionem qua ab intellectu concipitur et ad ipsam rem cujus intellectualis conceptio dicitur verbum; non enim amaretur aliquid nisi aliquo modo cognosceretur (2); nec solum amati cognitio amatur, sed secundum quod in se bonum est. Necesse est igitur quod amor quo Deus est in voluntate divina ut amatum in amante, et a Verbo Dei et a Deo cujus est Verbum procedat » (3).

Sedulo tamen rursus considera Patrem et Filium spirare Spiritum sanctum, non in quantum sunt duæ personæ realiter ab invicem distinctæ per relationis oppositionem, nimirum ut generans et genitus, sed in quantum simul habent unam numero spirationem (4).

Ergo ubi dicitur Spiritus sanctus amor Patris *et* Filii, non affirmatur actus amoris in Patre et alius actus amoris distinctus in Filio, sed unus est actus amoris tum Patri quum Filio communis (5).

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 4, ad 1 coll. ad 7 et q. 39, a. 8, c.

(2) Unde axioma: ignoti nulla cupido, quod sæpius explicatur, ita v. g. *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 3, ad 3.

(3) *Summa contra Gentiles*, IV, 19 coll. *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 3, ad 3; q. 36, a. 3, c.; *Quæst. disp. de potentia*, q. 10, a. 2. — Adverte adhuc s. Thomam explicare ratione quod revelatione probatur, nimirum Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium, uti ss. Patres græci dicebant; cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. c.*, n. 188, apud *Collat. Brugen.*, III (1898), p. 601 s.; VANDER MEERSCH, *o. c.*, n. 720, p. 537.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 4, c. coll. *Summa contra Gentiles*, IV, 25.

(5) Spiritus sanctus itaque « non est medius, sed tertia in Trinitate persona », ait s. THOMAS, *Sum. theol*, I, q. 37, a. 1, ad 3; in *Opusc. contra errores græcorum* (I), cap. 9 (ed. Venetiis, a. 1587, p. 8) explicat Filium esse medium secundum originem. — Inde facile percipitur quomodo dicantur Pater et Filius se mutuo amare, uti exponitur *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 4, ad 1 et q. 37, a. 1, ad 3 atque Patrem et Filium se diligere Spiritu sancto, uti explicatur *Sum. theol.*, I, q. 37, a. 2, c. et *Summa contra Gentiles*, IV, 23; cfr *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 311.

Nunc autem, quamvis processio Spiritus sancti sine speciali nomine remanserit, quoniam processio per modum amoris seu voluntatis, nobis est minus nota, uti advertit s. Thomas, nihilominus si *nomen amoris* sumatur *non essentialiter* sed *personaliter* haberi potest tanquam « nomen *proprium* Spiritus sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filii » (1).

Etenim « sicut ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum ; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quædam impressio, ut ita loquar, rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente ; ita quod quum aliquis seipsum intelligit et amat, est in seipso non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente, et amatum in amante » (2).

Jam autem « ex parte voluntatis, præter *diligere* et *amare*, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita quæ importent habitudinem ipsius impressionis vel affectionis rei amatæ, quæ provenit in amante ex hoc quod amat, ad suum principium, aut e converso. Et ideo propter vocabulorum inopiam hujusmodi habitudines significamus vocabulis amoris et dilectionis, sicut si Verbum nominaremus intelligentiam conceptam, vel sapientiam genitam ».

« Sic igitur in quantum in amore vel dilectione non importatur nisi *habitudo amantis* ad rem amatam, amor et diligere *essentialiter* dicuntur... In quantum vero his vocabulis utimur ad exprimendam *habitudinem ejus rei quæ procedit* per modum amoris ad suum principium, et e converso, ita quod per amorem intelligatur *amor pro-*

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 37, a. 1, c.
(2) *Ibidem* coll. *Summa contra Gentiles*, IV, 19.

cedens,... sic amor est *nomen personæ* » (1), tertiæ scilicet ss. Trinitatis, atque idem dicit ac *Deus amatus*, qui in Deo amante se existit.

Quinimmo nomen « *Donum* », quod in oratione Ecclesiæ publica tribuitur Spiritui sancto, ut puta quum dicitur « altissimum Donum Dei », *personaliter sumptum* in divinis iterum tanquam *nomen proprium* Spiritus haberi potest.

Quod ut intimius intelligatur advertere oportet donum proprie sumptum importare gratuitam donationem sine intentione retributionis. « Ratio [porro] gratuitæ donationis est amor. Ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Unde manifestum est quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur » (2).

Sic porro, addit s. Thomas, « cum Spiritus sanctus procedat ut amor,... procedit [itaque] in ratione primi doni » (3) et quidem *ab æterno*, licet in tempore donetur (4). Et enim « in nomine doni importatur aptitudo ad hoc quod donetur » (5), dum donatum seu datum potius dicitur id quod donatur; sed hanc aptitudinem ut donetur, habet Spiritus sanctus ab æterno, utpote amor Patris

---

(1) *Sum. theol*, *l. c.* — Igitur amor sumi potest in divinis triplici modo : *essentialiter* et sic est communis tribus personis ; *notionaliter*, quasi active et in ratione principii spirantis, atque sic tum Patri quum Filio convenit (*Sum. theol.*, I, q. 37, a. 2, c.) ; tandem *personaliter*, quasi passive et in ratione termini, atque ita est nomen proprium tertiæ personæ. — Adverte, ut s. Thomas eodem loco proponit, pro processione secundum intellectum plura vocabula nos habere, et ita possumus sumere *intelligere* solum *essentialiter* et *dicere* sumimus *notionaliter*, « quia [dicere] importat habitudinem principii Verbi [Dei dicentis seu intelligentis se, id est Patris] ad Verbum ipsum » (*Sum theol.*, I, q. 37, a. 1, c.).

(2) *Ibidem*, q. 38, a. 2, c.

(3) *Ibidem* coll. *Quæst. disp. de veritate*, q. 7, a. 3, ad 3.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 38, a. 1, ad 4.

(5) *Ibidem* et cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Disquisitio dogmatica de unione justorum cum Deo*, n. 36, apud *Collat. Brugen.*, XV (1910), p. 635 s.

et Filii, amor subsistens Dei, in quo nullum accidens nec ulla transmutatio (1).

Igitur « sicut Filius, quia procedit per modum Verbi, quod de ratione sua habet quod sit similitudo sui principii, dicitur proprie imago, licet etiam Spiritus sanctus sit similis Patri (2), ita etiam Spiritus *dicitur proprie Donum*, licet etiam Filius detur » (3). Et revera Spiritus sanctus est amor Dei, spectatus non active uti Deus amans, sed terminative uti Deus amatus, per quem omnia, et ipsum Verbum unigenitum Dei, nobis donantur (4).

Breviter itaque utramque lucubrationem de æterna Verbi generatione necnon de processione Spiritus sancti sic contrahere possumus.

Prima processio, quæ secundum intellectum obtinet, vocari potest et debet *nomine proprio generatio*. Deus intelligens se *nomine proprio* dicitur *Pater;* Deus intellectus nomine pariter proprio et *Verbum* et *Filius* nuncupatur.

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 37, a. 1, ad 2 coll. *Summa contra Gentiles*, IV, 19.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 38, a. 2, ad 1. — Nota tamen Spiritum sanctum non esse imaginem Patris, quoniam, uti proponitur q. 35, a. 2, c., « sicut Spiritus sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut et Filius, non tamen dicitur natus; ita, licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago, quia Filius procedit ut Verbum, de cujus ratione est similitudo speciei ad id a quo procedit; non autem [hoc est] de ratione amoris, quamvis hoc conveniat amori qui est Spiritus sanctus, in quantum est amor divinus » et cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 137, apud *Collat. Brugen.*, III (1898), p. 601.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 38, a. 2, ad 1.

(4) Cfr *Jo.*, III, 16 : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret », quod ait s. THOMAS, *l. c.*, « est ex amore Patris » ; cfr etiam *Summa contra Gentiles*, IV, 23 : « Quum autem Spiritus sanctus procedat per modum amoris quo seipsum Deus amat, eodem autem amore Deus se et alia propter suam bonitatem amat, manifestum est quod ad Spiritum sanctum pertinet amor quo Deus nos amat; similiter etiam amor quo nos Deum amamus, quum nos Dei faciat amatores, ... et quantum ad utrumque Spiritui sancto competit donari ».

Altera processio, quæ secundum voluntatem accipitur, caret speciali nomine, sed vocari potest *spiratio*, utpote processio *Spiritus*, quo nomine tertia persona, quæ non habet nomen proprium secundum formalem rationem suæ processionis, significatur ex quadam accommodatione ut Deus amatus existens in Deo amante, a quo procedit per amorem. Nihilominus Spiritus sanctus *proprie* nominari potest *Amor*, utpote *amor procedens*; adhuc *proprie* dicitur *Donum*, quatenus amor habet rationem *primi doni*, per quem amorem omnia nobis a Deo donantur (1).

H. Lamiroy.

(1) Cfr ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 136, apud *Collat. Brugen.*, III (1898), p. 598 : « Spiritus sanctus [procedit] per dilectionem, tanquam donum, ut tendens ad communicanda bona ad extra, præsertim vero ut donabilis creaturæ rationali per sanctificationem, quæ proxime imitatur sanctitatem et bonitatem substantialem Dei ». — Momentum hujusce doctrinæ de nomine Spiritus sancti, quod est Donum, liquet ex intima ejus connexione cum veritate de inhabitatione Spiritus sancti in animabus justorum, uti videre est in *Disquisit. dogm. de unione justorum cum Deo*, supra jam laudata, præsertim n. 36, apud *Collat. Brugen.*, XV (1910), p. 635 : « Quod igitur Spiritus sanctus est donum seu donabilis, implicat ab una parte modum proprium procedendi, ab altera parte relationem quamdam radicalem dicit ad creaturas, præprimis in quantum sanctificandas, quibus donabilis est ».

Burgerlijke Wetgeving

NIEUW TARIEF DER GESTICHTE KERKDIENSTEN

Koninklijk besluit van 8 April 1927 (1)

ALBERT, Koning der Belgen,

Gezien de brieven van 17 December 1926 en 28 Februari 1927, waarbij de aartsbisschop van Mechelen, in overleg met de hoofden der andere bisdommen, het onderstaand ontwerp tot wijziging van het tarief der gestichte kerkdiensten, goedgekeurd bij Ons besluit van 9 Januari 1922 (*Staatsblad*, nr 19), aan de Regeering ter goedkeuring voorlegt :

I. — Gelezen Missen

DIENSTEN	Aan den dienstdoenden priester	Aan den koster	Onder de koorknapen te verdeelen	Aan de fabriek
	Fr.	Fr.	Fr. C.	Fr. C.
Gelezen mis op dag en uur naar keuze	8	1	1,00	2,00
Gelezen mis op vastgestelden dag en uur :				
1° Vóór 9 uur	10	2	1,00	3,00
2° Te 9 uur	12	3	1,50	3,50
3° Te 10 uur	15	4	2,00	5,00
4° Te 11 uur . . . . . , ...	20	5	5,50	7,50

(1) *Staatsblad* van 21 April 1927, blz. 1931. — Zie het vorig tarief dat door koninklijk besluit van 9 Januari 1922 werd goedgekeurd, in *Collat. Brugen.*, t. XII, blz, 75. — Zie ook den ministerieelen omzendbrief nopens het tarief der fundatiën van 23 Februari 1922 gegeven in *Collat. Brugen.*, t. XXII. blz. 235. Dezelfde regels immers die daar worden aangegeven moeten ook *nu* worden toegepast ; en dezelfde opmerkingen die dan werden neergeschreven op blz. 237 blijven hun waarde behouden, n° 4 ten deele uitgezonderd.

II. — Gezongen Missen (1)

DIENSTEN	Aan den dienstdoenden priester	Aan ieder der officiëerenden	Aan den koster	Aan ieder der zangers	Aan den orgelist	Aan den orgeltrapper	Onder de koorknapen te verdeelen	Aan de fabriek
	Fr.	Fr.	Fr.	Fr.	Fr.	Fr.	Fr.	Fr.
Gezongen mis op dag en uur naar keuze	10	4	3	3	3	1	1	10
Gezongen mis op vastgestelden dag en uur :								
1° Vóór 9 uur of jaargetijde 4e klasse . . .	12	6	5	4	5	2	2	12
2° Te 9 uur of jaargetijde 3e klasse. . . .	15	7	6	5	6	3	3	15
3° Te 10 uur of jaargetijde 2e klasse. . . .	20	8	7	6	7	4	4	20
4e Te 11 uur of jaargetijde 1e klasse. . . .	25	9	8	7	8	5	5	25

De verschillende klassen van jaargetijden houden geen noodzakelijk verband met de uren waarmede zij op de tabel der gezongen missen overeenkomen ;

Gelet op artikel 15 van het Concordaat van 26 Messidor jaar IX, de artikelen 69 en 73 der organicke wet van 18 Germinal jaar X, de besluiten van 7 Thermidor jaar XI, van 28 Frimaire jaar XII en de beslissing van 30 Ventôse daaropvolgend, het decreet van 22 Fructidor jaar XIII en het advies van den Staatsraad van 21 Frimaire jaar XIV, de artikelen 26, 29 en 31 van het decreet van 20 December 1809 ;

Op voorstel van Onzen Minister van Justitie,

Wij hebben besloten en Wij besluiten :

Eenig artikel. Goedkeuring is gehecht aan bovengemeld ontwerp tot wijziging van het tarief der gestichte kerkdiensten.

Onze Minister van Justitie is belast met de uitvoering van dit besluit.

Gegeven te Brussel, den 8en April 1927.

ALBERT.

Van 's Konings wege :
De Minister van Justitie,
PAUL HYMANS.

(1) Het koninklijk besluit van 4 Januari 1922 bevatte den volgenden regel : « de functie van zanger en koster, van zanger en organist, van koster en organist, zelfs van koster, zanger en organist mogen door denzelfden persoon worden waargenomen ; in het laatste geval echter heeft de titularis slechts recht op de aan twee van de door hem vervulde functies verbonden bezoldigingen ». *Moniteur*, 1922, blz. 547.

OPMERKINGEN. — 1/ Het nieuw tarief, in tegenstelling met het vroeger goedgekeurd tarief, spreekt niet over stichtingen nopens « vespers, lof, kruisweg, zegening met het H. Sakrament na de mis », ook niet over « aanbevelingen van personen op den predikstoel ».

De reden daarvan is wellicht hierin te vinden, namelijk dat zulkdanige stichtingen of fondatiën van minder belang zijn, en dat voor de reeds bestaande stichtingen van dien aard minder voor « reductio » moet gezorgd worden.

2/ Dit tarief is enkel toepasselijk op de *stichtingen* (fondatiën) of *gestichte* kerkdiensten ; dus niet op de « missæ manuales », ook niet op andere missen, die dikwijls met een begravingsdienst gepaard gaan, ook niet op missen die een eenvoudige erfenislast uitmaken en bijgevolg jaarlijks (ten minste voor enkele jaren) niet terugkeeren. Er is maar spraak van de stichtingen gedaan aan de kerkfabriek zelf, of aan andere inrichtingen ten voordeele der kerkfabriek.

3/ Dit tarief is enkel toepasselijk *a*/ op stichtingen of fondatiën, waarvan de ambtelijke erkenning en goedkeuring tien dagen na den datum van 't verschijnen van 't staatsblad (27 April 1927) nog hangende was ; *b*/ op alle andere fondatiën die *na* dien datum gedaan werden of zullen gedaan worden.

4/ Dit tarief is dus geenszins toepasselijk op de bestaande fondatiën. De lasten echter die aan de bestaande fondatiën verbonden zijn, kunnen krachtens artikel 29 van het dekreet van 30 December 1809, en volgens de voorschriften der kerkelijke wetgeving, door den Bisschop gereduceerd worden (1). Die reductie veronderstelt noodzakelijk de werkdadige tusschenkomst van de kerkelijke overheid, en mag bijgevolg nooit op eigen gezag geschieden.

Het zal ook niet onnuttig zijn ter dezer gelegenheid te doen opmerken :

a/ Dat de pastors of rectores ecclesiarum die voor de ontlasting van fondatiën te zorgen hebben, vooral voor

---

(1) Zie daarover can. 1517 en 1551. — Ook *Collat. Brugen.*, t, XXIV, p. 247.

gefundeerde missen, aan hun plicht te kort komen, waar zij al den eenen kant geen « reductio onerum fundationis » vragen (1) ; en al een anderen kant telken jare, zonder de minste moeite of verdere bekommernis, die missen naar 't Bisdom insturen (2).

b/ Het stipendium voor gelezene of andere gefundeerde missen mag niet op eigen gezag door den rector ecclesiæ evenredig verhoogd worden met het tarief, dat voor de missæ manuales werd goedgekeurd. Dit ligt uitsluitelijk in de bevoegdheid van den bisschop.

c/ Waar het roerend of onroerend goed dat de dotatie van de stichting uitmaakt jaarlijks voldoende inkomsten opbrengt om de lasten der fondatie, zooals ze voorzien werden, uit te voeren, moeten deze worden uitgevoerd. Van reductie-vragen of benuttigen van bekomene reductie kan en mag er dan geen spraak zijn. - Dit geldt dus b. v. ook voor 't geval waar na den oorlog om reden van tijdelijke waardevermindering van 't roerend of onroerend goed, de lasten werden gereduceerd ; doch waar nu om reden van 't stijgen van huurprijs, enz. de inkomsten merkelijk zijn aangegroeid, zoodat men met die inkomsten volledig de lasten der fondatie, zooals ze gesticht werd, kan uitvoeren (3).

J. Brys.

---

(1) Zoo worden nu nog jaarlijks naar de curia episcopalis heele reeksen gefundeerde missen gezonden, die nog getariffeerd staan aan 1,50 f. of 2 f. of 2,50 f. doordat sedert jaren reeds nagelaten werd een « reductio » aan te vragen.

(2) Het moet immers opgemerkt worden dat volgens de voorschriften van de kerkelijke wet alleen die overblijvende gefondeerde missen mogen naar de curia episcopalis gezonden worden, die op de parochie niet *konden* worden gecelebreerd.

(3) Volgend voorbeeld zal den regel duidelijk maken : een stuk land b. v. van 50 aren werd overgemaakt aan de kerkfabriek met last van ten eeuwigen dage een jaargetijde te zingen te 10 uur. Bij veronderstelling werd na den oorlog reductie gegeven omdat het land geen voldoende huurprijs opbracht, om ermede zulkeen jaargetijde te kunnen betalen, volgens het nieuw goedgekeurd tarief der jaargetijden.

Waar nu het land, om reden b. v. der vermeerdering van huurprijs, voldoende opbrengt om volgens het huidig tarief der jaargetijden een jaargetijde te zingen te 10 uur, daar moet de pastor dit jaargetijde zingen. Hij mag het niet vervangen door een jaargetijde te 8 uur, zooals de reductie het toestond, en mag dus niet eenvoudig weg het overige der opbrengst in de kas der kerkfabriek storten.

Consultatio.

Circa indulgentiam plenariam toties quoties crucifixis adnexam.

Recenter in civitate sparsum est nuntium religiosum quemdam brevi in regionem adventurum extraordinaria facultate a Pio X olim munitum, adnectendi nimirum crucifixis indulgentiam plenariam toties a fidelibus lucrandam, quoties alicui ex præfatis crucifixis osculum infixerint, et sacerdotes invitati sunt ut crucifixos ad eum mitterent, quos tam præcellenti prærogativa ditari cuperent. Unde quæstio orta est quid de hac re censendum sit.

R. 1/ Neque laudatum religiosum novimus, neque tenorem facultatum ejus inspicere potuimus. Ergo de authentia et de extensione hujus mirandi privilegii in specie nil pronuntiare valemus.

2 Attamen, inspecta responsione olim a s. Congregatione s. Officii facta proposito simili dubio, non possumus quin valde dubitemus de interpretatione data privilegio de quo agitur. Sufficiat igitur hanc declarationem s. Officii quam olim breviter transcripsimus (1) hîc iterum in extenso referre.

« *Decretum seu declaratio circa indulgentiam* toties quoties *crucifixis adnexam*.

Supremæ Congregationi s. Officii relatum est, sacerdotes quosdam consuevisse benedictione donare crucifixos, asserentes iisdem applicare indulgentiam plenariam, toties a fidelibus lucrandam, quoties osculum alicui ex præfatis crucifixis infixerint : id vero apostolica auctori-

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XX (1920), p. 144.

tate. Quum non sit de Romanæ Ecclesiæ consuetudine in facultatibus indulgentias applicandi quosdam limites discretionis excedere, ad mentem decreti s. Indulgentiarum Congregationis d. d. 10 augusti, anno 1890, in quo aliquot exhibentur regulæ « quibus præ oculis habitis, nedum » locorum Ordinariis, sed et ipsis christifidelibus facilis » aperiretur via ad dignoscendum quodnam sit ferendum » judicium de aliquibus indulgentiis, quæ passim in » vulgus eduntur, dubiamque præ se ferunt authenticita- » tis notam », visa est asserta facultas aut mere dictitata, aut præpostera interpretatione accepta.

Hisce considerationibus permoti Emi et Revmi Patres Cardinales generales Inquisitores, feria IV, die 10 junii, anno 1914, censuerunt esse de hac re Sanctissimum [ipsum Pium PP. X] consulendum. Sanctitas porro Sua, in audientia feria V subsequenti, die 11 junii, eodem anno, R. P. D. s. Officii Commissario impertita, mentem suam benigne aperire dignata est, et mandavit sequens expediri decretum : « Facultas benedicendi crucifixos » cum indulgentiæ plenariæ applicatione, toties quoties » nuncupatæ, sive personaliter a Summo Pontifice, sive » quomodocumque ab apostolica Sede, per tramitem » cujuslibet Officii vel personæ obtenta, ita et non aliter » est intelligenda, ut quicumque christifidelis in articulo » mortis constitutus aliquem ex hujusmodi crucifixis » benedictis etiamsi illi non pertineat, osculatus fuerit » vel quomodocumque tetigerit, dummodo confessus et » sacra communione refectus, vel si id facere nequiverit » saltem contritus, ssmum Jesu nomen, ore, si potuerit, » sin minus corde, devote invocaverit, et mortem tam- » quam peccati stipendium de manu Domini patienter » susceperit, plenariam indulgentiam acquirere valeat. » Contrariis quibuscumque non obstantibus » (1).

A. Legrand.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, VI (1914), p. 347 s.

Notæ bibliographicæ

Dorsch, **E.** (S. J.). *De inspiratione s. Scripturæ* (Institutiones theologiæ fundamentalis, III). 2 ed. Oeniponte, Rauch, 1927. — In 8, x-449 p. — Pr. 8 Mk.

Varias quæstiones circa s. Scripturæ inspirationem exsurgentes diligenti solertia in unum collegit auctor, apte theologiam scholasticam cum positiva jungendo. Existentia, natura, extensio, consectaria inspirationis sub diversissimis suis aspectibus considerantur, adductis semper omnibus argumentis et memoratis præcipuis impugnationibus et controversiis. Ita factus est liber quasi summa de inspiratione, optimo ordine digesta, lucida dissertatione exposita et recentioribus quæstionibus apprime accommodata.

Quod cardinem rei, scil. naturam inspirationis, attinet, auctor fideliter inhæret vestigiis card. Franzelin. Essentiam inspirationis in hoc reponit quod Deus influxu suo causali efficiat ut homo judicet esse scribendas et velit scribere illas præcise res quas Deus judicavit esse scribendas et per humanum instrumentum scribere voluit; ad hoc sufficit Dei interventio efficax in ultimo judicio practico intellectus et in ultimo volitionis actu. Ad exsecutionem autem hujus volitionis, juxta auctorem, a parte Dei non jam requiritur nisi assistentia sic dicta negativa, quæ assistentia de se etiam sufficit ad determinationem et scriptionem modi seu, lato sensu, verborum.

Quidquid sit de aliis quibusdam punctis, duo tamen circa hanc positionem notare velimus; et primo, juxta auctorem impulsus efficax in voluntatem sufficienter obtinetur influxu morali Dei, etiam mediis externis, v. g. mandato, exercito; tunc Deus esset vere causa principalis illius actus auctoris, homo causa instrumentalis. At non perspicimus quomodo causa moralis possit esse proprie principalis; mandato enim non confertur instrumento virtus instrumentalis, qua ejus potentia elevetur; ideo divisio causæ principalis ab instrumentali reservanda est solis causis efficientibus physicis.

Dein non valemus consentire auctori ubi inspirationem verbalem rejicit utpote reducendam ad dictationem materialem. Concedimus inspirationem modi cum certitudine omnimoda non posse probari, eam tamen ut probabiliorem habemus, sed nullatenus eam adstruimus ut dictationem quamdam mechanicam a Deo factam; censemus Deum dirigere motione efficaci hagiographum circa vestitum litterarium occupatum, eo ipso modo quo dirigit ejus intellectum et voluntatem

circa res scribendas. Si talis motio æquivalet dictationi, quærimus quo iure auctor neget influxum determinantem ultimum judicium practicum esse dictationem.

Hæ auctoris opiniones inter catholicos libere disputantur; licet quibusdam non adhærcamus, nolumus tamen negare serium valorem hujus libri manualis præsertim ubi evolvit arduas quæstiones de inerrantia s. Scripturæ.

Sickenberger, J. *Kurzgefasste Einleitung in das Neue Testament.* 3 et 4 ed. Friburgi, Herder, 1925. — In 8, 148 p. — Pr. 2,30 Mk.

Catholicis majori instructione pollentibus magnum periculum pro fide afferunt in Germania, nec ibi solum, tot libelli de rebus religiosis sub forma magis populari tractantes et sub specie scientiæ vulgo accommodatæ sophismos etiam crassiores propugnantes. Huic periculo obstare voluit domus Herder inaugurando seriem *Theologische Grundrisse*, cujus plures jam prodierunt opelli ab optimis theologis conscripti. Introductio in Novum Testamentum concredita est directori periodici *Biblische Zeitschrift*, qui nota sua scientia breviter in hoc opere consignavit notiones introductorias ad omnes et singulos libros Novi Testamenti; essentialia tantum exponuntur sed majora cupienti prostat brevis de singulis materiis bibliographia.

Optimum hunc libellum considerando, perspicimus quomodo sana vulgarisatione Novum Testamentum possit pro cultioribus inter fideles fieri ut olim nutrimentum animæ.

Reatz, A. *Jesus Christus.* 2 et 3 ed. Friburgi, Herder, 1925. — In 8, XVI-396 p. — Pr. 10,50 Mk.

Hic liber, ad preces domus editricis Herder compositus, intendit tradere de persona et de opere Jesu syntheticum quemdam conspectum, e quo deducere liceat veram essentiam christianismi, quam tot libri protestantium et criticorum liberiorum miserrime defiguraverunt.

Absque apparatu scientifico, positiva et solida expositione, citationibus biblicis sobrie illustrata, tradit auctor suas conclusiones de persona Jesu, de ejus prædicatione messianica et de institutione Ecclesiæ; obvie deducitur essentiam Christi doctrinæ unice et sine corruptione inveniri in sola Ecclesia catholica.

Miramur vim persuasivam quam liber redolet et qua factus est apprime accommodatus propagandæ catholicismi veritati et meliori intelligentiæ. Revera eximias dotes operis probaverunt eventus; prima editio quattuor millium exemplarium post brevem annum exhauriebatur; secundæ eumdem successum toto corde optamus.

M. De Jonghe.

Dumoulin, L., (S. J.) *De Jesuieten-orde en hare belgische missiën.* — In 8, 125 bl.

Een prachtig werkje, innerlijk en uiterlijk. — Schrijver geeft eerst, in 't korte, de geschiedenis der societeit : haar stichting, wezen en doel, haar opheffing en herstel. Tusschen in, iets over karaktervorming in de Jesuietenorde en wereldapostolaat. Dan hebben wij aantrekkelijke bladzijden over de belgische Jesuieten vóór de opheffing en na het herstel. Een derde hoofdstuk handelt over de belgische missiën. Hoeveel heerlijke figuren rijzen er hier op ! Hoeveel reuzenarbeid wordt er hier herdacht ! Fierheid komt in ons op wanneer wij denken dat die missionarissen onze broeders zijn. Dan nog een laatste hoofdstuk over de missieactie der Jesuieten in ons land : de apostolische school te Turnhout, pro Apostolis, de missiebond der vlaamsche studenten, de missiologische weken en cursussen, Xaveriana, de bode van het H. Hart, Lievenspenning, Lievenspost, het werk der zwarte doopkinderen enz.

Na het lezen dier stichtende bladzijden gevoelt men een drang des harten om te bidden en God te bedanken die ons Ignatius gaf en met hem zooveel verdienstelijke en trouwe zonen.

Het werk is fraai geillustreerd en rijk aan documentatie.

Rieder K. *Der Brautunterricht*, eine praktische Anleitung für den Seelsorgsklerus. Herder, 1925. — In 8, VI-40 p. — Pr. 2 Mk.

In hac instructione nupturientium agitur 1/ de statu conjugali ejusque dignitate, 2/ de præparatione ad statum illum amplectendum, 3/ de sacramento matrimonii, ceremoniis ejus et missa nuptiali, 4/ de castitate, fidelitate et amore conjugali, 5/ de familia et de habitudine inter varia membra ejus nectione de juribus et officiis in ea fundatis.

Ubi agitur de castitate conjugali non tantum attingitur doctrina theologica sed testimonia quoque afferuntur peritorum medicorum et objectiones hodiernæ refelluntur.

Pertinet opusculum ad collectionem « *Hirt und Herde*, Beiträge zu zeitgemäszer Seelsorge. Herausgegeben vom Erzbisschöflichem Missionsinstitut zu Freiburg im Breisgau ». Auxilio ejus, optima instructione sponsi ad matrimonium præparabuntur.

V. Coucke

de Moreau, E. (S. J.) *Saint Amand, Apôtre de la Belgique et du Nord de la France.* Louvain, Editions du Museum Lessianum, 1927. — In 8, 367 p. — Pr. 25 frs.

Saint Amand fut un très grand voyageur. Par lui la parole divine tomba jusque chez les Vascons des Pyrénées et chez les Slovènes des Balkans ; il fut un moment évêque de Tongres-Maastricht, fit au

moins une fois le voyage à Rome ; mais jusqu'à trois fois il revint et résida le plus longtemps dans les vallées de l'Escaut et de la Lys, auprès de ceux que son premier biographe appelle les « oves proprias » du missionnaire à l'âme ardente. C'est pour ce motif que l'on aime chez nous à appeler saint Amand « *l'apôtre des Flandres* » et nous croyons pouvoir lui conserver ce titre ; mais cette prétention, si c'en est une, ne peut être pour nous qu'un motif de plus pour nous réjouir de ce que notre grand apôtre ait trouvé dans le P. de Moreau un historien digne de lui.

Sauf dans les publications de sources et dans les études critiques de quelques érudits, tels le bollandiste *Henschenius*, l'allemand Krusch et le professeur Vander Essen, la vie de saint Amand avait été traitée jusqu'a présent assez superficiellement. Le P. de Moreau lui est un historien consciencieux et à la hauteur de sa tâche. Il commence par remettre à l'épreuve en une étude critique, serrée mais prudente (pp. 1-75), les anciennes biographies et les trop rares documents diplomatiques de cette époque lointaine ; maintes fois il propose à leur sujet des solutions nouvelles, qui nous semblent avoir toute chance d'être agréées. C'est notamment le cas pour la source principale, celle qui fournit le plus de renseignements, la *vita prima ;* Krusch déniait quasi-toute autorité à cette biographie, Henschenius en faisait l'œuvre d'un disciple de saint Amand, Baudemond ; le P. de Moreau prend une solution moyenne : la *vita* fut composée par un clerc de Noyon, un demi-siècle, il est vrai, après la mort de saint Amand ; mais ce clerc, appartenant au diocèse — Noyon réuni à Tournai — dans lequel le saint avait passé la plus grande partie de sa vie, est parvenu « aisément » a reconstituer son *curriculum vitæ* et à réunir des épisodes prouvant sa sainteté. Nous en sommes heureux, car nous nous étions appuyés nous mêmes presque uniquement sur cette *vita,* dans le court résumé de la vie de saint Amand que nous avons donné ici à nos lecteurs (1). Nous n'avons guère à modifier notre exposé ; nous engageons toutefois vivement nos lecteurs à compléter notre courte notice par la lecture de la seconde partie de l'ouvrage du P. de Moreau ; ils y trouveront, recueillis avec respect comme des reliques, tous les renseignements sérieux qu'on peut réunir sur le grand missionnaire ; ils y trouveront ces précieuses reliques enchâssées dans leur vrai cadre historique et présentées dans une belle synthèse. Ajoutons qu'un chapitre spécial est consacré au « souvenir de saint Amand » ; ce chapitre est plein de faits curieux relatifs aux diverses fêtes du saint, à l'extension et aux manifestations de son culte chez nous et à l'étranger, aux voyages de ses reliques, aux légendes et dictons populaires qui le concernent, aux œuvres littéraires qui l'ont glorifié Nous ne saurions trop recommander ce livre.

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. XXII, p. p. 194.

Allossery P. *Het Gildeleven in vroeger eeuwen.* Brugge, Moens-Patfoort, 1926. — In 8, 256 bl.

« Een Belgische, een Vlaamsche ambachtsgeschiedenis bestaat er niet, nog onmogelijk », had E. H. FL. PRIMS geschreven in « *De(n) Gids op Maatschappelijk gebied* » (1922, blz. 216). En toch was de tijd gekomen om iets in die richting te pogen, zoo niet om reeds een definitief en volledig werk op te leveren. De baan moest eens voor goed opengebroken worden, en aan menige sociale leiders moest eens klaar aangetoond hoeveel ongelijk ze hadden te meenen dat er « *uit de oude tijden niets te leeren* » is. (Voorwoord van den Schrijver).

Met dat opzet heeft dan ook Eerw. Heer P. Allossery, die taak aangepakt, « *op heel bescheiden wijze* » naar hij meent, maar niettemin met onbetwistbare bevoegdheid, en met een welslagen dat de stoutste verwachtingen overtreft van alwie zijn werk doorleest. En niet alléén opent hij ruim en breed de baan voor verdere navorschingen, maar hij brengt ons al dadelijk een goed eind vooruit tot grondiger kennis onzer middeleeuwsche-Gildengeschiedenis.

Buiten een paar hoofdstukken waarin Schr. ons in algemeene en vaste trekken een schets geeft van het ontstaan en de ontwikkeling der Gilden (I), en van haar vervallen en verdwijnen (XI), zijn de overige hoofdstukken van dit boek eerder een boeiende en leerrijke uiteenzetting, een bont en levendig tafereel van *het leven der Gilden en Ambachten*, hoofdzakelijk *tijdens hare bloeiperiode*. Zoo vertelt Schr. steunend op een overvloedige documentatie, (waarvan de dichte voetnota's op elke bladzijde getuigen), achtereenvolgens in logische orde en tevens op meêslepende wijze, die tot het einde toe de belangstelling gaande houdt; ontelbare leerrijke en steeds nieuwe wetenswaardigheden over de organisatie der middeleeuwsche Gilden, hare leden, ingedeeld in Leergasten, Gezellen, Meesters (II), haar Bestuur (III), haar innerlijke werking (met hierbij zeer interessante en zelfs actueele gegeven over regeling van arbeid en loon) (IV), haar aandeel en invloed in het politiek en staatkundig leven (V), het krijgsbedrijf (VI), het maatschappelijk (VII), Godsdienstig en zedelijk leven (VIII) dezer tijden.

Zoo doet Schr. ons met fierheid meêleven met de groote christelijke en zelf-bewuste voorvaderen die de grondslagen vastlegden onzer volksgrootheid, en de bewondering afdwingen van allen die deze glansperiode onzer geschiedenis bestudeeren.

Waar 't pas geeft, wijst hij echter ook objectief en onbewimpeld op de gebreken en misbruiken die stilaan aangroeiden, en aldus oorzaken werden van het verval en den ondergang van 't Gildeleven.

Vooral willen we de aandacht vestigen op het « *Nawoord en Slotwoord* » (X), dat van groote beteekenis moet wezen voor allen die in onzen tijd van sociale en politieke ontreddering, van zoeken en tasten, bekommerd zijn om te helpen verwezentlijken de Katholieke sociale gedachte naar de grondslagen door den grooten Paus Leo XIII vastgelegd. En met Schr. besluiten we: « Laten wij de vroegere

ambachten beter en beter leeren kennen, laten wij er het kaf van 't koorn scheiden, de misbruiken weren, en wel zien er niet meer in terug te vallen ;... laten wij er al het goede uit rapen wat uit te rapen is, — en er is oneindig veel, — om zóó de ontredderde maatschappij weder te helpen opbouwen in de kristene gedachte der oude Neringen, tot meer broederlijkheid, tot meer vrede, en zóó — want anders is het niet mogelijk, — tot meer duurzame welvaart zoowel voor den enkeling als voor heel de samenleving ! » (p. 255).

Terecht wenschen we dan ook dat dit nuttige boek ruime verspreiding vinde, niet alleen onder de liefhebbers van Geschiedenis en van « Oudheden » maar ook, en niet het minst, onder alle Katholieke sociale werkers die met zooveel geestdrift en offervaardige liefde mede arbeiden tot het groote doel : « De Vrede van Christus in het rijk van Christus ! »

R. De Schepper.

Piscetta A. et **Gennaro A.** (S. S.). *Elementa theologiæ moralis ad codicem juris canonici exacta.* Vol I. *De theologiæ moralis fundamentis.* Turin, Societa editrice internazionale, 1922. — In 8, cvii-403 p. — Pr. 15 lib. ital.

Hoc volumen est tomus primus seriei septem voluminum, in quibus auctores intendunt compendiose referre totam materiam theologiæ moralis, prout illam exponunt alumnis seminarii internationalis salesiani.

Duo in limine totius operis exhibentur : 1/ — quod nobis sat mirum videtur — enumerantur omnes errores in Ecclesia damnati, qui ad theologiam moralem habent relationem ; 2/ proponitur catalogus scriptorum et operum de theologia morali tractantium ; hic catalogus nec completus, nec omnino accuratus dici potest. Hæc vero per cvii p. exponuntur !

Liber primus, de quo hic agimus, data parva introductione circa notionem, fontes ac methodum theologiæ moralis, dividitur in 4 tractatus, successive agentes de actibus humanis, de conscientia, de legibus, de peccatis. Non inutile fuisset sane addere tractatulum de fine hominis, utpote qui et ipse ut fundamentum theologiæ moralis haberi debet.

Auctores non intendunt, ut ipsi fatentur, nova proponere, nec controversias inter DD. agitatas dirimere, nec principia proposita casibus conscientiæ illustrare.

Manuale illud certo multis auxilio erit, quia semper juvat ut alumni seminarii, quantum fieri possit, præ manibus habeant textum logice impressum illius materiæ de qua professores in schola prælegunt. Et sub hoc respectu typographico est manuale accuratissime confectum : divisiones nitide apparent, et res pro respectivo suo momento variis ac variis caracteribus lucide exhibentur. Quod ipsam autem materiam expositam spectat, quædam optima habentur, præsertim in re positiva ac canonica uti v. g. caput de dispensatione.

At, in hujusmodi manuali necessarium est præprimis nitidas ac rectas definitiones rerum tradere, propositiones arcte probare, systemata aliorum complete exponere. Et sub hoc triplici respectu non inutile erit quædam intimius perscrutari ac novo examini subjicere antequam ad secundam editionem deveniatur (1).

J. Brys.

Gebedenboek voor de geloovigen van het bisdom Brugge. Uitgegeven onder toezicht en met de goedkeuring van Z. D. H. Mgr G.-J. Waffelaert, Bisschop van Brugge. — Geloofsverdediging, 1927.

Het eerste plan om een algemeen gebedenboek uit te geven voor al de vlaamschsprekende gewesten van ons land is jammer genoeg moeten opgegeven worden, uit reden van de verscheidenheid die elders in onze gewone gebedsformulen werd ingevoerd. Daarom werd beslist dit *Gebedenboek* uit te geven voor ons bisdom alleen. Benevens een beste keus van gebeden voor al de noodwendigheden van 't kristelijk leven, bevat dit boekje zeer schoone onderrichtingen die 't geloof en de godsvrucht in de zielen zullen voeden. De ijverige priesters zullen terecht een geschikt middel van apostolaat zien in het overvloedig verspreiden van dit prachtig *Gebedenboek* onder de geloovigen (2).

A. Legrand.

---

(1) Ita quoad definitiones : vide notiones voluntarii in causa (p. 23) ; opinionis improbabilis ac tenuiter probabilis (n. 134-142) ; probabilitatis facti (n. 136) ; theologiæ moralis relate ad notiones scientiarum connexarum (p. 3). — quoad probationes : cfr v. g. modum probandi vim obligatoriam conscientiæ (p. 86) et probabilismum (n. 149). — Quoad expositionem systematum : vide v. g. systema æquiprobabilismi (n. 141).

(2) Gewone uitgaaf in linnenland, roode snêe, per eenheid, 4 fr ; per 25, 3,75 fr. ; per 100, 3,50 fr. — 1 fr meer voor gulden snêe. — Prachtuitgave in lederen band (te verkrijgen ook bij boekhandelaars) 13 fr. — Vrij van vervoer- en inningskosten. — Bestellingen bij *Geloofsonderricht, Z.* E. H. Vander Heeren, Pastoor-Deken, Baliestraat, Brugge. Postcheckrekening n. 4952.

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis aprilis propositas.

I.

Pericopa græcorum.

Q. *Paucis explica dicta et facta, quæ referuntur in, sic dicta, pericopa græcorum* (Jo., XII, 20-36).

R. - « Pericopa græcorum » dicitur narratio in cap. XII evangelii Joannis occurrens, quæ refert vv. 20-22 græcos quosdam seu gentiles petiisse colloquium cum Jesu. Disputatur autem quousque narratio de gentilibus extendatur : quidam orationem Jesu immediate sequentem, vv. 23-27, explicant ut responsum græcis datum, dum alii omnem nexum inter petitionem et orationem abjudicant. Utraque sententia excessiva videtur et media via incedendum esse attenta lectio suadet ; ut in commentario luculentius apparebit, Jesus non solos gentiles est allocutus nec ejus oratio est directum responsum eorum petitioni datum ; revera est oratio de glorificatione salvifica Christi, sed talis quæ occasionem sumit e petitione gentilium eique implicite responsum præbet. Merito itaque hanc orationem pericopæ græcorum partem esse ducimus, eique obvie connectimus vv. 28-36 qui ulteriores effectus orationis memorant.

I. — **Petitio græcorum** (v. 20-22).

Adumbrato ingressu triumphali Jesu in Jerusalem et notatis sensibus discipulorum, turbæ et Pharisæorum, statim refert Joannes petitionem græcorum quin indicet mutata adjuncta. Ita in tramite evangelii accessus gentilium collocatur immediate post triumphum ; hoc suadet ipsum factum cum hæc curiosa simul et benevola petitio optime explicetur e visa populari glorificatione ; hoc etiam innuit oratio Jesu de vera glorificatione sua in oppositione quasi ad transitorium triumphum quem fluctuans populus celebravit. Utrum autem facta hæc locum habuerint in civitate an vero in templo, quo Jesum plebs deduxerat (1), hoc statui nequit.

Dum Jesus occupatur circa adstantem turbam (2), accedunt *quidam gentiles ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo*, v. 20. Dicuntur Ἕλληνές, non Ἑλληνισταί seu judæi Diasporæ græce loquentes (3) : orti sunt ex non judæis seu ex gentibus et hoc sensu nomine generico græci dicuntur (4); attamen pagani vocandi non sunt cum veniant ad Deum adorandum in templo occasione Paschatis. Ita apparet illos esse « timentes Deum » seu tales gentiles qui, favore proselytismi judæorum verum Deum agnoscentes, monotheïsmum cum præceptis moralibus judaïsmi servabant quin omnibus legibus ritualibus, in specie circumcisioni, se adstrinxerint (5).

---

(1) *Mc.*, xi, 11.

(2) xii, 29 ss. ; turba de qua ibi non solis his gentilibus constiterit.

(3) Cfr *Act.*, vi, 1 ; ix, 29.

(4) Cfr *Jo.*, vii, 35 sed præsertim *Act.*, et s. Paulum, qui his opponunt judæos; semel s. Paulus, *Rom* , i, 14, distinguit more scriptorum profanorum græcos a barbaris.

(5) Cfr. A. Camerlynck - A. Vander Heeren, *Commentarius in Act. Ap.*, ed. 7a, Brugis, 1923, p. 78. Nec mirum est tales gentiles cupiisse colloqui cum Jesu; ipsi, circumcisi non in carne sed in corde (*Rom.*, ii. 29) melius generatim erant dispositi quam judæi, ut ex narrationibus *Actuum* apparet. Gentiles, de quibus hic, probabilius jam audierant Jesum prædicare regnum universale et ita præparare ablationem medii parietis maceriæ (*Eph.*, ii, 14).

Cupiunt Jesum videre, i. e. colloquium privatum habere cum Domino, sed cum non possint præ turba vel non audeant præ pudore ad ipsum accedere, alloquuntur Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ (1). Philippus, anceps forsan quid agat cum Jesus se dixerit missum ad solam domum Israël (2), consilium init cum Andrea, e Bethsaida etiam oriundo (3) ; simul dein rem communicant cum Jesu.

II. — **Oratio Jesu** (v. 23-27).

V. 23, *Jesus autem respondit eis : venit hora ut clarificetur Filius hominis.* Juxta structuram grammaticalem sententiæ, Jesus respondit Philippo et Andreæ ; cum tamen, ut e vv. 29 et 34 apparet, Jesus turbam alloquatur et generalem quamdam doctrinam evolvat, intelligendum est Dominum, respondentem duobus apostolis et mediate gentilibus, turbæ dixisse sequentem orationem.

Antea Jesus dixerat tempus suum nondum advenisse (4) et evangelista bis notaverat judæos Jesum non apprehendisse, quia necdum venerat hora ejus (5) ; nunc autem instat hora quam Jesus dicit horam clarificationis suæ ; hoc nomine, ut e contexta oratione apparet, per modum unius vocat passionem suam et glorificationem, hic ut salvificas consideratas (6).

Hæc verba respectum habent ad petitionem græcorum

---

(1) *Jo.*, XII, 21 coll. I, 44.

(2) *Mt.*, XV, 24.

(3) *Jo.*, I, 44. Censent quidam hos gentiles novisse Philippum et addita mentione patriæ dicunt Joannem innuere et ipsos fuisse ex regione Bethsaidæ; probabilius videtur ipsos casu obviam habuisse Philippum, et per mentionem patriæ forsan indicat evangelista Philippum apprime novisse linguam græcam cum esset ex illa regione ubi gentiles cum judæis commiscebantur ; nomen græcum ceteroquin Philippus fert sicut præcise etiam Andreas. Consilium inierit cum Andrea quia casu adstabat ; ceteræ hypotheses inventæ ad electionem Andreæ explicandam gratuitæ sunt.

Nota hæc minuta adjuncta quomodo testem ocularem indicent.

(4) *Jo.*, VII, 6.

(5) *Jo.*, VII, 30 ; VIII, 20.

(6) Cfr *Jo.*, XVII, 1-2.

cui indirecte respondent in hunc modum : tempus jam non est ut colloquar vobiscum (1) ; activitas mea erga mundum novam exhinc formam induet, cujus hora appropinquavit ; et dicet Jesus v. 32 hujus activitatis gentiles fore participes.

Œconomiam novæ activitatis, quam simul suam clarificationem dicit, aperit Jesus in parabola v. 24 : *amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram*, corruptum et *mortuum fuerit, ipsum solum* absque fructu *manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert ;* applicatio est perspicua : sic ego eo in mortem ut resuscitem ad gloriam, communicans prædestinatis vitam æternam (2).

Cogitat Jesus de his quos salvabit morte sua et de conditionibus eorum salutis, v. 25 : *qui* in terra *amat animam suam* seu seipsum, bonum temporale spirituali anteponendo, *perdet eam* in tempore mortem secuturo ; *et* e contrario *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (3) ; v. 26, proin *si quis mihi ministrat, me sequatur* oportet in totali abnegatione mea, et ipsa immolatio erit glorificatio, nam particeps fiet gloriæ meæ, *etenim ubi sum ego* post mortem meam futurus, *illic et minister meus erit* (4) et *si quis mihi ministraverit*, sicut me, ita *honorificabit eum Pater meus.*

Hæc de immolatione sua instanti proclamatio non poterat quin naturalem sensum horroris et tristitiæ gigneret in Christo, qui ultro fatetur, v. 27 : *nunc anima mea turbata est* (5). Sicut postea in agonia positus intime persentiet,

---

(1) « Ce n'est pas le temps des interviews », M.-J. Lagrange, *Évangile selon s. Jean*, Paris, 1925, p. 330.

(2) Cfr *Jo*, xvii, 19 : « pro eis sanctifico meipsum », id est, in eorum utilitatem me offero in victimam.

(3) Eadem sententia in alio contextu occurrit apud synopticos ; cfr *Mt.*, xvi, 21-25 et loca parallela.

(4) Cfr *Jo.*, xiv, 3 ; xvii, 24.

(5) Dicit Jesus se turbatum esse *in anima*, proin in superiori appetitu, in voluntate ; de explicatione theologica horum motuum in Christo, qui tamen ejus rationem non turbabant, cfr *Collat. Brugen.*, V (1900), p. 408 ss. et infra, p. 247 s. et p....

ita nunc percipit in se vocem naturæ humanæ et simul vocem Patris quam dictat ratio ; hæret quodammodo cogitans quam sequatur : *et quid dicam* ? Omnipotentia divina potest Dominus tollere naturalem tristitiam sed eam sentire vult ; cito exortam eam subordinat rationi et voluntati deliberatæ : *Pater*, si secundum hominem loquar, *salvifica me*, quæso, *ex hac hora*, transeat a me calix iste ; *sed* scio quod deliberate, *propterea* ut mortem paterer, *veni in horam hanc* ; et ideo non mea voluntas sed tua fiat ; sicut tu statuisti, *Pater, clarifica nomen tuum* modo quo tu vis (1).

III. — **Vox de cælo** (v. 28-29).

Sicut in horto Pater consolabitur Jesum mittendo angelum (2), ita nunc miraculoso interventu ejus precibus respondet, v. 28 : *venit ergo vox* Patris *de cælo* : *et clarificavi* nomen meum hucusque in te per miracula, per effata et exempla tua, *et* nunc *iterum* sed jam sublimiori modo per passionem et glorificationem tuam earumque uberrimam fecundidatem nomen meum *clarificabo*.

Vox Dei ad solum Jesum non dirigitur, nam etiam turba eam audit ; plerique tamen, *turba* v. 29, nihil distinctum audivisse videntur et dicebant tonitruum esse factum ; alii autem articulatam vocem audierant et forsan verba intellexerant ; dicebant hi angelum ei esse locutum.

IV. — **Oratio Jesu** (v. 30-36).

Vox de cælo, etiamsi mere tonitruum fuisset, manifes-

---

(1) Quidam editores textus et exegetæ, inter quos jam s. Joannes Chrysostomus, post « Pater, salvifica me ex hac hora » alterum supplent interrogationis punctum ; dicunt Jesum enuntiare « quid dicam ? » quia ponitur coram duplici alternativa, prima « Pater, salvifica me » et altera « clarifica nomen tuum » ; primæ mentionem facit sub forma interrogationis deliberativæ, sed eam implicite rejicit cum secundam præferat. Hæc explicatio possibilis est, non est tamen necessaria ; nihil obstat quominus Jesus positive enuntiet tristitiam partis sensitivæ animæ et voluntatis naturalis cum idem faciat absque dubio in agonia in horto.

(2) *Lc.*, XXII, 43.

tum erat signum divinum Jesu verba ejusque missionem totam confirmans. Jesus indicat vim apologeticam interventus divini, v. 30 : *non propter me hæc vox venit, sed propter vos* ut credatis in me ; et nunc coram adstantibus judæis et gentilibus, testimonio divino perculsis, totam œconomiam redemptionis revelat ; explicat quomodo hora suæ passionis hora sit suæ clarificationis et salutis mundi, v. 31-32 : *nunc*, accedente hora mea, *judicium est mundi*, mundus peccatis addictus damnabitur (1), *nunc* mundi fidelis possessor ex prævaricatione Adæ, Satanas, *princeps hujus mundi ejicietur foras ;* mundus deinceps ab ejus tyrannide liberabitur ut mihi subjiciatur, *et*enim *ego, si exaltatus fuero a terra* in cruce ut olim serpens in deserto (2), *omnes* (vulg. omnia) judæos et græcos, nisi vocationi meæ resistant, *traham ad meipsum*. Intelligere poterant gentiles nunc quid Jesus promitteret suis fidelibus et, ex antea dictis, quid ab eis exigeret.

Dubitare licet num populus exaltationem de morte intellexerit, sed certe intellexerant Jesum suum discessum e mundo nuntiare, et ancipites hærent, v. 34 : *nos audivimus ex lege*, ex s. Scriptura, *quia Christus* seu Messias *manet in æternum* apud suos in terra ut rex regni messianici, *et quomodo tu dicis, oportet exaltari* et e mundo tolli *Filius hominis*, qui cum Messia est identificandus ? *Quis est iste Filius hominis* de quo tu agis et quem te esse dicis ? estne forsan distinguendus a Messia ; negasne te esse Messiam ?

Jesus directe non respondet illis præjudiciis nationalismi judaici, sed urget invitationem ad credendum, v. 35-36 : *adhuc modicum* tempus *lumen* mundi, quod ego sum (3), *in vobis est. Ambulate* per fidem in luce personæ et doctrinæ meæ *dum lucem* adhuc *habetis, ut non vos tenebræ* peccati et satanæ *comprehendant; et*enim sicut *qui*

(1) Cfr *Jo.*, VIII, 44.

(2) *Jo.*, III, 14. Per exaltationem non resurrectionem sed mortem intelligi notat evangelista v. 33.

(3) Cfr *Jo.*, I, 4, 9 ; III, 19 ; VIII, 12 ; IX, 5.

ambulat in tenebris nescit quo vadat, ita et vos ad perniciem properatis si me rejicitis ; *dum lucem habetis* inter vos, *credite in lucem*, quæ ego sum, *ut* illuminati a luce et *filii lucis sitis.* M. De Jonghe.

II.

De duplici voluntate Christi.

Q. *Proba duas esse naturales voluntates in Christo.*

R. — 1/ Demonstrari potest duas esse naturales voluntates in Christo, *indirecte* primo, per deductionem ex iis quæ fide catholica profitemur, cum Verbum incarnatum dicimus verum ac perfectum Deum simul ac verum et perfectum hominem (1).

« Ad perfectionem [enim] humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia.... Unde necesse est dicere quod Filius Dei humanam voluntatem assumpserit cum humana natura. Per assumptionem autem humanæ naturæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his quæ pertinent ad divinam naturam, cui competit voluntatem habere.... Unde necesse est dicere quod in Christo sint duæ voluntates, una scilicet divina et alia humana » (2).

---

(1) Vide supra, p. 6 s., ubi reperies præcipua testimonia conciliorum necnon textum symboli, quod s. Athanasii dicitur.

(2 *Sum. theol.*, III, q. 18, a. 1. c. — In q. 19, a. 1, c. magis generali ratione probatur in Christo duplicem pariter dari operationem et duplex operandi principium; etenim « si esset una tantum operatio divinitatis et humanitatis in Christo, oporteret dicere, vel quod humana natura non haberet propriam formam et virtutem (de divina enim hoc dici est impossibile), ex quo sequeretur quod in Christo esset tantum divina operatio; vel oporteret dicere quod ex divina virtute et humana esset conflata in Christo una virtus. Quorum utrumque est impossibile. Nam per primum horum ponitur natura humana in Christo esse imperfecta; per secundum vero ponitur confusio naturarum »; cfr etiam *Summa contra Gentiles*, IV, 36 et adverte insuper ex prima sententia quasi necessario rursum exsurgere errorem docetismi, quoniam si natura humana nihil agit, frustra videtur assumpta ; ex secunda sententia vero necessario resurgit error monophysismi, siquidem idem fere est dicere naturam divinam et humanam esse unum principium operationis ac dicere easdem in unam naturam coaluisse.

2/ Atvero, *directe* probatur eadem veritas ex fontibus revelationis, Scriptura sacra et traditione orali, in quibus haud ambigue continetur.

a. Inter *testimonia scripturistica*, hæc pauca seligimus.

Christus in horto orat Patrem suum : « Pater si vis, transfer calicem istum a me ; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat » (1) : itaque manifeste indicat voluntatem suam humanam distinctam esse a voluntate divina, quæ est una Patris et Filii (2).

Iterum, « factus obediens usque ad mortem » (3), dicit se mandatum exsequi Patris : « Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio » (4); actus insuper exercet adorationis, caritatis, humilitatis necnon reverentiæ erga Patrem (5), qui actus rursus ad humanam ipsius naturam atque voluntatem referri debent.

b Quod spectat *testimonia traditionis oralis*, omissis permultis textibus, in quibus potius dicitur generatim de duplici Christi operatione, adeoque implicite de duplici voluntate, altera divina, altera humana, pauca recitamus, quæ dilucide veritatem nunc adstruendam patefaciunt.

« Cum », ita s. Athanasius, « [Christus] ait : Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat,... duas voluntates ibi ostendit : alteram humanam quæ est carnis, alteram divinam quæ Dei est » (6) « Neque enim », ita s. Joannes chrysostomus, « agoniam solum hæc verba significant, sed etiam duas voluntates, unam Filii et alteram Patris » ; et illa quidem Filii secundum carnem, nam « si in divinitate hoc dictum est, exoritur quædam contradictio, et multa absurda inde nascuntur ; sin autem in carne, rationi con-

(1) *Lc.*, XXII, 42 coll. *Mt.*, XXVI, 39 et *Mc.*, XIV, 36.
(2) Cfr etiam *Jo.*, V, 30 ; VI, 38.
(3) *Philipp.*, II, 8.
(4) *Jo.*, XIV, 31 coll. X, 18; XII, 49; XV, 10.
(5) Cfr *Jo.*, IV, 22 ; *Mc*, X, 45 ; *Mt.*, XI, 29 ; *Hebr.*, V, 7.
(6) S. ATHANASIUS, *De incarnatione Verbi*, 21 (MPG, XXVI, 1021).

sentanea sunt, neque reprehendi quidquam poterit » (1).

Sic etiam nitide s. Ambrosius, qui eumdem textum sacrum referens addit : « Suam [voluntatem] ad hominem retulit, Patris ad divinitatem » (2); iterum s. Joannes damascenus : « Eumdem Dominum nostrum Jesum Christum perfectum Deum et perfectum hominem prædicantes, dicimus eumdem.... habere, uti duabus naturis consentaneum est, duplices naturarum duarum naturales voluntates, divinam et humanam ; duas naturales operationes, divinam et humanam ; duas naturales arbitrii libertates, divinam et humanam; ac denique sapientiam et scientiam, divinam et humanam » (3).

Hæc veritas igitur, utpote *revelata*, credi debet *fide divina;* verum, cum sæculo septimo, ex male consulto conamine quosdam monophysitas ad unitatem Ecclesiæ reducendi, duce Sergio episcopo constantinopolitano, quidam unam tantum voluntatem et unam operationem in Christo propugnare cœpissent, magisterium ecclesiasticum, in concilio œcumenico sexto, constantinopolitano tertio, a. 681, utrumque errorem monotheletarum et monergetarum aperte damnavit (4).

Fides catholica nunc itaque hæc est: « Duas naturales voluntates in eo [Christo], et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter. inconfuse se-

---

(1) S. Joannes chrysostomus, *De consubst. contra Anomœos hom.* xii, 6 (MPG, XLVIII, 765).

(2) S. Ambrosius, *Expos. evang. s. Luc.*, x, 60 (MPL, XV, 1819)

(3) S. Joannes damascenus, *De fide orthodoxa*, iii, 18 (MPG, XCIV, 1033) ; ita rursus infra n. 19 et in opere *De sancta Trinitate*, 1 (MPG, XCIV, 1080 et XCV, 9). — Ita etiam s. Agatho, R. P., *Epist.* « Consideranti », ad imperatores, quæ fuit a concilio œcum. VI, constantinopolitano tertio, probata tanquam regula fidei, et cujus textum exhibet Cavallera, *Thesaurus doctrinæ catholicæ*, n. 738, Parisiis, 1920.

(4) Cfr Tixeront, *Histoire des dogmes*, III, p. 160 s., Paris, 1912. — Hac occasione sæpius agitatur quæstio de damnatione Honorii, R. P., a concilio œcumenico sexto, atque ex hac parte objicitur contra infallibilitatem romani pontificis, ast immerito, uti ex professo in tractatu de Ecclesia demonstratur.

cundum sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus » (1). Unde, quamquam *unum principium quod* omnis volitionis et operationis in Christo confitemur, secundam personam nimirum ss. Trinitatis, ipsum Verbum incarnatum, nihilominus *duplex principium quo remotum*, naturam divinam et humanam, simul ac *duplex principium quo proximum*, voluntatem videlicet tum divinam tum humanam, secundum rectam fidem, admittamus necesse est (2). H. LAMIROY.

III.

De peccato mortali dubie commisso.

Q. *An peccatum mortale, dubie commissum, clavibus subjiciendum est? Proba responsum.*

R. *Negative, si probabiliter non est commissum et quatenus hæc probabilitas manet.*

1/ Dicimus : *negative.*

Docet concilium tridentinum, sess. XIV, cap. 5 *De confessione* : « constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit » (3). Advertit s. Alphonsus : « dubitare autem non est quidem meminisse, imo potius est non meminisse » (4).

---

(1) *Conc. constantinop. III*, œcum. VI, apud *Enchir.*, n. 291 s. aut *Thesaur.*, n. 743. — Adverte etiam doctrinam Ecclesiæ de communione utriusque naturæ ad operandum ; pauca delibantes de operatione theandrica, præcipua documenta indicavimus supra, p. 168, n. 2 et p. 169, n. 6.

(2) Juxta tritum axioma : actiones sunt suppositorum, operationes ultimo tribuuntur habenti naturam, qui per eam agit, sed operationes nihilominus diversificantur pro diversitate naturæ, cujus ope eliciuntur ; cfr VAN NOORT-VERHAAR, *Tract. de Deo Redemptore*, n. 70, p. 45, Hilversum, 1925⁴.

(3) *Enchiridion symbolorum*, n. 900.

(4) *Theologia moralis*, VI, n. 474.

Idem deducitur ex can. 901, quo refertur jus divinum hisce verbis : « Qui post baptismum mortalia perpetravit, quæ nondum per claves Ecclesiæ directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem *conscientiam* habeat, confiteri ... ». Conscientia autem excludit omne dubium probabile.

Ulterioris *explicationis* gratia, hæc addimus : Christus res ita ordinavit, ne confessio fieret nimis onerosa. Ratio ista a concilio tridentino haud obscure indicatur, dum scribit : « impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare » (1).

Eadem est ratio cur accusari non debeant peccata gravia in casu impotentiæ moralis, quatenus hæc impotentia perdurat, necnon peccata de quibus dubitatur, dubio positivo et probabili, an absolutione directa (2) jam remissa sint, aut an subjective gravia fuerint.

At, quæri posset quomodo hæc solutio componenda sit cum doctrina de necessitate medii (3) sacramenti pœnitentiæ, quæ necessitas ita intelligenda est ut ipsa absolutio sacramentalis *directa* sit medium necessarium remissionis peccati mortalis omnis, reapse commissi, adeoque et justificationis ?

Advertendum itaque est necessitatem hujus medii supplebilem esse voto, idest voluntate sincera absolutionis sacramentalis directæ, non ita tamen ut solum votum sufficiat, sed ut simul opus sit efficacia sacramenti (4) vel contritione perfecta, quæ a dicto voto

---

(1) *Enchiridion symbolorum*, n. 900.

(2) Quoad notionem absolutionis *directæ*, cfr *Collat. Brugen.*, XXVI (1926), p. 39.

(3) Quoad notionem *medii necessarii* ad justificationem, cfr *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 139.

(4) Sacramenti scil. pœnitentiæ, in quo non exponitur peccatum dubie commissum. Sufficit quoque probabiliter efficacia sacramentorum vivorum. Attamen, quia tenemur gravi præcepto sacramenta vivorum recipere in statu gratiæ, practice recurrendum est vel ad confessionem vel ad contritionem perfectam.

accipit id quo supplere valeat sacramentalem absolutionem directam.

Jamautem, ut componatur solutio data cum hac doctrina de necessitate medii, sufficit admittere votum non postulari undequaque absolutum ; scilicet, quoties de peccato mortali prudenter dubitatur an reapse commissum sit, satis esse sub respectu voti ut peccator paratus sit confiteri hoc peccatum si unquam ad certitudinem perveniatur illud reapse commissum esse, talemque voluntatem sufficere quia judicio Ecclesiæ Christus noluit sacramentum pœnitentiæ nimis onerosum reddere.

Similiter dicimus : quando probabile est peccatum aliquod non fuisse mortale, vel jam clavibus directe remissum esse, satis est ut peccator paratus sit confiteri hoc peccatum si unquam certitudo habeatur late dicta peccatum fuisse mortale, vel clavibus nondum remissum esse. Pariter, quando aliquis versatur in morali vel physica impotentia confitendi aliquod peccatum grave, satis est ut velit illud clavibus subjicere si prædicta impotentia unquam cessare contingat. Imo, sufficit votum *implicitum*, quale continetur in dispositione animi peccatoris vere pœnitentis qui voluntate sincera et prædominante vult adhibere omnia media ad salutem necessaria. Hoc modo explicatur quomodo peccatum mortale, bona fide omissum vel reticitum in confessione, non obstet justificationi.

2/ Addimus *duplicem restrictionem :*

a) Si probabiliter non est commissum [hoc peccatum].

Nam, si adesset ratio probabilis putandi peccatum esse commissum, et nulla ratio prudens in contrarium adduci posset, constaret, certitudine morali late dicta, quæ in moralibus sufficere debet, peccatum reapse commissum esse.

b) Quatenus hæc probabilitas manet.

Quia de necessitate medii necessarium est ut saltem

paratus sit peccator ad confitendum grave peccatum si unquam certitudo gignatur illud reapse commissum esse, planum est existere obligationem, ad normam voti, subjiciendi peccatum clavibus, semel ac ad prædictam certitudinem pervenitur.

Nota. a/ Supponimus, præmissa debita inquisitione, adeoque examine conscientiæ serio instituto, dubium mansisse insolutum.

b/ Suadenda est confessio peccati mortalis dubie commissi, ob animæ tranquillitatem. Exceptio datur pro scrupulosis.

c/ In periculo mortis, qui dubitat an inde ab ultima confessione commiserit peccatum mortale, debet vel contritionem elicere perfectam vel saltem suscipere sacramentum pœnitentiæ ut salus ejus in tuto ponatur. Non tamen existit obligatio ut peccatum dubie commissum clavibus tunc subjiciat.

d/ Qui suscepturus est sacramentum Eucharistiæ, et inde ab ultima confessione bona probabiliter nullum commisit peccatum mortale, non *debet* intuitu s. communionis sacramentum pœnitentiæ recipere, quod patet ex can. 856 ; sed, si ex alia parte etiam probabile est ipsum commisisse aliquod grave peccatum, oportet ut *vel* contritionem eliciat perfectam *vel* confessionem instituat ne exponat s. communionem probabili periculo infructuositatis. In confessione autem illa non debet accusare peccatum dubie commissum, quod ex prædictis colligitur.

IV.

De proposito firmo non peccandi de cetero.

Q. *An et cur absolvi potest peccator qui dicit se omnino dolere de peccatis suis firmiterque proponere ab eis abstinere, at, experientia novisse se iterum lapsurum esse in eisdem peccatis ?*

R. — *Prænota.* 1/ Peccator, dum statuit se nunquam peccaturum esse, non valet tantum influxum in seipsum

exercere ut jam nequeat postea seipsum ad peccandum determinare. Igitur, cum voluntas manet libera, firmitas propositi non aliud postulat quam ut peccator rejiciat peccatum et hanc voluntatis suæ determinationem perseverare velit, non velleitate quadam, sed voluntate determinata ad præstandum, diligentia saltem ordinaria, quidquid in hunc finem requiritur.

2/ Videtur itaque propositum non fore firmum, si executio ejus peccatori prorsus impossibilis appareat. Quodsi scintilla spei datur, pœnitens firmum propositum elicere valet, seque determinare ad conatus necessarios faciendos, idque eo facilius quo melius perspectum habeat agi de fine necessario obtinendo, æterna scil. salute, aut de malo maxime vitando, peccato scil. et æterna damnatione, semperque præsto esse media sufficientia, tum naturalia tum præcipue supernaturalia, quum facienti quod in se est Deus non deneget gratiam, neminemque perire nisi propria voluntate et plena imputabilitate graviter delinquat. Quare, si magna probabilitas relapsus nata est animum dejicere, aliæ nunquam desunt considerationes quæ valent nihilominus erigere peccatorem et animum ipsi addere ad plene repudiandum peccatum, proposito firmo, non velleitate quadam, tametsi spes successus levissima sit, humano loquendi modo.

Prævisio itaque relapsus, perpensis supra dictis, non excludit nec irrationabile reddit firmum propositum *voluntatis*. Cœteroquin, nonne serio proponimus circa venialia peccata, prævidentes morali certitudine nos relapsuros esse? Nonne confessarii omnes solent absolvere hujusmodi pœnitentes, quamvis prævideant eos procul dubio iterum eadem peccata commissuros esse ?

3/ Porro, quando peccator, propter experientiam præteritæ vitæ, affirmat se relapsurum esse, his verbis nequaquam excludit possibilitatem perseverandi in bono, reapse non negat se aliquam spem nutrire non recidendi, etsi aliquando videatur hoc negare ; sed, cum tam sæpe

peccaverit non obstante proposito repetito, cum tantum influxum in seipsum exercere nequeat ut præsens bona ejus dispositio postea immutata permanere *debeat*, prodit prudentem timorem, exprimit quod natum est animum deprimere, at simul, cum dicat se nihilominus firmum efficere propositum, ostendit se aliis considerationibus erigi et roborari.

Hisce præmissis respondemus :

a/ Si peccator est recidivus, talis scil. qui ad confessionem redit semper in eadem peccata relapsus et nullo conamine serio emendationis hucusque præstito : sicut proposita ejus præterita præsumuntur haud firma fuisse, ita timendum est ne in præsenti statutum voluntatis sit pariter defectuosum (1). Adeoque oportet ut post fervidam exhortationem conversio signis aut factis firma appareat. Secus, simplex affirmatio boni propositi sufficere non potest et absolutio differenda est, nisi gravis ratio aut urgens necessitas sinat ut sacramentum cum dubio valore et fructu conferatur.

Quodsi agatur de recidivo in materia levi, confessarius disponat pœnitentem ut magis determinate doleat de aliquo peccato veniali quod præ ceteris natum est causare confusionem et tristitiam, vel ut denuo confiteatur aliquam culpam lethalem anteactæ vitæ. Hoc modo valor et fructus sacramenti in tuto ponuntur.

b/ Si peccator conamina adhibuit sed peccare consuevit, victus influxu habitus mali vel circumstantiæ externæ quæ fuit occasio proxima peccati, eo facilius fidere poterit confessarius firmitati propositi quo majora peccator olim adhibuerit conamina, quo pluribus nunc considerationibus animus ejus erectus videatur, quo magis

(1) Juvabit tamen interrogare pœnitentem quomodo statim post ultimam confessionem se gesserit. Nimirum, si per aliquot dies sibi invigilavit et in bono proposito perseveravit, posteriores lapsus humanæ potius infirmitati quam defectui propositi adscribi possunt, et vera pœnitentia in præsenti facilius præsumitur.

paratus appareat ut occasiones peccandi removeat (1). Regulariter, post fervidam exhortationem, absolvi potest et debet.

V. Coucke.

V.

Veroordeeling van het nestorianisme.

V. *In welke omstandigheden werden Nestorius en zijne leer veroordeeld?*

A Nog geen twee jaar na zijn ongelukkig optreden te Constantinopel werd Nestorius door het opperste gezag in de Kerk veroordeeld, eerst door den paus zelf (aug. 430), dan in het algemeen concilie van Ephese (juni 431). Deze veroordeeling verdient al onze aandacht, want ze bracht allerlei verwikkelingen mede, die van belang zijn voor de geschiedenis der kerkelijke leer en niet altijd door de geschiedschrijvers met de gewenschte juistheid worden voorgesteld.

Te Rome was men al vroeg bekommerd geweest met de verwarring in het Oosten gesticht. Nestorius, toen hij het geweldig verzet ondervond waarvan wij hooger gewaagden (2), had zelf naar den paus geschreven en zich er over beklaagd dat er in zijn bisschoppelijke stad arianen en apollinaristen waren, die misbruik maakten van het woord θεοτόκος, « alsof Maria de godheid zelf zou gebaard hebben ». De uitdrukking θεοτόκος, zoo schreef hij nog, was niet heel juist, men mocht ze alleen gebruiken in dezen zin: dat Maria het leven schonk aan den

(1) Hoc ultimum punctum respicit occasionarios, qui tenentur occasionem liberam deserere, necessariam vero reddere remotam.

(2) Zie hooger bl. 175. De daar aangehaalde werken werden hier ook benuttigd, vooral Batiffol, *Le siège apostolique*, (die terecht nadruk legt op de voorname rol door den H. Stoel gespeeld in de veroordeeling van Nestorius), alsook Jugie, *Ephèse (le concile d')* in *Dict. de Théol Cath.*

menschelijken tempel, met denwelken het Woord Gods zich onafscheidbaar vereenigde.

Deze opvatting ontstemde paus Celestinus (1); doch de slechte indruk, welke Nestorius brieven hadden verwekt, werd nog versterkt door het uitvoerig verslag welke Cyrillus van Alexandrië naar Rome zond met Paschen 430; aanstonds deed de paus de zaak onderzoeken en riep tegen juli een concilie bijeen te Rome. De besluiten van deze synode kennen we door de brieven welke paus Celestinus zond naar Nestorius, naar den clerus en het volk van Constantinopel, naar Cyrillus van Alexandrië, en naar Joannes van Constantinopel en andere vooraanstaande bisschoppen, en die alle gedagteekend zijn van 11 augustus.

Aan Nestorius schrijft de paus dat zijn geschriften godslasterend zijn (apertam blasphemiam continentes): Nestorius is in strijd met het geloof van alle christenen, (volens de Deo Verbo aliter quam fides habeat omnium disputare). De paus bedreigt den patriark met excommunicatie en afzetting zoo hij zijn dwaalleer, binnen de tien dagen, niet herroept, en gelast den patriark van Alexandrië met de uitvoering van zijn bevel (2).

De h. Cyrillus draalde echter wat lang met de hem toegekende uitvoering; daar de paus zelf geen geloofsformule had voorgesteld, welke Nestorius ter onderteekening kon voorgelegd worden, vond hij het geraadzaam eerst zijne bisschoppen in synode te vergaderen. In deze vergadering, slechts in november gehouden, verklaarde de h. Cyrillus opnieuw de leer der menschwording en stelde een uitvoerige *epistola synodalis* op met de twaalf

(1) Tixeront, *o. c.*, p. 88. Het was waarschijnlijk te dier gelegenheid dat Cassianus zijn *De Incarnatione Christi* schreef tegen de nieuwe dwaalleer, op aanvraag van den diaken der romeinsche kerk, Leo, de latere paus. Hieruit blijkt ook de valschheid der bewering: dat Rome Nestorius veroordeelde alleen volgens de inlichtingen door Cyrillus verschaft.

(2) Héfélé-Leclercq, *o. c.*, p. 260, vooral Batiffol, *o. c.*, p. 347 ss.

beruchte *anathematismi*, welke hij aan Nestorius ter onderteekening deed aanbieden (1). De vier egyptische bisschoppen met deze taak belast kwamen echter slechts op 7 december te Constantinopel aan en moesten onverrichter zaak terugkeeren, want op 19 november, had keizer Theodosius, door Nestorius bewrocht, een edikt uitgegeven waardoor al de bisschoppen van zijn rijk tegen Pinksteren 431 naar Ephese werden ontboden, om in een algemeen concilie de verwarring op te helderen « uit twijfel ontstaan » ; uitdrukkelijk werd daarbij verboden intusschen afzonderlijke maatregelen tegen wie ook te treffen (2). Daarmede bleef de tot nog toe onuitgevoerde veroordeeling van Rome zonder gevolg en scheen veeleer de kans naar Nestorius gekeerd, en weldra tegen Cyrillus.

Een hevige strijd immers begon thans tegen de *anathematismi*. Nestorius weigerde niet alleen ze te onderteekenen, hij beantwoordde ze met even zooveel tegenanathematismi en beschuldigde Cyrillus van apollinarisme wegens de uitdrukking ἕνωσις φυσική door hem gebruikt (3). Gansch de antiocheensche school, alhoewel ze het niet in alles met Nestorius eens was, trok nu partij voor hem tegen den h. Cyrillus : Joannes van Antiochië even als Theodoretus van Cyrus namen de pen op en schreven tegen Cyrillus, alsof hij door zijn ἕνωσις φυσική het monophysisme staande hield, eene ἕνωσις εἰς μίαν φυσίν, die zeker eene ketterij was. Cyrillus had schoon te antwoorden dat hij met de door hem gebruikte uitdrukking alleen had willen beduiden eene echte, werkelijke ἕνωσις φύσεων in tegenstelling met het al te losse συνάφεια

(1) Zie over deze *anathematismi* Tixeront, *o. c.*, p. 40 ; Héfélé-Leclercq, *o. c.*, p. 268.

(2) De keizer maakte geen gewag van Nestorius ; maar 't blijkt dat hij hem steunen wilde ; heel de moeilijkheid was voor hem slechts een *dubitatio verborum*. In een bijzonderen brief naar Cyrillus gericht, drukt hij zijn mistevredenheid uit en legt alle schuld op den patriark van Alexandrië. Héfélé-Leclercq, *o. c.*, p. 287 ss.

(3) *Ibid.*, p. 280.

(adhæsio, conjunctio), waarmede Nestorius een zuiver bijkomstig samengaan van de twee op hun zelf staande naturen in Christus wilde beteekenen; de verwarring was geschied, en bij velen in het Oosten was thans Cyrillus de schuldige, die zich voor het aanstaande concilie, door iedereen gewenscht, zou te verantwoorden hebben (1).

Ook paus Celestinus had zich welwillend geschikt naar den maatregel door den keizer genomen; hij liet aan den h. Cyrillus weten dat het geraadzaam was de veroordeeling van Nestorius te schorsen, daar men hopen mocht dat de verblinde patriark van Constantinopel door een algemeen concilie gemakkelijker tot de rechtgeloovigheid zou terugkeeren. De bisschoppen Arcadius en Projectus werden als vertegenwoordigers van de romeinsche synode, en de priester Philippus als bijzonder vertegenwoordiger van den paus naar Ephese gezonden, met opdracht zich in alles bij Cyrillus van Alexandrië te voegen, het gezag van den H. Stoel hoog te houden, en te doen uitvoeren wat de paus betreffende Nestorius reeds beslist had (2).

Tegen Pinksteren, 7 juni, 431, waren omstreeks 200 bisschoppen te Ephese aanwezig: Nestorius verscheen met een gewapend gevolg, Cyrillus met vijftig

---

(1) Vgl. Mahé, *Les anathématismes de S. Cyrille....* in *Rev. d'Hist. Eccl*, 1906, p. 505 ss. Joannes van Antiochië had eerst aan zijn vriend Nestorius den raad gegeven zich aan Rome te onderwerpen, doch zijne houding veranderde, toen hem de *anathematismi* van Cyrillus overhandigd werden; hij was oprecht in de meening dat Cyrillus in apollinarisme vervallen was en schreef in dezen zin naar verschillende bisschoppen; hij zorgde ook dat een weerlegging van de leer van Cyrillus zou vervaardigd worden. Het blijkt nu dat de christologie van Antiochie even orthodox was als die van Alexandrie, het spraakgebruik was echter heel verschillend; vandaar dat ze elkander opvattingen toeschreven, die ze niet hadden. Heel anders was het geschapen met de tegen-anathematismi van Nestorius; er is volstrekt geen twijfel dat hij daarin zijn dwaalleer volhoudt.

(2) « Qui iis, quæ aguntur, intersint et ea, quæ a nobis antea statuta sunt exsequantur » Batiffol, *o. c.*, p. 366.

zijner onderhoorige bisschoppen ; de gezanten van Rome echter, even als Joannes van Antiochië met zijne suffraganen, lieten op zich wachten, zoodat het concilie op gestelden datum niet kon beginnen. Na twee weken vruchteloos uitstellen, meende de h. Cyrillus, ondersteund door Memnon bisschop van Ephese en de groote meerderheid der aanwezige bisschoppen, niettegenstaande het protest van den keizerlijken vertegenwoordiger, dat men het concilie niet langer verdagen mocht. Krachtens de macht hem het vorig jaar door den paus toegekend nam hij het voorzittersschap waar en begon een eerste plechtige zitting, in de Maria-basiliek, op 22 juni (1). Nestorius, alhoewel driemaal gedagvaardigd zooals de canones het eischten, weigerde te verschijnen ; zijne zaak werd dan ook aanstonds zonder hem besproken : na grondig onderzoek werd zijn leer, als strijdig met de Concilie's en de Vaders, « goddeloos » genoemd (2), hij zelf werd door de aanwezige bisschoppen in den ban geslagen en afgezet. Opmerkenswaardig is hoe de Vaders van het concilie verklaarden tot deze veroordeeling gedreven te zijn, « coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi patris nostri et comministri Cælestini Romanæ ecclesiæ episcopi ». Deze eerste zitting had den heelen dag, tot laat in den avond geduurd ; toen het volk, dat de basiliek omringde, de uitspraak vernam, jubelde het van blijdschap en geleidde de Vaders met fakkellicht naar huis (3).

---

(1) Het schijnt daarbij dat Joannes van Antiochie twee bisschoppen had vooruit gezonden om aan Cyrillus te láten weten dat men niet verder op hem wachten moest. *Ibid.*, p. 372 in nota. Zie daar ook, alsook bij Héfélé-Leclercq, het protest van Condidianus en van de vrienden van Nestorius.

(2) De vaderen van Ephese zijn zich zeer goed bewust dat zij enkel de *Geloofsoverlevering* verdedigen. Daarom roepen zij het gezag in van de oude Kerk en lezen zij stukken vóór uit Petrus van Alexandrië, Athanasius, Julius I, Felix I, Theophilus van Alexandrië, Cyprianus, Ambrosius, van de Cappadociërs en andere vroegere kerkelijke schrijvers. Zie Janssens, *Het menschgeworden Woord*, p. 116.

(3) Héfélé-Leclercq, *o. c.*, p. 295 ss.

Het gejubel was echter niet algemeen. Nestorius en zijne vrienden even als Candidianus, de gezant van Theodosius, teekenden heftig verzet aan tegen de handelwijze van Cyrillus en Memnon van Ephese, en kloegen bij den keizer. Ook Joannes van Antiochië, die enkele dagen nadien te Ephese toekwam, weigerde het concilie te erkennen en hield met zijne bisschoppen een tegenconcilie, waarin Cyrillus en Memnon veroordeeld werden (1).

Cyrillus echter verdedigde zich ; op 10 juli vergaderde hij opnieuw de 200 bisschoppen, die langs zijne zijde stonden ; en deze nieuwe zitting had een heel bijzonder belang, daar intusschen de drie romeinsche legaten, na een woelige zeereis, eindelijk ook te Ephese waren aangekomen en zich aanstonds, volgens bevel van den paus, bij de partij van Cyrillus hadden aangesloten. Op verzoek der legaten werd eerst lezing gegeven van den pauselijken brief, waarbij aan het concilie bevolen werd « uit te voeren wat reeds betreffende Nestorius te Rome beslist was ». Dit werd luidruchtig toegejuichd en goedgekeurd ; daarop onderzochten de legaten de handelingen van de eerste zitting, keurden ze goed en onderteekenden de veroordeeling van Nestorius (3de zitting). Vier andere zittingen werden nog gehouden, waarin enkele *Canones* werden opgesteld alsook synodale brieven om de beslissingen aan den paus, aan den keizer en aan de kerk van Constantinopel mede te deelen. Ook het geval van Joannes van Antiochië en zijn dertig bisschoppen werd onderzocht ; daar zij na de wettige dagvaardiging weigerden te verschijnen, werd de kerkelijke ban tegen hen uitgesproken, dit alles in tegenwoordigheid en met de medewerking der romeinsche legaten (2).

Deze openlijke en volledige steun van Rome gaf natuur-

---

(1) *Ibid.*, p. 313.

(2) Zie de belangrijke rol door de romeinsche legaten vervuld, bij Batiffol, *o. c.*, p. 379.

lijk aan het concilie van Ephese een bijzonder aanzien (1); dit belette echter niet, dat een heelen tijd sommige bisschoppen, ook buiten den onmiddelijken aanhang van Nestorius, er tegen gekant bleven, daar ze meenden dat deze vergadering de opvattingen van Cyrillus had goedgekeurd, waarmede ze geen vrede konden hebben.

Hoe eindelijk, na veel moeilijkheden nog, de eenheid hersteld werd, zullen we in de volgende verhandeling verhalen.

R. Deschepper.

VI.

De ordine baptismi adultorum.

Q. *Per summa capita delinea ordinem baptismi adultorum, præcipuarum partium indigitando ordinem logicum et connexionem cum antiqua disciplina catechumenatus* (2).

R. — I. In *Ordine baptismi* distinguere oportet duplicem partem. Quarum altera complectitur *ipsam baptismi collationem* cum cæremoniis hanc immediate præcedentibus et subsequentibus; hæc agitur prope fontem a num. 37b ad finem.

Altera vero, quæ prior est a n. 1 ad n. 37a, complectitur *a/* preces præparatorias ad ipsum ritum (n. 1-4), *b/* cæremonias quæ summatim referunt ritus quibus olim diversis diebus catechumeni *præparabantur ad baptismum* in nocte Paschatis suscipiendum.

---

(1) Aan de œcumeniciteit van dit concilie kan niet getwijfeld; de paus had de bijeenroeping goedgekeurd en zond zijn legaten naar Ephese (convocatio formalis). De eerste zitting moge aan sommigen onregelmatig schijnen, dit zou nog het gezag van het concilie niet wegnemen, daar alles wat in de eerste zitting was geschied door de pauzelijke legaten opnieuw werd onderzocht en goedgekeurd. Daarbij, het concilie werd door paus Cœlestinus uitdrukkelijk bevestigd, niet alleen *confirmatione antecedente et concomitante* maar ook *subsequente*. Zie Jugie, *a. c.*

(2) L. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, ch. ix. L'initiation chrétienne; D. P. de Puniet, *Catéchuménat* in *Dict. d'arch. et de Liturg.* de D. F. Cabrol; A. Desmet, *Tract. de Sacramentis*, n. 337 ss.; *Collat. Brugen.*, XXI (1921), p. 233.

1/ Primis enim sæculis christiani vix non omnes in adulta baptizabantur ætate. Et ideo ad sacramentum digne suscipiendum, per tempus plus minus diuturnum, præparandi erant per christianam catechesim — unde dicti sunt *catechumeni* — qua docebantur veritates fidei et informabantur ad vitam christianam. Sæculo autem quarto crevit multitudo catechumenorum, unde disciplina præparationis ad baptismum accuratius determinari debuit; sed simul minutus est multorum fervor ad suscipiendum ipsum sacramentum cum obligationibus adnexis. Inde inter candidatos ad christianismum duplex categoria inducta sit : simplicium *catechumenorum* nempe et *competentium* seu *electorum*.

2/ Qui *inter catechumenos admitti* volebant, debebant *dare nomen*, ut inscriberentur, et manifestare voluntatem addiscendi *fidem* et ducendi vitam christianam quæ in charitatis exercitio consistit.

In *solemni ritu admissionis* conata est Ecclesia jam manifestum reddere scopum et significationem totius catechumenatus seu ritualis præparationis ad baptismum. Renuntiandum enim est diabolo, qui exorcismis expelli debet et adhærendum est Christo cujus signum crucis est admittendum, cujus fidem et præcepta vitæ christianæ amplecti oportet. Ideo profitebantur catechumeni se *renuntiare diabolo* et admittere *fundamenta fidei*. Deinde exorcizabantur, et quidem tam per *exorcismos* verbales quam per varios ritus: *exsufflationem* (quæ expulsionem dæmonis significat), *halitum* (quo exprimitur Spiritus Sancti afflatus), *manuum impositionem* (quæ et ipsa ad expulsionem dæmonis ordinatur) (1). Tandem *signantur cruce* tanquam Christi signo, et accipiunt *sal*, symbolum sapientiæ christianæ (2).

3/ Quotannis autem recurrente die aliqua statuta circa Quadragesimam melius præparati aut ferventiores catechumeni dabant nomen et petebant admitti ad stadium

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, X (1905), p. 668 ss.
(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXI (1921), p. 116 ss.

præparationis proximæ ad baptismum in instanti Paschate suscipiendum. Hi qui simul petebant dicebantur *competentes* aut, notatim Romæ, *electi*.

Intensior nunc fiebant catechesis et frequentiores conventus in quibus « catechizantur, exorcizantur, scrutantur ». In singulis enim conventibus non solum docebantur veritates fidei et informabantur ad virtutes christianas, sed *exorcizabantur* cum manuum impositione. Hi ritus peragi solebant primo in masculos deinde in fœminas (n. 16-28).

4/ Identidem convocabantur ad cœtus majoris momenti, qui *scrutinia* dicebantur : scrutandi enim et examinandi erant electi de eorum fidei cognitione et vitæ christianæ praxi.

Sæc. IV-VI Romæ et in plurimis Ecclesiis occidentis scrutinia erant tria et assignata dominicis 3ae, 4ae et 5ae Quadragesimæ (1). Posteriori autem ævo, circa tempora s. Gregorii ut videtur (2), his tribus substituta sunt scrutinia septem, quæ non jam in die dominica agebantur, sed in diversis feriis quadragesimæ inde ab hebdomada tertia (3).

In his scrutiniis repeti solebant semper *exorcismi* cum manuum impositione. Sed et agebantur quidam *ritus proprii initiationis christianæ* sc. traditio « instrumentorum sacrosanctæ legis » seu (Romæ) evangeliorum, symboli et orationis dominicæ. Prælegebantur initia quatuor evangeliorum : et ut hæc sancte audire valerent, symbolice aperiebantur eis aures per cæremoniam Ephpheta. Deinde recitabatur et explicabatur breviter formula sym-

---

(1) Cfr quæ valde summarie indicavimus in *Notes sur la liturgie préparatoire au baptême et quelques évangiles du carême* p. 235 ss. in *Congrès jubilaire de la Fédération archéologique et historique de Belgique* tenu à Bruges (août 1925).

(2) Certe post epistolam Joannis, diaconi romani (postea pontificis Joannis I 526), ad patricium Senarium circa finem s. v. et ante opera Joannis archicantoris s. Petri conscripta c. a. 680.

(3) Inde facta est transpositio epistolarum et evangeliorum et forte totius formularii plurium missarum quadragesimalium.

boli fidei, quam in sequenti scrutinio memoriter recitare et profiteri debebant ; idem tandem fiebat de oratione dominica.

Hi ritus olim in multis Ecclesiis agebantur diebus diversis. Ast Romæ a sæc. VII fiebant in magno scrutinio quod celebrabatur in missa catechumenorum in feria IV « in mediana » seu hebdomadæ quartæ Quadragesimæ, in qua hodiedum servamus antiquum formulare missæ scrutinii « in aperitione aurium » (1).

5/ *Ultimum scrutinium* celebrabatur in nocte Sabbati sancti : præter repetitionem exorcismi et manuum impositionis, agebatur cæremonia Ephpheta seu tactus aurium et narium, quæ decursu temporis amplificata fuerat et heic substituta fuerat cæremoniæ aperitionis aurium olim in magno scrutinio actæ. Et facta nova abrenuntiatione, inungebatur baptizandus oleo catechumenorum in pectore et in dorso, quæ cæremonia ex usu gallicano videtur assumpta.

6/ Tandem, imposito nomine et repetita in fine professione fidei, *confertur baptismi sacramentum* et adduntur cæremoniæ subsequentes quibus exprimuntur baptismi effectus : illuminatio fidei quæ designatur per candelam ardentem et puritas animæ quam exprimit vestis alba qua baptizatus induitur.

II. Quod si hæc præ oculis teneamus, non ægre in *Ordine baptismi adultorum* discernuntur partes diversæ prout respondent diversis stadiis et temporibus disciplinæ catechumenatus in antiqua Ecclesia.

1/ *Preces præparatoriæ ad pedem altaris* (n. n. 1-4.). Quando, abrogata antiqua disciplina, longa series cæremoniarum in unum contracta est ritum, huic præmissæ runt preces præparatoriæ « ut quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, orat sacerdos, tuæ virtutis

(1) Cfr J. SCHUSTER, *Liber sacramentorum*, vol. III, p. 126 ss.

impleatur effectu » : *Deus in adjutorium — Gloria Patri* — psalmi tres preces cum orationibus.

Ut apparet, ordinantur sicut parva Hora officii canonici.

2/ *Cæremoniæ admissionis inter catechumenos* (n. n. 5-15). Fiunt ad limen ecclesiæ extra quam erat candidatus

Petito nomine (5) exquiritur manifestatio voluntatis addiscendi fidem in præparationem ad baptismum (5), fit abrenunciatio (6) et summaria fidei professio (7). Deinde fit exorcismus cum triplici exsufflatione (8) (ad exprimendam dæmonis expulsionem) et cum levi insufflatione (9) qua exprimitur communicatio gratiæ Spiritus sancti. Deinde in fronte et pectore signatur cruce, juxta quam vivere oportebat, et petitur ut horrescat errores quos antea profitebatur (10). Deinde cruce signando diversa organa, totum corpus dicat sacerdos servitio Dei trini, ad servanda mandata divina (11) ; facta tandem ad animæ purificationem manuum impositione (12) tradit catechumeno benedictum (13) sal sapientiæ (14-15).

3/ *Exorcismi qui repeti solebant in conventibus et scrutiniis* (n. n. 16-28).

Ritualis præparatio catechumenorum, ut olim notavimus, induebat indolem luctæ contra diabolum ut candidatus libere et plene se tradere posset Christo.

Inde servati sunt exorcismi qui fiunt primo in masculos (16-21), deinde in fœminas (22-27). Quivis exorcismus complectitur : *a*) orationem, signanter *Pater noster*, quam electi recitant genibus flexis, quam omnes simul complent dicendo *Amen* ; *b)* signum crucis fronti impositum a patrino et a sacerdote : *c)* impositionem manus primo tangendo singulos et dein manu in omnes extensa cum oratione appropriata ; *d)* formulam exorcismi proprie dicti. Et hæc cæremonia ter repetitur, quia olim a tribus diversis exorcistis fiebat Tandem et ipse sacerdos imponebat manum singulis et addebat orationem *Æternam ac justissimam* (28).

4/ *Cæremoniæ ad ingressum in ecclesiam* (n. n. 29-32).

Electus qui jam supponitur præparatus ut propius

accedat, introducitur a sacerdote in ecclesiam « ut accipiat benedictionem cœlestem a Domino » (29) et ingressus se prosternit et adorat (30). Dein facta nova manus impositione (31) recitat seu profitetur *Credo* et *Pater noster* (32) in quo ritu manet vestigium antiquæ traditionis symboli et orationis dominicæ.

5/ *Cæremoniæ ad ostium baptisterii* (n. n. 33-37[a]).

Candidatus jam censetur plene præparatus : unde deducitur ad « ostium cancellorum baptisterii », et admittitur ad *ritus ultimi scrutinii* immediate præcedentis ipsam baptismi collationem. Ritualiter est ergo suprema lucta contra diabolum ut electus Christo servire et vivere possit. Omnes ritus hoc breviter sed valde energice exprimunt.

Iteratur primo manuum impositio cum formula exorcismi (33). Deinde electo solvuntur organa a diabolo ligata, ut pro Christo deinceps operari valeat, quod fit per symbolicam cæremoniam Ephpheta (34) Et statim ex professo renuntiat diabolo (35), et linitur in pectore et inter scapulas catechumenorum oleo salutis in Christo Jesu (36) et ultimo brevi exorcismo jubetur immundus spiritus recedere et dare locum Spiritui sancto, qui per gratiam baptismi statim ingredietur animam electi.

6/ *Ritus baptismales in ipso baptisterio* (n. n. 37[b]-50).

Assumuntur indumenta coloris albi (37[b]) : dealbanda est enim anima ab omni macula per gratiam baptismi. Petito nomine (37) ut baptizando assignetur patronus cœlestis, exquiritur explicita fidei professio in præcipua dogmata christiana et consensus in baptismum (38).

Baptismus confertur (39-40).

Collato sacramento, chrismate inungitur baptizatus in vertice (41). Tandem accipit baptizatus vestem candidam (42) qua animæ puritas designatur, et candelam accensam (43-44) quæ indicat lumen fidei in baptismo acceptum. Et baptizatus dimittitur in pace (50).

C. Callewaert.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis maii propositas.

—

I.

De lotione pedum in cœna.

Q. *Explicato textu evangelii*, Jo , XIII, 1-17, *indica quid Jesus per lotionem pedum voluerit obtinere apud suos apostolos.*

R. — **Status quæstionis.**

Non una est sententia tum antiquorum, tum recentiorum interpretum de fine a Jesu intento in lotione pedum apostolorum : evidens est Jesum hoc officium non præstitisse unice ut materialiter a pulvere mundarentur pedes apostolorum ; certum quoque est, ut clare edicunt vv. 14-17, Jesum per actionem symbolicam voluisse tradere discipulis exemplum humilitatis in caritate exercenda ; sed quæstio ponitur nonne symbolice Dominus adhuc alia docere intenderit.

Negant quidam, cum s. Joanne Chrysostomo (1), Jesum aliud intendisse quam sublime exemplum obsequii ; sed plures, cum Origene, s. Hieronymo, s. Augustino et s. Ambrosio, autumant Jesum significasse necessitatem purificationis cujusdam interioris sive intuitu eucharistiæ statim accipiendæ, sive in ordine ad missionem apostolicam postea obeundam (2). Obvie in hac sententia infertur Jesum simul hanc purificationem contulisse.

---

(1) *Homilia LXX in Jo.*

(2) Explicationes ss. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum notatas videsis apud MALDONATUM et CORNELIUM A LAPIDE i.h.l.; caute tamen in libris ibi citatis authentica opera ab inauthenticis discerpas.

Si autem admittatur actionem Jesu causaliter procurasse purificationem, quod hi auctores generatim innuere videntur (1), nova exsurgit quæstio, scil. utrum lotionem pedum Jesus instituerit ut sacramentum. Hoc revera prima fronte docuisse videntur s. Ambrosius et s. Bernardus ubi lotionem pedum liturgicam sacramentum dicunt; sed ex tenore textus evangelii et præsertim ex traditionis ecclesiasticæ doctrina elucet Jesum nec suis verbis nec interpretative, sua actione, sacramentum stricte dictum instituisse; ceterum textus s. Ambrosii et s. Bernardi,

---

Fere sicut ORIGENES *(Comment. in Jo.)*, habet HIERONYMUS: « ascensurus Dominus ad cælum, quia apostoli, ut homines terræ insistentes, adhuc habebant peccatorum sordibus pollutos pedes, vult eos a delictis penitus liberare, ut eis possit prophetalis sermo congruere: quam speciosi pedes evangelizantium pacem! », *Ep. ad Damasum*. Notat tamen s. Doctor hunc non esse sensum litteralem scripturæ sed sensum mysticum.

S. AUGUSTINUS explicat de remissione peccatorum quotidianæ incursionis: « homo in sancto baptismo quidem totus abluitur, non præter pedes sed totus omnino; verumtamen, cum in rebus humanis postea vivitur, utique terra calcatur; ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur et sic afficimur, ut si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus et veritas in nobis non sit ». *In Jo. ev. tract. LVI.*

S. AMBROSIUS, explicans per evangelicam lectionem ritum Mediolani usitatum lavandi pedes neobaptizatorum, textum obscurum habet: « mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens et persuasit errorem; ideo planta ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur », *De mysteriis, XVI.* Per peccata hereditaria hic concupiscentia post baptismum relicta intelligenda videtur; cfr J. POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik*, III, 7 ed., Paderbornæ, 1922, p. 26.

MALDONATUS præfert sententiam quam tribuit s. Cypriano, juxta quam lotio pedum significaverit pænitentiam post baptismum habitam etiam de mortalibus peccatis; hanc sententiam mutuat ab opusculo *De cœna Domini*, quod non est s. Cypriani sed ARNOLDI, abbatis Bonæ Vallis, auctoris sæc. XII.

(1) J. KNABENBAUER, *Comment. in ev. sec. Jo.*, Parisiis, 1898, p. 405, aliter rem concipit: « ut efficiantur prorsus mundi, Christus hac sua actione iis *meretur* et confert ».

si attentius perspiciuntur, de sacramento sensu lato, scil. de mysterio, intelligendi probantur (1).

Commentarius.

Narrationem ultimarum actionum Jesu Joannes introducit sententia generali, v. 1 : *ante diem festum Paschæ* (2), *sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat* (3) *ex hoc mundo ad Patrem*, hora ut clarificetur Filius hominis (4), *cum* hucusque tam intime et affectuose *dilexisset suos* discipulos, *qui erant* soli relinquendi *in* hoc *mundo*, qui odio eos habet (5), jam nunc *in finem dilexit eos*, perfectissimum amorem exhibens antequam morti traderetur. Hæc verba non ad solam lotionem pedum introducunt, nec sub velamine solam s. eucharistiæ institutionem memorant, sed respectum habent ad varia dilectionis argumenta, quæ ultimis hisce horis Jesus discipulis suis præbet : ad lotionem pedum, ad amantissimas illas orationes consolatorias, ad institutionem eucharistiæ, quam Joannes non describit sed quam notam supponit (6).

Introducit ad narrationem lotionis v. 2 ; *et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor* (7) *ut traderet eum Judas*, filius *Simonis*, *Iscariotes* (Vlg. Iscariotæ). Quoad primam

---

(1) Cfr A. Desmet, *De sacramentis in genere*, 2 ed., Brugis, 1925, n. 110 ; A. Malvy, art. *Lavement des pieds*, apud Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, fasc. LXX. c. 31 ss.

(2) Juxta Joannis narrationem Jesus mortuus est antequam principes populi manducarent pascha (xviii, 28); juxta synopticos ultima cœna fuit cœna paschalis; de modis quibus hæc conciliari possint, cfr H. Simon *Prælectiones biblicæ*, I, 3a ed., Taurini, 1926, p. 514.

(3) Hoc verbo alludit Joannes ad etymum vocis Pascha-transitus.

(4) *Jo.*, xii, 23.

(5) *Jo.*, xv, 18.

(6) Evangelistam hic supponere narrationem synopticorum apparet ex v. 2; memorat cœnam, quam tempore conscriptionis evangelii celebrabant christiani ut momentum institutionis s. eucharisticæ, sed de hac nullum verbum habet; memorat etiam absque addito factum proditionis, supponendo omnia jam esse parata et disposita.

(7) Evidenter in cor Judæ; est locutio hebraïca significans inspirare; cfr P. Joüon, *Quelques aramaïsmes sous-jacents au grec des évangiles*, apud *Recherches de science relig.*, XVII, 1927, p. 228.

circumstantiam *et cœna facta* incertum est utrum textus græcus primigenius habuerit γενομένου, quod supponit Vulgata, an γινομένου, *dum fit cœna*, quod editores textus generatim præferunt ; revera post lotionem pedum pergit cœna, ut apparet vv. 12 et 26, et hoc melius redditur forma γινομένου. Collocanda est proin lotio pedum ante institutionem s. eucharistiæ, quæ, teste s. Paulo, locum habuit post cœnam (1). Quod mentionem proditionis Judæ attinet, hæc addita videtur ut clare indicetur, Jesum, licet proditionem jam peractam noverit, nihilominus coram proditore se in suo caritatis officio humiliasse.

Ad præstantiam actionis Jesu efferendam, notat Joannes quantus fuerit ille, qui pedes apostolorum lavit, v. 3 : *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit et ad Deum vadit.* Conscius erat Jesus suæ potentiæ, suæ originis et suæ instantis glorificationis ; nihilominus humili officio fungi voluit ad quod generatim servi deputabantur, nec hoc obsequium exercuit erga æquales sed ipse, Dei Filius et legatus, erga suos subditos, erga suas creaturas.

Stupentibus discipulis, qui etiam minimas ejus actiones speculantur, v. 4-5 : Jesus *surgit a cœna et ponit vestimenta sua* superiora, more servorum solam tunicam servans, *et cum accepisset linteum*, eo *præcinxit se ; deinde mittit aquam in pelvim et cœpit lavare pedes discipulorum et extergere linteo quo erat præcinctus.*

V. 6-7. *Venit ergo ad Simonem Petrum* (2) ; *et* indignatus de tali humiliatione, exclamans *dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes ? Respondit Jesus et dixit ei : quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Verbum *postea* refertur ad institutionem futuram per Spiritum sanctum a quibusdam exegetis, qui in hoc vocabulo argumentum quærunt ut asserant Jesum per lotionem significasse aliquod mysterium, quod nunc suis apostolis non

(1) *I Cor.*, XI, 25.

(2) Utrum primo, an ultimo vel inter medios alios, hoc ex textu determinari nequit ; nihil mirum tamen si Jesus cum Petro inceperit.

explanabit, np. purificationem quamdam ; sed magis obvia explicatio prostat, græce enim legitur μετὰ ταῦτα post hæc, et revera post hæc Jesus v. 12 explicat quid fecerit : « scitis quid fecerim vobis ? ».

V. 8. *Dicit ei Petrus :* esto quod nesciam, unum scio, *non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus : si non lavero te, non habes* (Vlg. habebis) *partem mecum.* Habere partem cum aliquo dicitur ejus factionem, ejus sortem participare (1). Hic non agitur de amissione gratiæ sanctificantis et de exclusione a regno cælesti ; non videtur enim Jesus rebellionem Petri considerare qua rebellionem contra mandatum quoddam divinum, nec, si admittatur per lotionem pedum purificationem esse conferendam, dici potest hanc purificationem esse a peccato mortali, cum Jesus v. 10 fateatur : « et vos mundi estis ».

Remanet ut sensus sit Petrum sua negatione se excludere a consortio Jesu in opere messianico et ab intimiori commercio, quod Jesus habebat cum discipulis suis. Jesus a Petro postulat cæcam obedientiam et ut suam petitionem urgeat minatur pœnam quam Petrus super omnia reformidat.

Hic iterum quidam probatam vident collationem gratiæ per lotionem cum Jesus dicat « si non lavero te », ita significans exclusionem a consortio suo formaliter incurri per defectum lotionis, non formaliter per inobedientiam ; sed nullatenus probatur verba tam stricte esse sumenda et Jesum non potuisse æquivalenter dicere : si pergis in negatione tua, non habes jam partem mecum.

V. 9-11. Videtur Petrus intelligere ipsum ritum gratiam quamdam purificationis conferre et præ indole sua ab uno extremo ad aliud contrarium convolat ; *dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. Dicit ei Jesus : qui lotus est, non indiget nisi ut pedes*

---

(1) Cfr *III Reg.* XII, 16 ; *Ps.*, XLIX, 18 ; *Mt.*, XXIV, 51 ; *Lc.*, XII, 46 ; *II Cor.*, VI, 15.

lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes.

Textus Vulgatæ ita est explicandus : « qui lotus est, qui sumpto balneo domum suam revertitur, non indiget nisi ut pedes lavet, quibus per viam nonnihil pulveris adhærebat ; domum reversus non iterum balneo lavat, sed ad summum pedes lavat, est omnino mundus, toto corpore mundus » (1). Cum in v. 10[b] verba « et vos mundi estis » de spirituali munditie agant, lotio totalis et lotio pedum in v. 10[a] allegorice etiam de spirituali purificatione dicuntur ; necessario tunc lotio completa de remissione peccati originalis et gravium peccatorum est intelligenda : lotio pedum de remissione leviorum peccatorum, quorum reatus cum completa munditie stare potest. Petro Jesus respondet apostolos omnes, uno excepto, substantialiter quasi esse mundos, sed tamen propter parvas maculas partiali aliqua purificatione indigere.

Non videmus quomodo textus Vulgatæ aliter explicari possit ; sed dubitari potest de genuinitate istius textus. Datur varians lectio, quam leviter saltem probabiliorem ducimus et quæ sic sonat : *qui lotus est non indiget ut lavetur, sed est mundus totus.* . . . . (2). In hoc textu

---

(1) Knabenbauer, *o. c.*, p. 405.

(2) In favorem hujus lectionis, sequentia argumenta afferimus :

a/ Quod criteria externa seu testes textus attinet, verba εἰ μὴ τοὺς πόδας omittuntur in codice Sinaïtico ; deficiunt in pluribus codicibus Vulgatæ ita ut Wordsworth-White censuerint hæc verba afuisse ab originali textu versionis hieronymianæ ; revera s. Hieronymus citat textum sine his verbis (*Contra Jovin.*, ii) ; similiter faciunt Origenes (*In Jo.*), Tertullianus (*De baptismo*, xii), Optatus Milevitanus (*De schismate Donatistarum*, iv, 4), Augustinus in *ep.* xliv, 10 dum in commentario suo legit textum longiorem.

In sua editione critica Tischendorf hæc verba omittit ; ea inter parentheses ponit Nestle.

b/ Additio videtur facilius explicanda quam omissio ; glossa responderit objectioni : si Jesus dicit apostolos suos non indigere lotione, cur tunc eorum pedes lavat ? ; omissio e contrario reddiderit textum obscuriorem, licet magis logicum.

opponuntur duo verba λουέσθαι et νίπτεσθαι, quorum primum significat balneum completum, alterum partialem lotionem (1). Respondet itaque Jesus Petro : censes lotionem hanc te mundare, sed non ita est, etenim vos omnes estis mundi, uno excepto ; jamvero qui balneum sumpsit, seu qui mundus est totus non debet jam partes corporis lavare ; non indigetis proin lotione purificante nec refert me etiam manus et caput lavare ; si pedes lavo, hoc facio alium in finem, quem scies postea, np. ad docendum humilitatem in caritate.

V. 12-16. *Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua : cum recubuisset iterum* ad mensam, *dixit eis : scitis quid fecerim vobis?* Hoc nunc pandam, *vos vocatis me Magister* seu Rabbi *et Dominus* (Vlg. Domine ; in græco nominativus cum articulo) : *et bene dicitis : sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos facialis*, pro adjunctorum diversitate fratribus etiam humillima præstantes obsequia caritatis. Quando postea eritis super gregem meum positi, ne cogitetis humilia caritatis officia vos dedecere : e contrario, *amen, amen dico vobis, non est*

---

c/ Textus Vulgatæ habet quædam obscura et minus logica: ita dura est locutio dicens totaliter mundum illum qui pedes habet pollutos ; dein supponit textus post balneum incedere lotum per plateas ibique maculare pedes ; hoc supplere debemus ut textus intelligibilis fiat dum in textu nihil *positive* nos invitat ad hoc supplendum ; tandem hac allegoria Jesus respondet petitioni Petri postulantis lotionem manuum et capitis, sed quæri potest nonne utiliter post iter per plateas etiam manus laventur ; hoc tamen negat Jesus.

d/ In lectione Vulgatæ agnoscendum est symbolum purificationis alicujus sat mysteriosæ; in lectione breviori autem de purificatione non agitur ; et hoc melius quadrat cum sequentibus ubi Jesus videtur explicare totum quod lotio pedum significaverit quin de symbolo purificationis verbum faciat.

Ampliora videsis apud M.-J. Lagrange, *Ev. selon s. Jean*, Paris, 1925, p. 353 ss,

(1) Ctr ad hæc verba F. Zorell, *Novi Testamenti Lexicon græcum*, Parisiis, 1911.

servus major Domino suo : neque apostolus major est eo qui misit illum.

Non jubet Jesus ut apostoli postea repetant idipsum quod egit, sed vult ut agant *quemadmodum*, καθὼς, ipse egit ; non condidit itaque ritum quemdam per modum instituti. Attamen mirum non est Ecclesiam in suam liturgiam introduxisse Mandatum hujus actionis Jesu commemorativum (1) ; hanc imitationem actionis Jesu jam deprehendimus tempore s. Pauli ubi inter conditiones requisitas apud viduam enumerat « si sanctorum pedes lavit » (2).

Addit tandem Jesus promissiones suæ doctrinæ, v. 17 : *si hæc scitis* et capitis, bonum jam est, at *beati eritis si feceritis ea* et in praxim ea deduxeritis.

Conclusio.

Per lotionem pedum apud discipulos suos Jesus certe voluit obtinere intelligentiam et praxim caritatis fraternæ, etiam ubi dictat servitia humillima ; sed utrum voluerit obtinere purificationem quamdam animæ, hoc dubium remanet ; lectio Vulgatæ in v. 10, nostro sensu, hoc omnino dicit, at genuinitas textus non ita certa apparet ; ex alia parte lectio brevior de hac purificatione nihil habet sed nec de ejus genuinitate cum omnimoda certitudine constat.

M. De Jonghe.

II.

De humana Christi voluntate.

Q. *Explica quomodo voluntas humana Christi dicatur semper fuisse conformis voluntati divinæ et nunquam ei contraria.*

R. – In præcedenti responsione, rem *positive* tractando, demonstravimus in Christo, juxta fidem catholicam,

(1) Cfr Malvy, *a. c.*
(2) *I Tim*, v, 10.

duas esse admittendas voluntates naturales, divinam et humanam, quas concilium œcumenicum sextum simul inculcat non fuisse contrarias, quoniam humana Christi voluntas, divinæ voluntati semper subjecta, nunquam eidem restitit vel reluctavit (1). Quæstio nunc agitatur *scholastica*, quomodo videlicet hoc explicandum veniat.

Imprimis supponimus nota quæ de operatione Christi theandrica, in responsione quadam superiori, breviter delineavimus (2). Advertere adhuc juvat cum s. Thoma, quoniam Christus assumpsit naturam humanam, cum omnibus quæ ad perfectionem ipsius pertinent, ideo necessarium esse ut dicamus « quod in Christo fuit [etiam] sensualis appetitus,... [qui] inquantum est natus obedire rationi, dicitur rationale per participationem... Et quia voluntas est in ratione (3), pari ratione dici potest quod sensualitas [appetitus sensualis] sit voluntas per participationem » (4).

Quod attinet appetitum intellectivum seu rationalem, qui proprie voluntas appellatur (5), observare necesse est : « Voluntas quandoque accipitur *pro potentia*, et quandoque *pro actu*. Si ergo voluntas accipiatur pro actu, sic oportet in Christo ex parte rationis ponere duas voluntates, id est *duas species actuum* voluntatis ».

« Voluntas enim, ut in secunda parte dictum est (6), et est finis, et est eorum quæ sunt ad finem [seu mediorum], et alio modo fertur in utrumque. Nam *in finem*

---

(1) Cfr *conc. constantinopolit. III*, œcum. VI, apud *Enchir.*, n. 291 aut *Thesaur.*, n. 743.

(2) *Collat. Brugen.*, XXVII (1927), p. 168 s. et cfr *Sum. theol.*, III, q. 18, a. 1, ad 1. — Adverte adhuc Christum per donum integritatis fuisse prorsus immunem ab omni motu concupiscentiæ inordinato et appetitum ejus fuisse omnino subditum rationi, ita ut nihil præter aut contra judicium rationis et imperium voluntatis unquam egerit, ut diximus supra, p. 190, n. 2.

(3) Id est : in parte rationali seu superiore animæ.

(4) *Sum. theol.*, III, q. 18, a. 2, c.

(5) *Ibidem*, I, q. 59, a. 1, c. coll. I-II, q. 26, a. 1, c.

(6) Lege præcipue I-II, q. 8, a. 2 et a. 3, c.

fertur simpliciter et absolute, sicut in id quod est secundum se bonum ; *in id autem quod est ad finem*, fertur cum quadam comparatione, secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud ».

Sic porro « alterius rationis est actus voluntatis, secundum quod fertur in aliquid quod est *secundum se volitum*, ut sanitas, quod a Damasceno vocatur θέλησις, id est simplex voluntas, et a magistris vocatur *voluntas ut natura* ; et alterius rationis est actus voluntatis, secundum quod fertur in aliquid quod est *volitum solum ex ordine ad alterum*, sicut est sumptio medicinæ : quem quidem voluntatis actum Damascenus vocat βούλησιν, id est, consiliativam voluntatem ; a magistris autem vocatur *voluntas ut ratio* ».

« Hæc autem diversitas actus non diversificat potentiam ; quia uterque actus attenditur ad unam communem rationem objecti, quod est bonum. Et ideo dicendum est quod si loquamur de *potentia* [seu facultate] voluntatis, in Christo est *una* sola voluntas humana essentialiter, et non participative dicta (1) ; si vero loquamur de voluntate quæ est *actus*, sic distinguitur in Christo *voluntas* quæ est *ut natura*,... et voluntas quæ est *ut ratio* » (2).

Hisce rite perspectis sat facile intelligitur quomodo voluntas humana Christi dicatur semper fuisse conformis voluntati divinæ et nunquam ei contraria.

1/ Semper *conformis* fuit. Et enim, « sicut dictum est, in Christo secundum humanam naturam ponitur duplex voluntas ; scilicet voluntas sensualitatis, quæ participative voluntas dicitur ; et voluntas rationalis, sive conside-

---

(1) Voluntas essentialiter dicta est voluntas proprie dicta seu rationalis ; præter hanc porro voluntatem distinguimus appetitum sensitivum, qui participative dicitur voluntas.

(2) *Sum. theol.*, III, q. 18, a. 3, c. coll. *Comm. in III Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1. — In a. 4 Summæ theologicæ notat s. Thomas, quod alibi latius explicat : « Simpliciter voluntas est idem quod voluntas ut natura ; electio autem est idem quod voluntas ut ratio, et est proprius actus liberi arbitrii ».

retur per modum naturæ, sive per modum rationis » (1).

Jamvero novimus « quod ex quadam dispensatione Filius Dei ante suam passionem permittebat carni agere et pati quæ sunt ei propria ; et similiter etiam permittebat omnibus viribus animæ agere et pati quæ sunt ei propria » (2).

« Manifestum est autem quod *voluntas sensualitatis* refugit naturaliter dolores sensibiles et corporis læsionem. Similiter etiam *voluntas* [rationalis] *ut natura* repudiat ea quæ sunt naturæ contraria, et quæ sunt *secundum se mala*, puta mortem et alia hujusmodi ; sed hæc tamen voluntas [rationalis et proprie dicta] quandoque *per modum rationis* eligere potest *ex ordine ad finem* ; sicut etiam in aliquo puro homine sensualitas ejus et etiam voluntas absolute considerata [adeoque ut natura] refugit ustionem, quam tamen voluntas secundum rationem eligeret propter finem sanitatis ».

Nunc « voluntas Dei erat ut Christus dolores, et passiones, et mortem pateretur, *non* quod ista essent a Deo *volita secundum se* [seu tanquam finem], *sed ex ordine ad finem* humanæ salutis ».

« Unde patet quod Christus, *secundum voluntatem sensualitatis* [participative dictam] et *secundum voluntatem rationis* [seu rationalem et proprie dictam], quæ [tamen nunc] consideratur *per modum naturæ*, aliud poterat velle quam Deus ; sed secundum [eamdem] voluntatem [rationalem], quæ est *per modum rationis*, semper idem volebat quod Deus » (3).

2/ Nihilominus voluntas Christi *contraria dici nequit* voluntati divinæ, licet fuerit *diversa quoad objectum*

---

(1) Adverte Angelicum, ita in a. 6, voluntatem rationalem per modum rationis, quandoque simpliciter appellare voluntatem vel appetitum rationis.

(2) Cfr *Sum. theol.*, III, q. 14, a. 1, ad 2 ; Christus enim, uti dicitur q. 18, a. 5, ad 3, simul fuit comprehensor et viator.

(3) Hæc omnia, eodem ordine quo hic referuntur, ex q. 18, a. 5, c. desumuntur.

volitum. Et enim « contrarietas non potest esse nisi oppositio attendatur in eodem et secundum idem ».

Unde *a*/ « ad hoc quod sit contrarietas voluntatum in aliquo, requiritur primo quidem quod *secundum idem* attendatur diversitas voluntatum. Si enim unius voluntas sit de aliquo fiendo secundum quamdam rationem *universalem*, et alterius voluntas sit de eodem non fiendo secundum rationem *particularem*, non est omnino contrarietas voluntatum. Puta, si rex vult suspendi latronem propter bonum publicum, et aliquis ejus consanguineus nolit eum suspendi propter amorem privatum, non erit contrarietas voluntatum ; nisi forte in tantum se extendat voluntas hominis privati, ut bonum publicum velit impedire, ut conservetur bonum privatum ; tunc enim circa idem attenditur repugnantia voluntatum » (1).

b/ « Secundo autem requiritur ad contrarietatem voluntatis quod sit *circa eamdem voluntatem*. Si enim homo vult unum secundum appetitum rationis [seu voluntatem proprie dictam] et vult aliud secundum appetitum sensitivum [seu voluntatem participative dictam], non est hic aliqua contrarietas, nisi forte appetitus sensitivus in tantum prævaleat quod vel immutet, vel retardet appetitum rationis : sic enim jam ad ipsam voluntatem rationis perveniret aliquid de motu contrario appetitus sensitivi » (2).

Hæc applicando nunc ad ea quæ de Christo revelatione novimus, « dicendum est quod licet voluntas naturalis [proprie dicta, sed ut natura] et voluntas sensualitatis in

---

(1) *Ibidem*, a. 6, c. et obvium satis est duplicem eumdem motum voluntatis in eodem subjecto reperiri posse, unde, ut dicitur, ad 8, in nobis sæpius exsurgit concertatio voluntatum « propter debilitatem rationis, quæ non potest dijudicare quid sit simpliciter melius » ; voluntas alioquin quod melius probatur, sæpius non amplectitur.

(2) *Ibidem* et observa, quod supra jam monuimus, appetitum sensitivum ideo vocari rationalem, aut etiam voluntatem participative dictam, quia nimirum natus est obedire rationi, quam etiam impedire et retardare potest.

Christo aliquid aliud voluerit quam voluntas divina et voluntas rationis ipsius, [seu voluntas rationalis, proprie dicta sed ut ratio], non fuit tamen aliqua contrarietas voluntatum » (1).

Et re quidem vera : α/ quod primum attinet, oportet præcipue attendamus voluntatem proprie dictam ; *voluntas* enim *sensualitas per se considerata* non sese extendebat ad repudiandam hanc rationem, qua voluntas divina et voluntas rationalis humana in Christo passionem et mortem volebat (2).

Jam autem inter eamdem voluntatem humanam Christi superiorem ut est ratio, necnon voluntatem divinam ipsius ex una parte, atque voluntatem ut est natura, ex alia parte, non erat contrarietas quoniam *non* erant de eodem *sub eodem respectu :* volebat Christus priori modo passionem suam et mortem *tanquam medium ad finem*, ad salutem videlicet generis humani procurandam ; altero modo ab eadem morte et passione *secundum se* spectata refugiebat.

Advertendum venit insuper, quoniam divinitas perfectissime regebat humanitatem Christi, ut alibi diximus (3), hanc naturalem repugnantiam a morte *nullo modo retardare* aut *impedire* potuisse voluntatem Christi ut est ratio (4).

β/ Ad secundum quod spectat, nulla difficultas, quoniam quod *voluntas sensualitatis* non velit passionem, ut est malum afflictivum, eamdem vero velit *voluntas proprie dicta*, et quidem *per modum rationis* considerata, hoc denotat sane diversitatem voluntatum, ut explicavimus

---

(1) *Ibidem* et cfr *Collat. Brugen*, V (1900), p. 408 s.

(2) Dicitur *per se considerata*, nam *per participationem* poterat impedire voluntatem proprie dictam ; sub hoc porro respectu consideratur infra.

(3) Supra p. 168 s. et p. 190, n. 2.

(4) Unde, ut explicatur *Sum. theol.*, III, q. 18, a. 6, ad 3, agonia, a voce græca ἀγωνία, quæ dicit luctam seu certamen, « non fuit in Christo quantum ad partem animæ rationalem ».

supra, sed, quum de eadem voluntate non agatur, nullatenus inducit contrarietatem.

Iterum porro considerandum est appetitum sensitivum, quem quominus actum proprium eliceret non prohibebat divina voluntas aut humana Christi voluntas superior, *nullo modo* rursum *impedire* aut *retardare* potuisse voluntatem Christi ut est ratio, eadem de causa modo prolata, quoniam videlicet divinitas humanitatem Christi perfectissime dirigebat (1).

Nunc autem testimonium Scripturæ, quod prima fronte aliquam contrarietatem voluntatum enuntiare videtur, facile intelligere et integram explicationem paucis contrahere possumus.

Secundum appetitum sensitivum simul ac secundum voluntatem proprie dictam, sed est ut natura, abhorrebat Christus a morte et passione sua, itaque orabat : « Transeat a me calix iste » ; ast hæc repugnantia naturalis nullatenus erat contraria voluntati divinæ vel voluntati humanæ Christi ut est ratio, siquidem non secundum idem obtinebat, aut non erat in eadem voluntate ; neque etiam voluntatem rationalem Christi, per modum rationis consideratam, ullo modo retardabat aut impediebat, adeoque Christus statim addebat : « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu » (2).

Unde patet quod *non obstante diversitate in objecto volito, non fuit* tamen in Christo vera *voluntatum contrarietas ;* oportet enim « distinguere inter id quod est *simpliciter unum* et [id quod est] *ordine unum* » (3) ; jam autem in Christo voluntas humana sub divina voluntate prorsus ordinata fuit, « ita quod nihil voluntate humana Christus voluit, nisi secundum quod eum velle voluntas divina disposuit » (4).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr *Sum. theol., l. c.*, ad 2.
(2) *Mt.*, xxvi, 39 coll. *Mc.*, xiv, 36 et *Lc.*, xxii, 42.
(3) *Summa contra Gentiles*, IV, 36.
(4) *Ibidem* coll. *Sum. theol., l. c.*, a. 6, c. et *Compend. theol. (Opusc. II)*, c. 232 (ed. Venetiis, a. 1587, p. 75).

III-IV.

De virtute pœnitentiæ.

Q. *Proba sequentes propositiones :*

1) *Pœnitentia salutaris non tantum mentis mutationem et novæ vitæ propositum, sed etiam detestationem et dolorem de peccato commisso comprehendit.*

2) *Actus pœnitentiæ, quæ peccatoribus necessaria est ad salutem, poni potest ex motivo cujusvis virtutis generalis, ad quam scil. omnia peccata secundum quod considerantur sub tali vel tali ratione oppositionem habent.*

R. — I. Quoad priorem propositionem.

Prænota. Juxta protestantes, pœnitentia præsupponit angores conscientiæ, elementum passivum et involuntarium in conversione, perficitur autem motu fiduciæ quo confidit aliquis per Christum mediatorem peccatum remitti et totum se tradit Deo (1).

Contra hanc doctrinam, dicimus pœnitentiam præprimis consistere in *detestatione* libera et *voluntaria* peccati commissi, idest in aversione a peccato, qua displicet nos offendisse Deum et volumus destruere peccata nostra.

Dolor est aliquod consectarium hujus detestationis. Nimirum, sicut gaudet qui conscius est se possidere bonum quod appetit, ita dolet qui novit malum, quod detestatur, sibi conjunctum esse. Porro, in hac vita, ut detestatio peccati causet in nobis dolorem, non postulatur ut apprehendatur peccatum tanquam actualiter præsens in nobis, sed sufficit ut sciamus malum hoc libera voluntate nostra aliquando *fuisse* in nobis. Præterea, quamvis dolor naturaliter consequatur detestationem peccati commissi, *liber* tamen est in sua causa quia libere detestamur peccatum, imo dolorem libere intendere possumus, recogitando in hunc finem peccata nostra quæ detestamur.

---

(1) Juxta *confessionem augustanam* (1530), art. XIII.

Tandem, etsi proprium pœnitentiæ objectum est peccatum *commissum*, tamen, inspecta mutabilitate voluntatis humanæ, pœnitentia *ex consequenti* respicit quoque peccatum *futurum*, secundum quod habet aliquid de actu prudentiæ adjunctum (1). Ex detestatione vera peccati et dolore ejus, sponte enascitur propositum vitæ novæ.

Probatur.

1) *Ex Scriptura sacra.*

Quod attinet *terminologiam*, adhibentur voces *teschouba* et *metanoia* quæ significant *etymologice* mutationem consilii, conversionem ad Deum. Adhibetur quoque verbum *niham*, quod significat *dolere*.

Quod attinet *rem* his nominibus designatam : describitur libere suscepta de peccato commisso detestatio et tristitia, cum proposito, saltem implicito, novæ vitæ.

Sufficiat paucos referre textus, præter illos quos infra citabimus juxta concilium tridentinum.

In V. T., *psalm.* L *(Miserere)*, VV. 10, 12, 14, 19 in quo pœnitentia Davidis est præprimis dolor atque detestatio de peccato commisso. — *Jer.*, VIII, 6 : « Nullus est, qui agat pœnitentiam (hebr. : qui *doleat*) super peccato suo, dicens : *quid feci ?* ». Item, *Jer.*, XXXI, 19-20 : pœnitentia est dolor de peccato commisso. — *Ezech.*, XXXVI, 31 : « Recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum ; et *displicebunt* vobis iniquitates vestræ et scelera vestra ». — Apud *Dan.*, III, 39 Azarias orat : « In animo *contrito* et *spiritu humilitatis* suscipiamur ». — *Job*, XLII, 6 agnoscit se insipienter locutum esse : « Ipse *me reprehendo*, et ago pœnitentiam (hebr. : *doleo*) in favilla et cinere ».

In N. T., pœnitentia *(metanoia)*, quam laudat Christus, continet detestationem et dolorem voluntarie assumptum de offensa Deo illata : *Matth.*, XI, 21 : « Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis,

(1) Cfr S. THOMAS, *Sum. theol.*, Suppl. III p., q. 2, a 4, c.

olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent ». — Pœnitentia Ninivitarum, a Domino laudata (*Matth.*, XII, 41), noscitur facta corde contrito et humiliato (*Jon.*, III). — Laudatur pœnitentia peccatricis, quæ *lacrimis* rigat pedes Domini, filii prodigi qui in se reversus dicit : « Pater, peccavi... jam non sum dignus vocari filius tuus » (*Lc.*, VII, 44 ; XV, 15, 17 s). — Petrus, *flevit* amare, dolens de peccato a se commisso (*Lc.*, XXII, 62).

2) *Ex natura rei.*

Sana ratio docet peccatorem non posse sperare veniam a Deo, nisi hanc præstet satisfactionem ut doleat de injuria a se facta, aut saltem, nisi hæc sit ejus dispositio actualis ut, si occurreret memoria offensæ, ea ipsi displiceret. Aliis verbis, non sufficit nova agendi ratio aut propositum novæ vitæ, sed postulatur imprimis anteactæ vitæ *detestatio* et inde consequens *dolor* de peccato patrato, *formalis* in eo qui conscius est offensæ a se illatæ, *virtualis* in eo qui non habet hujus rei actualem conscientiam.

3) *Ex doctrina Ecclesiæ.*

a/ Doctrina Ecclesiæ exponitur in sess. XIV concilii tridentini, cap. 5, *de contritione* (1), hisce verbis : « Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum (Ezech.*, XVIII, 31*)*. Et certe, qui illos sanctorum clamores consideravit : « *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* » *(Psalm.*, L, 6) ; « *Laboravi in gemitu meo ; lavabo per singulas noctes lectum meum* » *(Psalm.*, VI, 7) ; « *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* » *(Is.*, XXXVIII, 15), et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio et ingenti peccatorum detestatione manasse ».

---

(1) *Enchiridion symbolorum*, n. 897.

Unde, definitur contritio : « animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.

b/ Damnatur sub anathemate qui dixerit : 1) « Duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata » ; 2) « eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem ; demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium »; 3) « pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam » (1).

II. Quoad propositionem alteram.

Sententia communis est et certa. *Probatur* sequenti modo :

1/ Actus pœnitentiæ salutaris præcipuus est contritio. Confessio et satisfactio aliquo modo ad eam reducuntur vel sponte eam consequuntur.

Jamvero concilium tridentinum distinguit contritionem *perfectam*, quæ scil. caritate perfici contingat, et *imper-*

---

(1) *Ibidem*, n. n. 914, 915, 923. Cfr quoque n. n. 746-747. — Proverbio « *optima pœnitentia, nova vita* » exprimitur novam vitam certissimum esse *signum* quo dignoscitur pœnitentiam fuisse *veram* atque sinceram, nihil autem dicitur de iis quæ ad veram pœnitentiam constituendam postulantur.

fectam quæ « vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur » (1).

Itaque, ad mentem synodi, pœnitentia salutaris ex plurium virtutum motivo exerceri potest.

2/ Contritio salutaris definitur a concilio « animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ». Peccatum autem sumitur hic prout est offensa *Dei*, seu prout est contra *Deum* : unde fideles et *veniam a Deo* deprecantur et *satisfactionem ipsi* præstare conantur. Ceterum, Scripturæ peccatum de quo pœnitentia agendum est exhibent ut est transgressio legis divinæ. Sic etiam intelligitur quomodo terminus ad quem contritionis sit conversio ad *Deum* (2).

Jam autem, plura nos movent ad detestandum peccatum *prout est contra Deum*. *Charitas*, qua movemur in Deum, tanquam in summum bonum propter se amabile, facit ut detestemur peccatum, quatenus offendit Deum, *supra omnia dilectum*. *Spes*, qua movemur in Deum beatificatorem et auxiliatorem nostrum, detestatur offensam Dei, quippe quæ nata est impedire ut Deus nos beatificet vel et adjuvet. *Religio* tendit in honestatem cultus, adeoque refugit a peccato, quod est aliqua inhonoratio divinitatis. Et ita porro de justitia, obedientia et aliis nonnullis virtutibus dicendum est, quarum motivo formali *omne* peccatum, prout est contra Deum, oppositionem habet: virtus enim, sicut prosequitur bonum suum, ita ex amore hujus boni non potest non detestari malum oppositum.

Itaque actus pœnitentiæ salutaris ex motivo cujuslibet ex illis virtutibus poni potest.

Nota. Has virtutes vocamus *generales* seu *universales*, quia motivum earum talem habet amplitudinem ut

---

(1) *Enchir. symb.*, n, 897.

(2) Palmieri, *Tractatus de pœnitentia*, p. 18, Romæ, 1879.

omne peccatum, ei opponatur. E contrario, *particularis* est virtus, cujus motivum minorem amplitudinem habet, qua de causa determinatæ tantum speciei peccata detestari nos facit. Ita, ex motivo temperantiæ, sola peccata intemperantiæ detestamur, quia movemur amore honestatis omnino particularis quæ his tantum opponitur peccatis.

Patet igitur pœnitentiam ex motivo particularis virtutis conceptam non esse universalem. Sat multi etiam contendunt detestationem peccati, ex tali motivo assumptam, de se nondum esse actum pœnitentiæ salutaris, quia nondum consideramus peccatum prout est contra Deum, sed præscindimus adhuc a consideratione Dei seu supremi legislatoris. Secundum eos, ut pœnitentia sit salutaris, alio quoque motivo moveamur oportet præter id, quod est proprium hujus virtutis (1). Contrarium docet Billot : quia prima honestatis regula lex æterna est, qui amore honestatis moralis motus dolet de peccato, eo ipso considerat peccatum in ordine ad Deum, sive honestas amata sit honestas illa generalis quæ relucet in omnibus communiter virtutibus, sive sit honestas specialis quæ tamen aliquo modo repugnat cuilibet peccato, ut est v. g. honestas gratitudinis erga Deum, sive demum sit honestas omnino particularis, puta castitatis vel justitiæ, quo tamen in casu attritio non erit universalis ex motivo (2). Huic sententiæ favet textus concilii tridentini, sess. XIV, cap. 4, in quo ut motivum pœnitentiæ salutaris, recensetur consideratio turpitudinis peccati, nulla restrictione addita.

V. Coucke.

---

(1) *Ibidem*, p. 25.

(2) Billot, *De Ecclesiæ sacramentis*, t. II, p. 117, 141 s. Romæ, 1901.

V.

De crucifixo bonæ mortis.

Q. *Quid venit nomine crucifixi bonæ mortis? Da conditiones 1/ ad benedicendum talem crucifixum, 2/ ad lucrandam indulgentiam ipsi adnexam* (1).

Notio. — Nomine crucifixi bonæ mortis intelligimus crucifixum benedictum cujus ope indulgentia plenaria in articulo mortis acquiri potest.

Divisio. – Duplex species talium crucifixorum distingui debet: 1° alii nimirum exigunt interventum alicujus personæ determinatæ cui competit facultas communicandi ope sui crucifixi indulgentiam plenariam in articulo mortis; 2° alii vero nullam personam intermediam exigunt.

Explicatur. — I. *Crucifixi quorum ope aliquis alii communicare potest dictam indulgentiam.*

Olim, antequam Benedictus XIV per suam constitutionem *Pia mater* 5 aprilis 1747 episcopis ampliorem facultatem contulerat impertiendi benedictionem apostolicam cum adnexa indulgentia plenaria in articulo mortis, parochis sæpe concedebatur a s. Sede privilegium communicandi moribundis indulgentiam plenariam in articulo mortis ope alicujus crucifixi ab ipsis electi et amplius non mutandi (2). Similis facultas facta est quibusdam

---

(1) Cfr Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 419 ss., n. 860 ss.; Mocchegiani, *Collectio indulgentiarum*, p. 309 ss., n. 690 ss.; P. Hubertus, o. f. m., *Leer en praktijk der aflaten*, p. 62 ss.; *Revue pratique d'apologétique*, t. XIX (1919-1920), p. 504 ss.; *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XXII (1922), p. 74 sq.; *Periodica de re canonica et morali*, t. X, p. (22) et 319 sq.

(2) Cfr Rescriptum 19 sept. 1742, *Rescr. auth.*, n. 137. Indulgentia in articulo mortis crucifixo cujusdam parochi annexa. « Quotiescumque orator particularem J. C. D. N. crucifixi imaginem, quam semel electam amplius mutare nequeat, ad quemcumque christifidelem intra limites suæ parœciæ in articulo mortis constitutum, non autem in præsentia episcopi aut ubi aliquis Clericorum regularium ministrantium infirmis prævenerit, pie deferet, si hic vere pœnitens et confessus ac s. Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem

religiosis, v. g. Societatis Jesu (1) et Ordinis clericorum regularium infirmis ministrantium s. Camilli de Lellis (2), quæ facultas hodiedum perseverat. Imo, anno 1893 superioribus religiosarum in publicis nosocomiis civitatis Parisiensis inservientium facultas concessa est adnectendi crucifixis earum indulgentiam plenariam in articulo mortis, ut nimirum unaquæque ope sui proprii crucifixi laudatam indulgentiam communicare valeret moribundis alio quocumque religionis auxilio destitutis (3).

Quod conditiones spectat usus talium crucifixorum, stricte standum est terminis singularum concessionum (4).

---

contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus, corde devote invocaverit, imaginem hujusmodi a præfato oratore, non autem ab alio porrectam, osculatus fuerit seu tetigerit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequatur ». Decreto vero S. C. Ind. 30 maii 1744, *Decr. auth.*, n. 144, declaratur imaginem crucifixi quæ parochis pro impertienda benedictione cum indulgentia plenaria in articulo mortis conceditur, etiam ipsimet parocho cui concessa est, in articulo mortis constituto suffragari, etiam si ab alio ejusmodi imago eidem porrigatur.

(1) Cfr *Rescr. auth.*, Pars II, Summaria indulgentiarum, n. 74, Summarium indulgentiarum Societati Jesu concessarum, 12 : « Religiosis Societatis deferentibus osculandam vel tangendam imaginem crucifixi, (quam semel electam mutare non licet, nisi in eventu amissionis), cuicumque infirmo confesso et s. Communione refecto, vel saltem invocanti nomen Jesu, ut plenariam indulgentiam applicare possint, concessit Alexander VII... brevi *Ut saluti*, 25 jan. 1656 ».

(2) Cfr *Rescr. auth.*, Pars II, n. 76, similis facultas ac supra pro jesuitis ex eodem brevi Alexandri VII, quamvis non iisdem verbis expressa. Adverte quod in tribus his concessionibus citatis non conceditur parochis vel religiosis facultas benedicendi crucifixum eique adnectendi laudatam indulgentiam, sed quisque eligit aliquem crucifixum, et hic eo ipso ex potestate s. Pontificis efficitur crucifixus bonæ mortis.

(3) Cfr *Revue pratique d'apologétique*, t. XIX, 1919-20, p. 505. Ex parte moribundi requirebatur dolor de peccatis et osculum vel tactus crucifixi.

(4) Vide in notis superioribus, ubi duo adverte, nimir. 1/ requiri interventum personæ determinatæ præsentantis crucifixum ; 2/ inter conditiones non exprimi acceptationem mortis de manu Dei.

II. — *Crucifixi quorum usus non exigit interventum alterius personæ.*

Hi iterum ulterius subdividuntur *a*/ in crucifixos cum adnexis indulgentiis apostolicis, et *b*/ in crucifixos dictos toties quoties.

1°/ *Crucifixi ditati indulgentiis apostolicis.*

Inter indulgentias apostolicas numeratur indulgentia plenaria in articulo mortis. Antea quidem, usque ad Benedictum XV inclusive, indulgentiæ apostolicæ erant *personales*, seu, juxta decretum Alexandri VII, 6 februarii 1657, non transibant personam illorum pro quibus objecta pia benedicta erant, vel illorum quibus ab iis prima vice fuerant distributa. Nunc autem etiam indulgentiis apostolicis applicandus est canon 924 § 2, uti respondit s. Pœnitentiaria 18 februarii 1921 (1), seu aliis verbis hæ indulgentiæ factæ sunt simpliciter *reales*. Unde quod spectat facultatem lucrandi indulgentiam plenariam in articulo mortis, crucifixi cum indulgentiis apostolicis æquiparantur crucifixis toties quoties.

2°/ *Crucifixi dicti toties quoties.*

Sunt crucifixi quibus ab habente facultatem adnectitur indulgentia plenaria quam quicumque christifidelis in mortis articulo constitutus acquirere valet, dummodo statutas conditiones mox describendas adimpleat (2).

Condiciones A. ad *benedicendum* crucifixos sub II, 1°/ et 2°/ descriptos.

Breviter tantum recolimus quæ fuse diximus supra

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXI (1921), p. 252. Dubium propositum sic sonat : « Utrum canon 942, § 2... juxta quem indulgentiæ coronis aliisve rebus adnexæ, tunc tantum cessant, cum coronæ aliæve res prorsus desinant esse vel vendantur, abrogaverit decretum. . Alexandri VII... [de quo in textu] ». Respondit s. Pœnitentiaria : *Affirmative.*

(2) Cfr Decretum seu declaratio s. Officii, 11 junii 1914 apud *Collat. Brugen.*, t. XXVII, p. 232 sq. Quivis ergo moribundus potest ope talis crucifixi semel in eodem morbo lethali titulum acquirere ad indulgentiam plenariam in articulo mortis.

de indulgentiis realibus in genere (1), nimirum, oportet ut imago Jesu-Christi sit ex debita materia, tantillum saltem prominens supra crucem (2), et ut debito ritu, id est unico signo crucis, ab habente facultatem (3) benedicatur, servatis clausulis restrictivis si forte in concessionibus occurrant (4).

Conditiones B. ad *lucrandam indulgentiam* plenariam in articulo mortis ope illorum crucifixorum.

a/ Conditiones *communes* pro utrisque crucifixis sunt conditiones statutæ in instructione Benedicti XIV, *Pia mater*, 5 aprilis 1747, de qua supra, nimirum ut ægrotus in articulo mortis constitutus (5), confessus ac s. communione refectus, vel, si id facere nequiverit, saltem contritus, ss. nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocet, et mortem tamquam peccati stipendium

---

(1) Cfr *Collat. Brugen*, t. XXVII (1927), p. 121 ss.

(2) Adverte autem quod indulgentiæ *apostolicæ* possunt adnecti non tantum crucifixis, sed et simplicibus crucibus, necnon coronis, rosariis, parvis statuis, numismatibus.

(3) Omnes sacerdotes ad excipiendas sacramentales confessiones approbati possunt obtinere a s. Pœnitentiaria (Palazzo del Ufficio, via del Ufficio, Roma) facultatem tum applicandi objectis piis indulgentias apostolicas tum benedicendi crucifixos toties quoties. Aliunde plures sodalitates membris suis alterutram vel utramque facultatem communicant: ita sacerdotes Piæ unionis a transitu s. Joseph, zelatores operis propagationis fidei, sacerdotes tertiarii s. Francisci adscripti congregationi sacerdotali Iseghemii fruuntur facultate applicandi indulgentias apostolicas; sacerdotes vero Unionis apostolicæ cleri sæcularis (*Omnia pro Jesu*), item Piæ Unionis cleri pro missionibus, zelatores sodalitatis Nostræ Dominæ a bona morte, utraque fruuntur facultate tum scilicet applicandi indulgentias apostolicas, tum benedicendi crucifixos toties quoties.

(4) Ita in concessione utriusque facultatis a s. Pœnitentiaria obtenta, additur clausula: de consensu Ordinarii.

(5) Attende in omnibus concessionibus citatis agi de ægrotis in periculo mortis versantibus. Quæstioni ergo utrum damnatus ad pœnam capitalem subeundam, vel milites ad prælium proficiscentes possint ope crucifixi bonæ mortis lucrari indulgentiam plenariam in articulo mortis, respondendum censemus negative. Possunt hi alio modo sibi laudatam indulgentiam comparare, v. g. per anticipatam acceptationem mortis, de qua in proximo quodam responso (S. C. Ind. 9 mart. 1904).

de manu Domini patienter suscipiat (1) : unde tres, ut nobis tutius videtur, sunt conditiones consuetæ, scilicet 1. confessio et communio, vel, suppletorie contritio, 2. invocatio vocalis aut saltem interna nominis Jesu, 3. acceptatio mortis de manu Domini (2).

b/ Conditio *specialis* 1. pro *crucifixis*, aliisque objectis ditatis *indulgentiis apostolicis :*

« Ut quis valeat indulgentias apostolicas lucrari, necesse est ut aliquam ex rebus benedictis ab ipso s. Pontifice, vel a sacerdote facultate prædito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat » (3).

2. pro *crucifixis toties quoties :*

Sufficit ut ægrotus talem crucifixum osculetur aut

---

(1) Inter apostolicas indulgentias Pii XI, n. 8, tamquam conditio ad indulgentiam plenariam in articulo mortis exigitur ut ægrotus animam suam devote Deo commendet et paratum se exhibeat obsequenti animo mortem a Deo opperiri : hæc, ut videtur, non constituunt duas conditiones distinctas sed continentur in patienti mortis acceptatione de qua in textu.

(2) Alii tamen duas tantum exigunt conditiones ordinarias, quæ sunt nimirum 1. confessio et s. Communio, *vel* suppletorie contrita invocatio nominis Jesu, 2. acceptatio mortis : ita *Nederlandsche katholieke stemmen, t. c.*, p. 74, P. Hubertus, *o. c.*, p. 63, et vide supra indultum jesuitarum, p. 289, n. 1 recitatum : in hoc tamen puncto datur discrepantia ab eodem indulto religiosorum s. Camilli. Nostra interpretatio, quæ invocationem nominis Jesu ab omnibus exigit tamquam conditionem ordinariam, ex ipsis verbis utriusque concessionis, qualis a s. Pœnitentiaria obtinetur, deducenda videtur, quemadmodum tamquam conditio sine qua non habetur ad recipiendam benedictionem apostolicam in articulo mortis. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 421, n. 861, 6, coll. p. 574, n. 1027.

(3) Cfr Indulgentiæ apostolicæ Pii XI, monitum 3. Antea dicebatur : « Ut... in propria deferant persona... Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo vel alio decenti loco suæ habitationis retineant, et coram eo devote præscriptas preces recitent ». An tamen sufficit, v. g. in hospitalibus, ubi crucifixus sororis est indulgentiis apostolicis ditatus, præsentia istius crucifixi in hospitali ut omnes morientes inde lucrentur indulgentiam plenariam in articulo mortis ? Non videtur, sed tutius erit ut singulis morientibus talis crucifixus commodetur ac in cubiculo aut ad lectum eorum appendatur. Cfr *Nederlandsche katholieke stemmen, t. c.*, p. 74, nota (2).

quomodocumque tangat, quin crucifixus in domo remanere debeat (1). A. LEGRAND.

VI.

De prohibitione librorum.

Q. *Quosnam actus afficit prohibitio alicujus libri facta sive per legem generalem sive per decretum speciale ?*

R. Respondet codex in can. 1398, § 1 : « Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec *edi*, nec *legi*, nec *retineri*, nec *vendi*, nec in aliam linguam *verti*, nec ullo modo cum aliis *communicari* possit ».

Ex hoc textu patet sex actiones sub ipsa prohibitione cadere. Hae vero non absolute prohibentur ; sed tantum ne fiant *absque debita licentia* (2).

In sequentibus explicamus quid, secundum communem auctorum interpretationem, illæ actiones comprehendant. Hinc inde tamen, ob momentum practicum, quædam inserimus de obligatione conscientiæ, quam illæ prohibitiones pariunt. Inde :

1/ *Editio* dicitur actus illius qui librum publici juris facit, seu qui curat ut liber vulgetur et disseminetur. Inde editio primarie et principaliter fit ab *editore*, qui nempe opus impressum divulgandum curat ; fit quoque ab *auctore*, in quantum curat ut liber in vulgus mittatur. An *typographus* seu typographicæ officinæ dominus, qui opus mere imprimit, *qua talis* inter editores veniat probabiliter negatur, quum quod ab Ecclesia prohibetur non sit libri compositio aut impressio, sed ejus editio

---

(1) Hæc conditio jam videtur unicam constituere differentiam in modo obtinendi laudatam indulgentiam, inter crucifixos cum indulgentiis apostolicis et crucifixos toties quoties.

(2) Hanc licentiam concedere potest Ordinarius loci, vi facultatum quinquennalium quas a S. Sede recipit. — Uti patet, in toto hoc responso unice agimus de librorum prohibitione stricte dicta.

seu in vulgus missio (1). At « edentibus librum præstat sæpissime cooperationem *formalem*, et semper cooperationem *materialem proximam*. Qua cooperator formalis contrahit necessario malitiam editionis libri pravi, quæ est actio intrinsece mala ; qua præstans cooperationem materialem proximam excusari tantum potest in casu extremi mali vitandi. A fortiori opifices excluduntur a prohibitione positiva; illisque applicanda tantum veniunt principia in materia cooperationis materialis quæ cæteroquin relate ad editionem nunc prohibitam remota tantum est » (2).

2/ *Lectio* proprie dicitur actus quo quis visu percurrit et mente percipit quæ scripta sunt. Necesse non est ut verbis articulentur vel ore pronuntientur quæ in libro continentur: sufficit si oculis perlustrentur.

Non legit, et proinde ex hoc capite legem positivam non violat :

a/ qui idioma ignorans quo liber est conscriptus, materialiter tantum illum oculis perlustrat, et mechanice quasi illum percurrit ;

b/ qui memoriter recitat locum quem olim didicit ;

c/ qui mere audit legentem; etiam probabiliter juxta

---

(1) Non audemus hanc sententiam proponere ut probabiliorem, uti facit A. De Meester, *Compendium juris canonici*, t. III, p. 278. Nam communius tenent auctores typographum seu typographiæ dominum probabiliter venire nomine editoris, et proinde positiva hac prohibitione directe attingi. Vide Claeys-Bouuaert-Simenon, *Manuale juris canonici*, p. 553 ; Génicot-Salsmans, *Institutione theologiæ moralis*, ed. 11a, t. I, p. 381.

(2) Ita A. De Meester, *l. c.*, — Apud *Collat. Gaudav.*, 1923 p. 68, tractatur de responsabilitate administratorum in *societate anonyma*, sequenti modo : « Si typographia in *societatem anonymam* vel *cooperativam* constituta est, quæritur utrum socii participantes, ut *edentes* considerandi sint. Respondetur : non per se, nec ordinarie de facto *actionarii*, cum reapse nullum in directionem influxum habeant. Excipiatur tamen casus quo, per accidens, illum influxum exercere possint. Per se vero et ordinarie *administratores* ut *edentes* habendi sunt. Quamvis enim generatim in quotidianam gestionem haud interveniant, ex munere suo operationes cognoscere possunt ac debent et efficaciter in eas influere possunt. Excipiatur tamen casus quo, per accidens, ille influxus produci nequeat ». Cfr *Conc. prov. Mechl.* decr. n. 120.

nonnullos, si hunc consilio, prece, vel jussione ad legendum induxerit (1). Unde ex. gr. professor qui legendi librum facultatem habet, poterit sine scrupulo aliis legere etiam longiorem tractum, modo per congruam explicationem et refutationem omne periculum amoveat (2);

d/ qui petit ab illo, qui licite aut illicite legerit, ut materiam in libro conscriptam referat (3).

Hac occasione quæri potest de *materia gravi* in lectione libri prohibiti. Cui quæstioni apte respondetur distinguendo inter prohibitionem vi juris naturalis et vi juris positivi. Et ideo :

Inspecto solo jure naturali lectio cujuscumque libri erit dicenda graviter mala, quæ proximum periculum fidei vel moribus legentis infert Hoc autem periculum æstimandum est inspectis tum indole et qualitatibus legentis, tum qualitate et quantitate materiæ prohibitæ. De quibus omnibus, objective spectatis, judicabit prudens confessarius vel consiliarius.

Inspecta *sola lege positiva* ea est materia gravis, quam Ecclesia in suis legibus censenda est sub gravi prohibuisse. Porro ad determinandam hanc gravitatem, ex

---

(1) Ita fert sententia communior, nitens ratione sequenti: « quia audiens, sive inducat, sive non inducat legentem, vere non legit: lex autem imponens pœnam facienti non comprehendit mandantes vel consulentes nisi id exprimat ». — Alii tamen cum Hollweck, *o c.*, p. 24. nota 1, huic rationi objiciunt aliquam rigorosam litteræ inhæsionem, qua finis legis eludi possit. Et hodie quidem ex can. 2331, qui mandato aut jussione aliquem ad legendum libros sub sanctione pœnali prohibitos (can. 2318, § 1) efficaciter induxerint ita ut sine eorum opera delictum commissum non fuisset, tenentur eadem pœna ac legentes. — Objectioni tamen præcitatæ respondent Doctores : « Finis legis non est lex; difficilius aliquis reperiet prælegentem quam ipse legat; nec repugnat quin lex positiva deficiat in casu rariore, etiam qui potiore jure secundum se foret attingendus. Hoc non est vitio legis tribuendum, sed varietati casuum contingentium: neque rationem præbet sufficientem, cur in lege odiosa deseras strictam verborum proprietatem. »

(2) Cf. De Meester, *o. c.*, n. 1360, 2°.

(3) An et quousque peccet ille qui, similibus artibus, legem eludere quærat, pendet tum e malitia intentionis, tum ex indole ipsius materiæ conscriptæ, tum e scandalo producto. Cfr *Collat. Gandav.*, *l. c*,

intentione legislatoris ut regula probabilius tradi potest: « quæ materia *ex se*, seu plerisque, ob periculum proximum, *gravis* fuerit secundum legem naturalem, eadem *simpliciter* seu *omnibus gravis* est reputanda in violanda lege positiva, etsi *per accidens*, in casu particulari, minus fuerit periculum » (1).

Sane, in determinanda hac materia ratio habenda est circumstantiarum nostri temporis, quo fere nemo est qui contra religionem vel etiam mores quædam non audierit vel legerit.

Hanc autem regulam generalem auctores ulterius determinarunt, ratione habita tum quantitatis tum qualitatis materiæ lectæ, cum ex illo duplici fonte materia gravis esse possit, quamvis utique mensura gravis peccati minus e numero linearum quæ percurruntur sit sumenda, quam e fine legis.

Ita : *a*/ propter *quantitatem* materiæ lectæ :

α) In libro in quo abundant argumenta contra fidem vel descriptiones lascivæ, lectio quinque paginarum *incognitæ naturæ* erit materia gravis propter periculum proximum incidendi in locos graviter periculosos ;

β) In libro, qui tantum periculosus evadit ex diuturna lectione, quia tendentia generalis qua scriptus est perniciosa est, decima tantum pars potest censeri esse materia gravis ;

γ) si *constiterit* in aliqua libri parte abesse periculi rationem et vim alliciendi ad cetera legenda, illa pars, quæcumque sit, non censenda est materia notabilis ;

δ) imo, quamvis quicumque liber prohibetur præsumatur sub gravi prohibitus, tamen leviter tantum mala est lectio, etiam totius libri omnino innocui, qui prohibitus est tantum quia sine requisita licentia editus est, qualis est liber novam devotionem bonam inducens.

b/ propter *qualitatem* materiæ lectæ : notabilis esse

---

(1) VERMEERSCH, *De censura et prohibitione librorum*, n. 57.

potest quilibet locus etiam brevior, quia in se graviter periculosus. Ita si quis etiam unam paginam legit, in qua advertit contineri quæ, ut valde obscæna vel sophisticas seu captiosas continentia rationes contra fidem, directe fidei vel bonis moribus adversentur, graviter peccabit, cum præsumptio periculi communis gravis habeatur (1).

3/ *Retentio* prohibita habetur « quando aliquis *apud se* conservat librum, sive proprium, sive alienum, puta depositum vel commodatum ; aut etiam quando quis retenta libera dispositione, librum deponit *apud alium*, excepto tamen probabiliter si librum deponat penes habentem licentiam cum voluntate explicita aut implicita illum non repetendi nisi ipse prius facultatem retinendi obtinuerit ; in hoc enim casu, licet taliter agens vere retineat, tamen ex benigna interpretatione legis non illicite videtur retinere, quum adaequate cesset periculum *legendi* » (2).

« Qui ob ignorantiam idiomatis librum aliquem legere non valeat, tamen illum retinere non potest. Custos bibliothecæ non censetur retinere libros, quia nec in propria domo nec proprio nomine libros servat. Eodem modo compactores librorum (boekbinders) non dicuntur retinere libros, quamvis eos quidem per aliquod tempus actu habeant. Cœteroquin facile excusantur, si libros prohibitos pro habente facultate compingant, et etiam pro non habente, sive ob eorum ignorantiam, sive ob damnum proportionate grave, quod secus paterentur » (3). Ita favet usus, cui nihil in codice diserte adversatur.

Qui habet librum prohibitum, jam non tenetur uti sub jure antiquo illum tradere Ordinario loci vel Inquisitori,

---

(1) Cfr Claeys-Bouuaert-Simenon, *o. c.*, *l. c* ; Vermeersch, *l. c.* ; Salsmans, *o. c.*, p. 382. Uti notat ultimus auctor : « Hæc mensura gravitatis reatus applicanda est etiam publicationibus periodicis in fasciculos ligatis ».

(2) Cfr A. De Meester, *o. c.*, n. 1360, 3°.

(3) Cfr Claeys-Bouuaert-Simenon, *l. c.*

sed debet aut illum destruere, aut tradere habenti facultatem, aut petere licentiam illum retinendi. « Idem per se præstandum erit », ait Salsmans, « si liber pertinet ad alium facultate carentem ; neque in non reddendo justitia læditur ; licebit tamen librum reddere domino, si aliter vitari nequit notabile incommodum, ex. gr. si dominus ob omissam restitutionem amicitiam rumpat, gravem tristitiam patiatur, etc » (1).

Aliquando retinere possunt librum qui illum retinent ob extrinsecum valorem, propter ornatum ligaturæ vel ipsius textus aut meritum ipsius impressionis. Hoc præsertim valet de libro qui raro legitur et ideo formalem naturam libri quasi amittat. Hoc vero casu suadendum est ut retinens facultatem ad hoc petat.

4/ *Venditio* indicat præprimis actum habendi libros venales seu ipsos habitualiter ex officio vendendi. Insuper tamen venditio mere casualis et adventitia etiam prohibetur, nisi emens debita præditus sit licentia. Quod venditionem *habitualem* spectat, notandus est can 1404, qui eam licentiæ a. S. Sede impetrandæ submittit. Et casu quo illa obtinetur canon prædictus statuit libros de obscenis ex professo tranctantes nullo modo posse vendi, commodari vel retineri ; ceteros prohibitos vero illis emptoribus tantum posse vendi, de quibus prudenter existimare possit illos legitime peti.

5/ *Versio in aliam linguam.*

6/ *Communicatio* aliis debitam licentiam non habentibus, sive per largitionem, sive per commodationem, aliove quovis modo. Hic notari potest præscriptum can. 1403 : « Qui consecuti sunt facultatem legendi ac retinendi libros prohibitos, *gravi* præcepto tenentur illos ita *custodiendi*, ut hi ad aliorum manus non perveniant ».

J. Brys.

---

(1) Génicot-Salsmans, *o. c.*, p. 882.

Acta SS. Congregationum

E S. Congr. de Sacramentis

De facultate facta sacerdotibus-adoratoribus infirmis communicandi jejunio non servato (1).

Beatissime Pater. — Procurator generalis Cong.nis Presbyterorum a SS.mo Sacramento, ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quod aliqua dubia exorta sunt circa interpretationem Rescripti diei 29 martii 1926, quo facultas conceditur Sacerdotibus-Adoratoribus, tempore infirmitatis, accedendi ad S. Communionem more laicorum, postquam sumpserint aliquam medicinam vel aliquid per modum potus.

Quæritur nempe de clausula : « præmonito Ordinario loci eiusque obtenta venia ».

I. An ipsa possit ita intelligi ut Ordinarius valeat semel pro semper ac modo generali, per actum in Commentario officiali Diœcesis publicatum, hanc veniam concedere sodalibus qui in conditionibus requisitis invenientur ?

II. An Ordinarius possit subdelegare, v. g. vicarios foraneos, vel superiores domorum religiosarum clericalium pro suis subditis in Associationem legitime adscriptis, ad concedendam in singulis casibus veniam.

III. Quomodo possit provideri ut Sacerdotes-Adoratores non priventur S. Communione per plures dies qui necessarii sunt pro recursu ad Ordinarium loci et pro accipienda eius responsione ?

Resp. — Sacra Congregatio de Sacramentis ad dubia proposita respondit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative*, sed expedit ut Ordinarius hanc subdelegationem non tribuat ultra annum.

---

(1) Desumptum ex periodico *Il monitore ecclesiastico*, apr. 1927, p. 97 s. et cfr *Collat. Brugen.*, XXVII (1927), p. 14, n. 2.

Ad III. Provisum in II.

Datum Romæ ex Aedibus Sacræ Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 4 februarii 1927.

† M. Card. Lega, Ep. Tuscul., *Præfectus.*

L. † S. D. Jorio, *Secretarius.*

E S. Congr. Concilii

Epistola ad Ordinarios Belgii (1).

Reverendissime Domine,

Quæ Ordinariis Nationis Belgicæ ad hanc Sacram Congregationem retulerunt de puerorum ac adolescentium religiosa institutione, manifestant Clerum, omni qua par est diligentia, rei tanti momenti incumbere. Religiose nempe servantur ea quæ in Concilio provinciali Mechliniæ habito anno 1920 pro institutione catechetica provehenda providentissime statuta sunt, præscriptum præsertim de officio parochorum semel in hebdomada in parœciis doctrinæ christianæ tradendæ, et publicas scholas, in quibus institutio religiosa traditur, diligenter invisendi vel per se vel per vicarios.

Cui quidem præceptum peropportune additum est quod sequitur: « Quodsi doctrina christiana in scholis a « magistris non traditur, curent ut hoc munus ab aliis, « sive sacerdotibus, sive laicis, obeatur ».

Illud etiam est in communi Vestra laude ponendum quod in tradenda doctrina Religionis, eam adhibeatis methodum quæ rerum discendarum captum reddat faciliorem, uti videre licet ex Decanorum relatis, qui officium curamque habent in omnibus sui districtus scholis inspectiones peragendi, ac de ratione traditæ institutionis ac de discipulorum profectu ad Ordinarios quotannis referendi.

---

(1) Epistola hæc transmissa fuit ad ill. ac rev. D. Archiepiscopum, die 17 maii 1927.

Cum autem inspectio eadem, optimo quidem consilio, etiam in scholis collegiorum peragenda sit, illud feliciter evenit, ut in iisdem religiosa alumnorum institutio, quod maximi momenti est, non modo fiat, sed ea ratione expleatur quæ tantæ rei adamussim conveniat.

Doctrinam vero christianam, vi legis civilis, tradi posse in scholis publicis tum primariis tum mediis, magnum est Dei beneficium ; quo quidem beneficio large et uberius est utendum, ut salutares inde fructus percipiantur.

Qua in re illud est etiam curandum ut idonei, sive sacerdotes sive pii laici præsto esse possint catechismo tradendo loco magistrorum, qui munus docendi christianam doctrinam renuerint adimplere.

Ceterum, quod caput rei est, vires omnes eo sunt dirigendæ ut institutio religiosa et in publicis scholis et in parœciis scite et diligenter impertiatur, quo fiat, ut pueri ac adolescentes doctrina præceptisque Religionis, uti decet, imbuti, ad vitam christianam rite instituendam a primis annis cura præcipua formentur.

De studio atque opera ab Ordinariis istius Nationis adhibitis in re tanti momenti vehementer gratulor, simul vota fundens ut institutio catechetica uberiores semper pariat fructus in bonum Ecclesiæ et societatis, itemque rogo, ut, ad normam « Motu Proprio » SS. D. N. Pii PP. XI diei 29 junii 1923, sub finem anni 1930, de opera in hoc genere posita ad hanc Sacram Congregationem ab iisdem Ordinariis relatio mittatur.

Faveat Amplitudo Tua hæc omnia istius Belgicæ Nationis Ordinariis patefacere. Interim, quo par est obsequio, me profiteor.

Amplitudini Tuæ
Addictissimum uti Fratrem

Card. D. Sbarretti

Præfectum

Julius ep. tit. Lampsacen.
Secretarius.

E S. Pœnitentiaria apostolica

OFFICIUM DE INDULGENTIIS

ACTUS SOLLEMNIS DEDICATIONIS HUMANI GENERIS IN FESTO D. N. IESU CHRISTI REGIS INDULGENTIIS DITATUR (1).

Pius PP. X, f. r., die 22 augusti 1906, decrevit ut die festo SSmi Cordis Iesu in ecclesiis parœcialibus, itemque in iis ubi idem festum peculiariter celebraretur, annua renovatio dedicationis humani generis SSmo Cordi Iesu sollemniter perageretur, idest cum recitatione formulæ consecrationis et litaniarum eiusdem SSmi Cordis coram augusto Sacramento publicæ adorationi exposito, et pro eadem sollemni dedicatione benigne concessit Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum christifidelibus, qui, saltem contrito corde, piæ cæremoniæ interessent et ad mentem Summi Pontificis orarent; plenariam vero iis, qui præterea confessi ad sacram Mensam accederent. Cum autem, ex Litteris Encyclicis *Quas primas*, Ssmi D. N. Pii PP. XI, sollemnis eiusmodi dedicatio quotannis renovanda sit die festo D. N. Iesu Christi Regis, in Audientia die 4 februarii 1927 infrascripto Cardinali Pœnitentiario Maiori data, placuit eidem Ssmo D. N. decernere, præfatas Indulgentias, a s. m. decessore suo Pio X concessas, eodem die festo acquiri haud aliter quam die festo Ssmi Cordis Iesu, in quo dedicatio adhuc fieri potest ad libitum iuxta Rescriptum Sacræ Rituum Congregationis diei 28 aprilis 1926, ea tamen lege, ut adhibeatur, in utroque casu, formula ab eadem Sacra Congregatione die 17 octobris 1925 vulgata. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, in ædibus S. Pœnitentiariæ, die 15 februarii 1927.

Fr. Andreas Card. Frühwirth, *Pœn. Maior*.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 159.

Legislatio civilis

Wet wijzigende de wetsbepalingen betreffende de scheiding van tafel en bed (1).

ALBERT, Koning der Belgen,

Aan allen, tegenwoordigen en toekomenden, HEIL.

De Kamers hebben aangenomen en Wij bekrachtigen hetgeen volgt :

Eenig artikel. De artikelen 310, 311, 313 en 1449 van het Burgerlijk Wetboek worden aangevuld en gewijzigd als volgt :

Art. 310. Wanneer de scheiding van tafél en bed, uitgesproken om eenige andere oorzaak dan die van overspel, drie jaren heeft geduurd, heeft de echtgenoot, die oorspronkelijk verweerder was, het recht een eisch tot echtscheiding in te stellen bij de rechtbank en deze kan die toestaan indien de oorspronkelijke eischer, aanwezig of behoorlijk geroepen, er niet onmiddellijk in toestemt de scheiding van tafel en bed te doen ophouden.

Art. 311*bis*. Artikel 299 is van toepassing op de scheiding van tafel en bed.

Art. 313. De man zal, door zich op zijne natuurlijke onmacht te beroepen, het kind niet kunnen ontkennen ; hij kan het niet ontkennen zelfs op grond van overspel, tenware de geboorte voor hem werd verborgen gehouden ; in dit geval wordt hij toegelaten om alle feiten bij te brengen die kunnen bewijzen dat hij er de vader niet van is.

In geval van vonnis of zelfs van eisch tot echtscheiding of tot scheiding van tafel en bed, kan de man ontkennen dat het kind, geboren drie honderd dagen na de beslissing, waarbij de vrouw werd gemachtigd eene afzonderlijke woonplaats te hebben, en minder dan honderd tachtig dagen sedert de bepaalde afwijzing van den eisch of sedert de verzoening, zijn kind is. De rechtsvordering

(1) *Belgisch Staatsblad*, 11-12 april 1927, bl. 1751 v.

tot ontkenning is niet ontvankelijk, indien de vrouw bewijst dat de echtgenooten feitelijk vereenigd zijn geweest.

Art. 1449. De van tafel en bed gescheiden vrouw heeft het volle genot van hare burgerlijke bevoegdheid, zonder dat zij genoodzaakt is de machtiging van haren man of van den rechter te vragen.

De vrouw, die enkel van goederen is gescheiden, herneemt daarvan het vrije beheer.

Zij kan over haar roerend goed beschikken, en het vervreemden.

Zij kan hare onroerende goederen niet vervreemden zonder toestemming van den man, of zonder daartoe, op zijne weigering, in rechten te zijn gemachtigd.

Kondigen de tegenwoordige wet af, bevelen dat zij met 's Lands zegel bekleed en door den *Moniteur* bekend gemaakt worde.

Gegeven te Brussel, den 20n maart 1927.

Loi portant modification au régime de la séparation de corps (1).

ALBERT, Roi des Belges,

A tous, présents et à venir, SALUT.

Les Chambres ont adopté et Nous sanctionnons ce qui suit :

Article unique. Les articles 310, 311, 313 et 1449 du Code Civil sont complétés et modifiés comme suit :

Art. 310. Lorsque la séparation de corps prononcée pour toute autre cause que pour cause d'adultère aura duré trois ans, l'époux qui était originairement défendeur aura la faculté de demander le divorce au tribunal, qui pourra l'admettre si le demandeur originaire, présent ou dûment appelé, ne consent pas immédiatement à faire cesser la séparation.

Art. 311*bis*. L'article 299 est applicable à la séparation de corps.

---

(1) *Moniteur belge*, 11-12 avril 1927, p. 1751 s.

Art. 313. Le mari ne pourra, en alléguant son impuissance naturelle, désavouer l'enfant ; il ne pourra le désavouer même pour cause d'adultère, à moins que la naissance ne lui ait été cachée, auquel cas il sera admis à proposer tous les faits propres à justifier qu'il n'en est pas le père.

En cas de jugement ou même de demande en divorce ou en séparation de corps, le mari pourra désavouer l'enfant né trois cents jours après la décision qui aura autorisé la femme à avoir un domicile séparé et moins de cent quatre-vingts jours depuis le rejet définitif de la demande ou depuis la réconciliation. L'action en désaveu ne sera pas admise si la femme prouve qu'il y a eu réunion de fait entre les époux.

Art. 1449. La femme séparée de corps a le plein exercice de sa capacité civile, sans qu'elle ait besoin de recourir à l'autorisation de son mari ou de justice.

La femme séparée de biens seulement en reprend la libre administration.

Elle peut disposer de son mobilier et l'aliéner.

Elle ne peut aliéner ses immeubles sans le consentement du mari, ou sans être autorisée en justice, à son refus.

Promulguons la présente loi, ordonnons qu'elle soit revêtue du sceau de l'Etat et publiée par le *Moniteur*.

Donné à Bruxelles, le 20 mars 1927.

Adnotationes.

Sollicitatio separationis corporum olim in gratiam catholicorum introducta est (1). Hæc enim toleratur dummodo adsint, judicio Ordinarii loci, justæ causæ separationis. Contra, divortium civile sollicitari non potest, absque urgentissima et gravissima causa, ab Ordinario cognoscenda. Rationes exponuntur in decreto 81 concilii provincialis mechliniensis.

Jamautem, 1) non reputabatur sufficiens causa

(1) Cfr Desmet, *Tractatus de sponsalibus et matrimonio*, ed. 4a, Brugis, 1927, n. 376.

dispositio art. 310 : « Lorsque la séparation de corps prononcée pour toute autre cause que l'adultère de la femme aura dure trois années, l'époux qui était originairement défendeur pourra demander le divorce au tribunal, qui *l'admettra*, si la demandeur originaire, présent ou dûment appelé, ne consent pas immédiatement à faire cesser la séparation ».

Juxta novum tenorem art. 310, jam propositum ab Alex. Braun, 7 aprilis 1905, separatio *non debet* converti in divortium ; conversio relinquitur discretioni judicis.

2) Uxor separata hucusque manebat juridice incapax, ita ut sine viri consensu, bona immobilia alienare non posset, quamquam auctoritate judicis defectui maritalis consensus suppleri poterat. Porro incommodum illud passim non erat sufficiens ut potius divortium quam separatio corporum postularetur. Nunc autem, mutato art. 1449, plenum exercitium capacitatis civilis habet, ita ut etiam immobilia bona alienare possit, quin consensum viri expetere aut ad judicem recurrere debeat.

3) Exceptionaliter sufficere poterat periculum intrusionis prolis adulterinæ. Nimirum, vi art. 312 statuitur : « L'enfant conçu pendant le mariage a pour père le mari. Néanmoins celui-ci pourra désavouer l'enfant, s'il prouve que, pendant le temps qui a couru depuis le trois centième jusqu'au cent quatre-vingtième jour avant la naissance de cet enfant, il était, soit par cause d'éloignement, soit par l'effet de quelque accident, dans l'impossibilité *physique* de cohabiter avec sa femme ». Hæc autem probatio, quæ per se jam difficilis est, potest malitiose reddi inefficax ab uxore subrepticie domum conjugalem frequentante.

Vi art. 313 sufficit quidem ad repudiandam paternitatem, *moraliter* fuisse impossibile cohabitare cum uxore adultera per tempus legale conceptionis, in art. 312 determinatum, sed additur conditio, quod nempe constet de occultatione nativitatis prolis. Utrumque requisitum non facile probatur.

Nunc autem, vi paragraphi additæ, in casu sententiæ vel sollicitationis sive *divortii* sive etiam *separationis corporum*, nisi probet *uxor* factum cohabitationis, maritus potest repudiare infantem natum intra spatium temporis in paragrapho statutum. Sic evanescit hæc ratio recurrendi ad divortium potius quam ad separationem corporum.

4) Tandem vi art. 299: « Pour quelque cause que le *divorce* ait lieu, hors le cas du consentement mutuel, l'époux contre lequel le divorce aura été admis perdra tous les avantages que l'autre époux lui avait faits, soit par leur contrat de mariage, soit depuis le mariage contracté ».

Hæc autem dispositio nunc vi art. 311bis applicatur quoque casui separationis corporum.

Removentur itaque nova lege plura incommoda quæ poterant conjuges catholicos inducere ad eligendum, nonnunquam contra conscientiæ dictamen, divortium præ separatione corporum.

V. Coucke.

Notæ bibliographicæ

Cavallera, F. *Thesaurus doctrinæ catholicæ ex documentis magisterii ecclesiastici.* Parisiis, Beauchesne, 1920. — In 8, XVIII-794 p. — Pr. 40 fr.

Ubi scite observat s. Thomas, satis esse non potest theologo docte disputare de iis quæ revelatione noscuntur, sed necessaria pariter est « quædam disputatio, [quæ] ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit » (1); aliis verbis, uti dicit etiam Pius PP. XI, « positiva methodus necessario quidem scholasticæ adjungenda est » (2), ut fidei nostræ veritatem omnino convincere possimus. Quid fide divina credendum sit novimus tum ex magisterio ecclesiastico, regula fidei proxima, tum ex regula fidei remota, ex fontibus videlicet revelationis, Scriptura sacra et traditione orali; quid vero fide catholica tenendum sit ex definitione Ecclesiæ in materia revelata constat, sive illa per magisterium ordinarium, sive per magisterium extraordinarium obtineat; insuper magisterium ecclesiasticum, quod est medium princeps traditionis conservandæ, non tantum definiendo, sed etiam authentice declarando dirigit fidem nostram (3), adeoque luculente apparet quantum momentum habeat accurata cognitio omnium documentorum hujusce magisterii, non tantum ut apprime noscamus quænam sit fides recta, sed adhuc ut eamdem secundum doctrinam Ecclesiæ recte intelligamus.

Inde satis etiam patescit quam utile concinnavit opus auctor, in facultate tolosana theologiæ positivæ lector, qui ordine methodico, juxta divisionem jam receptam in distinctos tractatus theologicos, varia hæc documenta Ecclesiæ, quæ theologiam doctrinalem spectant, omissis paucis ad res morales pertinentibus, additis vero quibusdam fragmentis ex scriptis Patrum, quæ fidem traditionalem referunt, in unum collegit volumen, ut omnes qui theologiae incumbunt, nec facultatem habent pervolvendi opera specialia, quæ in majoribus solummodo bibliothecis reperiuntur, nihilominus textus authenticos præ

(1) S. Thomas, *Quodlib.*, IV, q. IX, a. 18.

(2) *Epist. apost.* « Officiorium omnium », de seminariis et studiis clericorum, 1 aug. 1922, apud *Collat. Brugen.*, XXII (1922), p. 359.

(3) Hæc omnia evolvuntur in tractatu de traditione; de notione dogmatis vide *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 10 s.; de regula fidei, *ibid.*, XXIII (1923), p. 187 s.; de mediis traditionis conservandæ, *ibid.*, XXIII, p. 392 s. et adverte magisterium ecclesiasticum adhuc definire posse connexa cum revelatione (cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 51 s.), quæ fide ecclesiastica tunc esse tenenda a pluribus theologis dicuntur.

manibus habere possint. Adjunguntur ad calcem operis : index documentorum chronologicus, additis fontibus et complementis ; index alphabeticus rerum et verborum ; tandem duæ concordantiæ hujusce Thesauri et Enchiridii symbolorum quod prius edidit H. Denzinger. Ab hoc opere differt ille Thesaurus, primo et præcipue in hoc quod ordinem methodicum sequitur, dum Enchiridion documenta ecclesiastica exhibet ordine chronologico ; deinde ex eo quod plura profert fragmenta patristica ; tertio quoniam ad singulas quaestiones adnectit canones codicis novi juris, itaque nitide singula vice ostendit quomodo jus ecclesiasticum nitatur in doctrina magisterii, quam ad verbum quandoque profert ; simul adeo integrum conspectum cujusque problematis exhibet opus præsens, ac clare manifestat quemadmodum quoad propositionem quidem veritatis revelatæ detur verus quidam profectus, dum nihilominus quoad ipsam veritatem revelatam nihil reapse innovatur. Specialem igitur habet utilitatem Thesaurus, quem theologiæ studiosis enixe commendamus.

Galtier, P. (S. J.) *De incarnatione ac de redemptione.* Parisiis, Beauchesne, 1926. — In 8, VIII-506 p. — Pr. 30 fr.

Opus suum inscribit R. P. Galtier de incarnatione et de redemptione, et merito quidem, quia hic tractatus revera duplex est, quamvis intime cohæreant mutuo duæ hæ disputationes, prima de persona Christi, altera de ejus opere, quod est redemptio generis humani.

In tractatu de incarnatione, secundum divisionem s. Thomæ, quem ducem et magistrum sibi præ omnibus fuisse declarat A. in procemio (p. VI), triplicem habet sectionem : primam de realitate unionis hypostaticæ ; alteram de natura hujusce unionis ; tertiam de ejusdem consectariis. Priorem sectionem fusius quam plerique theologi pertractat et jure quidem, attentis hodiernis difficultatibus contra hoc mysterium, « quo tota fere vertitur fides christiana. Ecclesia catholica, sicut et Apostolus, non judicat se quidquam scire inter homines, præter Christum et hunc crucifixum » (p. V). Ad alteram sectionem advertamus A. ubi quærit cur humana natura in Christo non sit persona, defendere revera sententiam Scoti, quam s. XVII innovavit Tiphanius, S. J. ; quin immo intrinseca vult laborare repugnantia sententias, quæ tenent Christo deesse existentiam seu esse creatum. Ad tertiam sectionem notemus fusiorem disquisitionem, primam de libertate Christi (n. 368-395) ; alteram de Christi potentia (n. 396-417). In priore autem admittit A. verum præceptum moriendi, quod, ait, « non obstante statu Christi beatifico nec sua cum summo bono connexione irrevocabili, exhibetur Christi voluntati ut ei sub aliqua ratione malum. Ergo ... non movet efficaciter necessario voluntatem ejus » (n. 391) ; in altera quæstione non admittit nisi causalitatem moralem humanitatis Christi, tum ad miracula patranda, tum ad gratiam nunc hominibus infundendam.

Tractatus de Deo redemptore duplex complectitur caput : primum brevius, in quo dogma catholicum exponitur et vindicatur ; alterum

longius, in quo dicitur de modo quo Christus operatus est salutem generis humani. Juxta tritam divisionem, agit A. primo de merito et satisfactione Christi, deinde de sacrificio crucis necnon de valore ejus redemptivo. Optime defendit satisfactionem vicariam Christi, qualis ab Ecclesia catholica intelligitur. Merito tenet pariter sacrificium generice importare actum externum, quo res sensibilis ex intentione colendi Deum ipsi offertur, specifice vero immutationem rei oblatæ destructivam ac consumptivam ; cum hac accurata notione deinde sacrificium crucis, in arcta connexione cum Scriptura sacra et traditione orali, facile explicat. In conclusione sua breviter disserit de corpore Christi mystico et de causa finali incarnationis. Addit in fine quinque indices valde utiles, nimirum locorum Scripturæ sacræ qui latius in hoc opere exponuntur, testimoniorum ss. conciliorum et s. Thomæ ; sequitur index onomasticus atque tandem index rerum analyticus.

Eminet liber R. P. Galtier præcipue acribeia necnon claritate in ipso dogmate catholico rite delineando et solide probando ; multa profert A. testimonia traditionis, quæ in libris theologicis sæpius desiderantur vel haud satis critice adducuntur. Ad hæc porro cum A. indigitamus periculum « obtrudendi pro dogmate commentum mere systematicum et metaphysicum » (p. v) ; observare tamen juvat, in hac materia christologica, quæ propter exortas difficultates ab initio sedulius fuit considerata, terminologiam jam existere bene determinatam, uti legenti ss. Patres, præsertim græcos, facile constabit ; concilia œcumenica priora vix non omnia ceteroquin illud mysterium incarnationis aut definire aut declarare intenderunt ; attamen quoniam ss. Patres a disputationibus scholasticis præscindunt, eorum verba non leviter in confirmationem alicujus quæstionis disputatæ afferri debent. Eis autem qui forte judicent auctorem « excessisse limites tractatus, qui auditoribus theologiæ velit esse præ manibus », præcipue ubi sententiam Aquinatis in materiis controversis multa cura determinare conatus est, bene respondet : « eos [auditores] imprimis inducendos esse ut « magistrum » ipsi adeant, et per attentam inspectionem sive opinionum, contra quas arguit, sive quæstionum, quales ipse ponit, mentem illius assequi conentur » (p. VII). Hanc utilitatem præstabit sine dubio opus R. P. Galtier, qui hinc inde interpretationem non communem textus Angelici quum habeat, probando hoc affert effatum Aquinatis ex s. Augustino desumptum : « Solis eis Scripturarum libris qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt » (*Sum. theol.*, I, q. 1, a. 8, ad 2).

H. Lamiroy.

P. Fredegand (O. M. Cap.) *Zeven eeuwen geschiedenis der franciscaansche Derde Orde.* Herenthals, Capucynenklooster, 1926. — In 12, 248 bl. — Pr. 6,50 fr.

De geleerde archivaris-generaal der Capucynen levert hier een kos-

telijke vrucht van lange jaren ijverige studie. Zijn werk geeft een sprekend bewijs van de wondere vruchtbaarheid der franciscaansche Derde Orde en zal een krachtigen spoorslag geven aan allen die zich beijveren om de D. O, te verspreiden. Uit dit geschiedenisboek leert men eerst goed den oorsprong, den aard, 't innerlijk wezen, den regel, den geest en de hervormingskracht der D. O. kennen. Haar oorsprong : de D. O. is eene katholieke hervorming der betreurenswaardige misbruiken van den tijd, tegenover de kettersche strevingen naar hervorming. Hare aard vol vreugde, vrede, onthechting, onderdanigheid aan 't kerkelijk gezag. Haar innerlijk wezen van seculiere orde, hetgeen uit de geschiedenis blijkt geen ijdele benaming te zijn. Hare regel met zijn voorschriften van individueelen en socialen aard : men begrijpt beter de regelbepalingen nopens eed, wapensdragen, kleederdracht, maandelijksche biecht en kommunie. De geest dien zij in de maatschappij invoerde als een heilzame deesem van kristelijke herleving blijkt uit al de vruchten van heiligheid zoo bij priesters als bij leeken - derde ordelingen. Na 't lezen van dit schoon boek begrijpt men dat al die buitengewone lofspraak die wij over de D. O. vinden in de pauselijke documenten vooral van Leo XIII en zijn roemrijke opvolgers, niets anders zijn dan de slotsom van wat de geschiedenis van de D. O. aan de Kerk geleerd heeft gedurende de zeven eeuwen van haar bestaan. Allen die iets voelen voor de D. O. van s. Franciscus moeten dit boek niet alleen lezen maar bestudeeren. Voor allen die eene D. O. vergadering moeten besturen is 't een leerboek van den geest dien zij aan de « broeders der boetveerdighied » moeten inprenten. Een ander boek dat wij terloops hier ook aanbevelen aan allen die belang stellen in de franciscaansche beweging is 't *Gedenkboek van het jubeljaar der wereldlijke D. O. van s. Franciscus, 1221-1921*, uitgegeven door de Minderbroeders-Capucijnen van Belgie.

Donders, A. *Het bitter lijden van O. H. Jesus-Christus.* Vastenpreeken vertaald naar de tweede duitsche uitgave door P. Faustinus van Weelde, O. M. C. — Brugge, Beyaert, 1927. — In 8, 142 bl. — Pr. 8 fr.

De bittere Passie van O. L. H. is voor alle volkeren en voor alle tijden eene leerschool van de verhevenste waarheden die ons bestaan moeten richten en bezielen, een meêslepend voorbeeld van de hoogste deugden die 't leven veredelen en vergoddelijken. Doch in deze treurige naoorlogsche lijdensperiode spreekt deze lijdensgeschiedenis nadrukkelijker dan ooit tot de zielen. Ze kan voorgesteld worden als een levendig afbeeldsel van den tegenwoordigen tijd. Onze samenleving volgt maar al te veel het snood verraad van Judas, het bang verloochenen van Petrus, de bespotting van den wulpschen Herodes, de laffe zwakheid van Pilatus, het *tolle, crucifige* van de ondankbare Joden na. In het bitter Lijden trekt Jesus met zijn kruis en ons aller zonden beladen aan onze blikken voorbij, tot ondergang van de eenen en tot opstanding van de anderen. Daarom zijn de lijdenspreeken immer

eene actualiteit: dat zijn ze vooral zooals ze door den beroemden dompredikeer van Freiburg A. Donders werden opgevat en uitgewerkt. Wij zullen, onze traditie getrouw, ons houden aan een doorloopend verhaal van 't bitter Lijden, hetgeen hier niet gedaan wordt, maar stilstaande bij een of ander tafereel zullen wij ons met groot nut behelpen met deze zeer schoone vertaling van dit kostelijk boek, waarvan we hier met genoegen den inhoud overschrijven: 1. De leerlingen op het voor den Meester beslissend oogenblik; 2. twee apostelen en twee wegen: Judas en Petrus; 3. het aarzelend geweten van Pilatus; 4. Christus, de koning der gewetensvrijheid, vóór Pilatus; 5. het zwijgen van Christus gedurende zijn lijden; 6. twee vrouwengestalten uit de lijdensgeschiedenis; 7. het misleide geweten van het volk; 8. het hooglied der verlossing en der verlosten.

Huonder, A. (S. J.) *Zu Füszen des Meisters.* Band II. *Die Leidensnacht.* Freiburg i. Br., Herder, 1926. — In 8, XI-429 s. — Pr. 5,40 Mk.

Id. *Aan 's Meesters voeten.* Korte overwegingen voor priesters met drukke bezigheden. IIe deel. *De Lijdensnacht.* Uit het duitsch vertaald door J. B. Poukens, S. J. Leuven, Vlaamsche drukkerij, 1927. — In 8, 399 bl. — Pr. 15 fr.

Het inzicht van P. Huonder was geheel het leven van O. L. H. in korte overwegingen te bewerken voor priesters met drukke bezigheden. Hij had zich een drieledige verdeeling voorgesteld: de « Werkdag » van den Meester, zijn « Lijdensnacht » en zijn « Gloriemorgen ». Jammer genoeg heeft hij dit plan niet volledig mogen uitwerken: hij stierf den 23 augustus 1926 na zijn Lijdensnacht pijnlijk afgewerkt te hebben. Het eerste deel werd hier vroeger zeer gunstig beoordeeld (1): het tweede verdient minstens zooveel lof. Indien het immers van groot belang is dat een priester leere biddende werken, 't is nog van grooter aangelegenheid dat hij biddende leere lijden: want lijden en offer behooren tot 't wezen zelf van 't christelijk priesterschap. Welnu dat zalig en zaligmakend lijden zal de priester leeren in deze treffende, meesterlijk-vertaalde overwegingen over Christus' lijden.

Indica mihi. Très pieuses méditations sur la Vie et la Passion du Christ d'après un manuscrit du XVe s. par un auteur franciscain inconnu. Traduit par Marie-Madeleine Saeyeys. Préface de S. G. Mgr G. Waffelaert, évêque de Bruges. Collection Caritas. Paris, Bloud, 1926. — In 8, 211 p.

Le manuscrit flamand dont voici la traduction a été mis au jour

(1) *Collat. Brugen.*, t. XXIII (1923), p. 523.

par le P. Schoutens qui en fit en 1906 une édition. L'auteur est inconnu. A la fin du ms. on trouve ces mots : « Terminé ces exercices pour complaire aux pieux désirs de mes dévotes filles spirituelles, puisse l'Epoux des âmes avoir toutes leurs sollicitudes — le seizième jour de février de l'année de N. S. 1500 en la bonne ville d'Amsterdam, dont le nom doit être connu des observants dans le ciel, comme il l'est maintenant sur la terre. Jésus-Marie-Barbe. Disce mori : B. V. ». On le voit, comme « signalement » de l'auteur, c'est plutôt mince. Le genre de l'écrit est celui que nous trouvons dans une autre œuvre franciscaine que nos lecteurs connaissent déja : *De Pelgrimagie van het kindeken Jesus*. C'est la spiritualité franciscaine, toute affective, séraphique, visant à provoquer l'amour pratique. Comme le dit S. G. Mgr Waffelaert dans sa préface, de ces méditations sur la vie et la passion de N. S. J. C., « de ce commerce avec le Sauveur aimant et souffrant, l'âme sort plus fervente et plus forte, mieux résolue à trouver à toute heure son Epoux et à se réjouir dans sa croix ; deux choses qui résument la perfection chrétienne ».

Dehon, J. L. *Études sur le Sacré-Cœur de Jésus.* 2 vol. Bruges, Desclée-De Brouwer. — In 8, 234-243 p. — Pr. 10 fr.

L'auteur, supérieur général des prêtres du Sacré-Cœur, indique en sous-titre le but de son ouvrage : « Contribution à la préparation d'une somme doctrinale du Sacré-Cœur ». Il n'a pas visé à donner une allure scientifique à son œuvre : il s'est modestement borné à ramasser de toutes parts les matériaux de construction que d'autres après lui pourront utiliser. Dans le premier volume l'auteur recherche les traces du Christ d'amour dans l'œuvre de la création et dans l'Ancien Testament, puis il montre son portrait vivant dans le Nouveau Testament, enfin il décrit les premières étapes de la dévotion au Sacré-Cœur. Dans le second volume nous assistons à la pleine manifestation du Sacré-Cœur à Paray-le-Monial et à la marche conquérante de cette dévotion à travers le monde. Les prêtres liront avec plaisir et avec fruit ces deux volumes ; ils y puiseront une doctrine et une piété tout pétries de la tradition catholique, mais ils éviteront une confusion à laquelle cet ouvrage pourrait donner lieu, et qui consiste à glisser sous les expressions génériques et obscures des siècles antérieurs tel sens spécifique qu'une évolution postérieure nous a rendu familier.

Hatler, Fr. (S. J.) *Jesus H. Hart.* Vijfde vermeerderde uitgave bewerkt door Arno Botsch, S. J., en in 't vlaamsch overgebracht door Chr. Scheys, pr. Brugge, St-Michiel's drukkerij ; te bestellen bij Groenys, Leuven. — Pr. 4 fr.

Een alom gunstig bekend boekje van den duitschen « apostel van Jesus hart ». Bevat eene reeks schoone overwegingen voor iedereen

dag der junimaand en daarbij de schoonste oefeningen ter eere van 't h. Hart, met nagenoeg al de aflaatvergunningen aan die godsvrucht geschonken.

Vermeersch, A. (S. J.) *Beoefening en leer van de godsvrucht tot het H. Hart.* 2 deelen. Doornijk, Casterman. — In 18, 447-321 bl. — Pr. 8 fr.

De naam alleen van den schrijver staat borg voor de degelijkheid van dit werk. De geloovigen zullen er een volledig handboek vinden voor de beoefening dezer zalige godsvrucht. De priesters hebben er overvloed van stof voor hunne Juni-onderrichtingen.

Berlière, U. (O. S B.) *La dévotion au Sacré-Cœur dans l'Ordre de s. Benoit.* Collection Pax, vol. X Abbaye de Maredsous, 1923. — In 16, VIII-176 p. — Pr. 4,25 fr.

Le docte historien qu'est Dom Berlière nous donne dans ce livre une précieuse contribution à l'histoire de la grande dévotion au Sacré-Cœur de Jésus. Le plein épanouissement de cette dévotion a commencé seulement au XVIIe s. à la suite de la mission officielle dont le Christ a chargé s. Marguérite-Marie. Mais longtemps avant que d'âmes privilégiées l'Epoux divin s'est choisies pour les introduire dans les secrets de son Cœur! L'ordre bénédictin peut se glorifier d'avoir eu une part importante à cette préparation éloignée du culte public du s. Cœur.

Il faut se réjouir d'avoir dans cet ouvrage une galerie des plus belles âmes qui ont illustré et édifié l'ordre de s. Benoit et l'Eglise par l'intimité de leur union au Cœur de Jésus en même temps qu'une anthologie des passages les plus suggestifs de leurs écrits.

Kanters, Ch (Prêtre du s. Cœur). *Le Cœur de Jésus étudié dans la tradition catholique.* Bruxelles, Dewit, 1926-1927. — Vol. I. *Commentaire des litanies du s. Cœur.* Série de lectures pour les exercices du mois de juin. In 16, XVII-338 p. Pr. 9 fr. — Vol. II. *Les demandes et les promesses du s. Cœur.* Lectures pour le 1er vendredi du mois. In 16, XXIII-285 p. Pr. 9 fr. — Vol. III. *Le culte de s. Cœur.* Considérations doctrinales, historiques et ascétiques. In 16, XXIII-274 p. — Pr. 9 fr.

Les prêtres se réjouiront de trouver recueilli en ces trois volumes tout ce qu'ils peuvent désirer pour nourrir le culte du s. Cœur chez leurs fidèles et pour alimenter leur propre dévotion. L'auteur peut s'honorer à juste titre des approbations les plus élogieuses qui lui ont été adressées de toutes parts et des critiques flatteuses dont ces trois

volumes ont été l'objet. Qu'il nous suffise de faire nôtre cette parole de son Eminence le cardinal Van Roey au sujet du troisième volume : « Ce volume se distingue comme ses aînés, par la sûreté de la doctrine, par la clarté de l'exposition, par le soin constant de mettre en évidence des conclusions pratiques — ce qui en fait un vrai livre de piété — enfin par le choix judicieux des nombreuses citations de théologiens et écrivains ecclésiastiques, tant anciens que modernes, qui y sont enchassées ».

Autour du problème de l'adaptation. Compte rendu de la quatrième semaine de missiologie de Louvain (1926). Museum Lessianum, section missiologique n. 6. Louvain, 11 rue des Récollets, 1926. — In 8, VII-263 p. — Pr. 13 fr.

Une des caractéristiques les plus marquantes de l'histoire de l'Eglise au vingtième siècle est sans contredit cet effort gigantesque pour conquérir à la religion de J. C. les millions de païens en pays de mission. Mais cette conquête pacifique soulève une foule de problèmes des plus délicats. La quatrième semaine de missiologie de Louvain (août 1926) a eu comme programme d'étudier sous toutes ses faces le problème de l'adaptation en terre de missions. L'étude approfondie de la psychologie du peuple à convertir apparaît comme un devoir primordial pour le missionnaire qui veut faire œuvre durable. Il faut tenir compte des idées et de griefs des primitifs au sujet de l'apostolat. Dans la formation des auxiliaires indigènes du missionnaire, dans la méthode d'enseignement religieux et catéchistique, dans l'art religieux, dans les pratiques de dévotion le ou la missionnaire devra chercher à s'adapter à l'âme et à profiter des ressources naturelles de ses néophytes. L'enseignement à tous les degrés doit être poursuivi malgré le résultat parfois décourageant d'une première expérience. Les médecins catholiques peuvent rendre au missionnaire des services inestimables. La presse doit devenir un auxiliaire puissant de la vérité en pays de mission. Mais à côté de ces moyens naturels, c'est la prière de l'homme de Dieu qui doit féconder l'apostolat : à ce propos on a étudié l'essai en terre païenne de vie érémitique du P. de Foucauld d'une part, de vie cénobitique d'autre part. Quelle lecture réconfortante et suggestive que ce beau rapport de la semaine missiologique de Louvain!

Laveille, E. (S. J.) *L'évangile au centre de l'Afrique*. Le P. Van Henexthoven, S. J fondateur de la mission du Kwango (Congo Belge), 1852-1906. Museum Lessianum, section missiologique, n° 5. Louvain, 11 rue des récollets, 1926. — In 8, 401 p. — Pr. 18 fr.

Le P. Van Henexthoven, mort en Afrique il y a vingt ans, est un des missionnaires qui ont le plus contribué à l'évangélisation du centre africain. Il fut l'initiateur d'une forme d'apostolat merveilleu-

sement adaptée aux besoins des populations qu'il évangélisait. Les « fermes-chapelles » furent la géniale conception par laquelle il parvint à faire franchir à des peuplades déclarées incivilisables, la première étape de la civilitation. Tout entier à la défense des droits des indigènes et au soulagement de leurs maux, il se les attacha corps et âme. Mais ce n'était pour cet apôtre tout en Dieu que le moyen de les donner au Christ. Le P. Laveille, ce biographe hautement apprécié du P. De Smet, apôtre des Peaux-rouges, mérite toute notre reconnaissance, pour avoir mis ses talents à sauver de l'oubli cette gloire de l'Eglise et de notre race. A défaut de documents provenant du P. V. H., il a consulté les membres de la famille, les anciens condisciples de collège, les frères en religion, les amis et anciens élèves, bref tous les témoins de la vie de son héros. Ainsi est il parvenu à faire revivre devant la postérité un modèle pour tous ceux qui ambitionnent la conquête des âmes.

Entretiens spirituels de saint Anselme, traduits par les moniales du monastère de Ste-Croix de Poitiers. Collection Pax, vol. XVIII. Bruges, Desclée-De Brouwer et Cie, 1924. — In 8, XXXIX-214 p. — Pr. 6 fr.

Saint Anselme, que le Moyen âge a surnommé le Docteur magnifique à raison de sa profonde science théologique, se révèle à nous comme un admirable éducateur et formateur d'âmes dans ses enseignements sur la vie spirituelle. Ceux-ci ont été réunis dans le traité *De similitudinibus* par un de ses disciples immédiats. On peut reprocher au rédacteur son amour des classifications et des divisions, la subtilité de telle ou telle comparaison, poussée jusqu'au dernier détail : en cela il cédait au goût de son époque. Mais on doit reconnaître que les entretiens spirituels sont fort instructifs, et forment une ascèse traditionnelle et monastique complète, supportée tout entière par la doctrine théologique, et en même temps tout imprégnée de la personnalité de s. Anselme.

Lettres spirituelles choisies de saint Anselme, traduites par les moniales du monastère de Ste-Croix de Poitiers. Collection Pax, vol. XXIV. Bruges, Desclée-De Brouwer et Cie, 1926. — In 8, XLVIII-307 p.

Dans l'œuvre de s. Anselme, la correspondance occupe une place prépondérante. Plus de quatre cents de ses lettres nous ont été conservées : elles s'échelonnent sur une période d'une quarantaine d'années (1070-1109). Au point de vue historique, ces correspondances constituent une source de première valeur : mais elles renferment aussi de précieux enseignements au point de vue ascétique et monastique. Dans le présent recueil, on s'est attaché de préférence à réunir les lettres qui rendent le mieux compte de la vie intérieure du saint, mais

qui sont en même temps les plus caractéristiques de sa doctrine et de sa direction spirituelles.

Les belles prières de s. Mechtildis et de s. Gertrude, traduites par D. A. Castel de l'abbaye de Ligugé. Collection Pax, vol. XX. Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie, 1925. — In 8, xxiii-160 p. — Pr. 4,75 fr.

Ce qu'on a publié sous le nom de « *Preces Gertrudianæ...* » est l'œuvre d'un habile faussaire. Dom Castel, lui, a recueilli les prières qu'il publie ici dans les deux volumes de *Revelationes s. Gertrudis* et *Revelationes s. Mechtildis*, édition de Solesmes : c'est dire qu'on se trouve ici en face des formules authentiques des deux saintes mystiques de Helfta. Les fidèles trouveront dans ces belles et saines prières un solide aliment pour leur dévotion ; « ils y reconnaîtront, mise en pleine valeur, cette idée, un peu obscurcie à leurs yeux, de la Grandeur Souveraine du Dieu tout puissant, harmonieusement accordée à l'incompréhensible Amour du Verbe fait chair, Créateur et Sauveur, frère et ami des hommes » (1).

Nonell, J. (S. J.). *Analyse des exercices spirituels de s. Ignace.* Traduit de l'espagnol par E. Thibaut, S. J. Museum Lessianum, section ascétique et mystique, n° 17. Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, 346 p. — Pr. 9 fr.

Dans le livre de s. Ignace il faut distinguer trois sortes d'exercices d'après le but qu'on s'y propose, soit de faire une bonne confession, soit de se défaire de toutes ses affections déréglées, soit de chercher et de trouver la volonté divine. De même le présent traité se divise en trois parties. Dans la première, l'auteur explique les divers exercices : examen, méditations, contemplation, prière vocale, avec les termes usuels, tels que préludes, composition du lieu etc.. et cela en faisant la synthèse de tout ce que s. Ignace a dit de ces exercices au cours de son livre. Dans la deuxième partie, l'auteur expose la méthode employée par s. Ignace pour orienter l'ensemble des *Exercices* vers la purification parfaite de l'âme. Dans la dernière, il étudie comment s. Ignace applique les deux dégrés précédents au cas de celui qui « cherche la volonté divine touchant la disposition de sa vie pour le salut de son âme ». Ce pâle résumé donnera au lecteur une idée du grand fruit qu'il pourra tirer de ce livre.

Nothomb, J. (S. J.) *La légende de Notre-Dame.* Museum Lessianum, section ascétique et mystique, n° 14. — Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, xi-235 p. — Pr. 6 fr.

Dans un chapitre introductoire l'auteur montre comment les miracles de N.-D. nous ont été transmis et conservés et comment ils ont été

(1) Introduction, p. xx.

utilisés durant tout le moyen-âge. Entendus dans les sanctuaires, ils sont colportés et amplifiés par les pèlerins ; plus tard ils sont enregistrés dans des collections de *miracula* et repris dans les *Summæ prædicantium*, d'où ils passent sur la scène et dans les œuvres d'art. Sans doute on peut reprocher à cette manifestation de la piété médiévale son manque de critique : mais dans ces récits naïfs il faut admirer la confiance absolue de nos aïeux en la puissance et en la bonté de Marie. Ce que l'auteur veut nous faire retirer de la lecture des miracula qu'il raconte, et qu'il emprunte le plus souvent à la collection publiée en 1731 à Vienne par Dom Pez, c'est le suc de la dévotion mariale. « Nous voudrions, dit-il, en montrant quelle foi avaient jadis nos aïeux en l'intercession de Notre-Dame, raviver notre confiance envers la Mère de Dieu et la Mère de miséricorde, envers l'*Omnipotentia supplex* et le *Refugium peccatorum* (1) ». Ce but l'auteur l'atteint sans conteste, et nous l'en félicitons vivement ; ce qui ne veut pas dire cependant que nous engageons nos confrères à reprendre tous ces exemples dans leurs prédications.

Dolan, G. (O. S. B.) *Sainte Gertrude. Sa vie intérieure.* Collection Pax, vol. V. Bruges, Desclée, De Brouwer, 1922. — In 12, XII-286 p. — Pr. 6 fr.

Personne ne s'étonnera de trouver parmi les livres dont nous recommandons la lecture pendant le mois du Sacré-Cœur, un ouvrage sur s. Gertrude. Le livre du P. Dolan n'est pas à proprement parler une biographie : c'est une étude d'âme, un essai de psychologie. L'édition anglaise a eu un grand succès ; nous avons ici la traduction faite avec soin par les bénédictines de l'abbaye de Dourgne : elle sera, nous n'en doutons pas, accueillie avec joie par tous ceux qui s'intéressent aux choses de Dieu et de l'Amour divin. Aux yeux du monde, rien dans cette existence de quarante-six ans (1256-1302) qui puisse retenir l'attention ou exciter l'intérêt. Mais pour l'Eglise, s. Gertrude est le « Héraut du Sacré-Cœur », la première confidente, chargée de révéler aux hommes les miséricordes divines envers les pécheurs. Or, y a-t-il pour nous rien de plus intéressant que cette miséricorde ? Et quoi de plus utile pour ce siècle où la foi faiblit et où la charité se refroidit, que l'exemple de virilité pétrie de tendresse de cette épouse passionnément aimante et tendrement aimée de Jésus-Christ ?

La mère Jeanne Deleloë. Vie, correspondance et communications spirituelles. Collection Pax, vol. XIX. Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie, 1924. — In 12, 339 p. — Pr. 10 fr.

On nous a prié de recommander aux prêtres et aux religieux cette nouvelle édition de *La mère Jeanne Deleloë*. Nous le faisons volontiers, parce que nous sommes convaincu que ce livre est appelé à faire

(1) Introduction, p. 51.

grand bien. La première édition préparée par Dom Bruno Destrée en 1905 a été vivement recommandée dans cette revue (1). Cette seconde édition mérite d'autant plus d'éloges que le nouvel éditeur, D. B. Sodar, a corrigé maints défauts de l'œuvre de son prédécesseur. — Jeanne Deleloë, née en 1604 à Fauquembergues, en Artois, y entre en religion à l'âge de 16 ans chez des sœurs bénédictines. En 1635 elle est obligée de fuir, comme sa communauté, devant les armées qui ravagent l'Artois : c'était la période flamande de la guerre de trente ans. Elle vient se refugier à Poperinghe, où elle meurt en odeur de sainteté en 1660. On le voit aussitôt, l'intérêt de ce livre n'est pas dans les faits extérieurs qui composent la trame de cette vie. Mais sous les dehors d'une vie ordinaire, banale, se cache une vie intérieure d'une étonnante beauté : c'est l'histoire d'une âme privilégiée que Dieu amène par des grâces de choix aux sommets de la vie mystique. On y trouve, et combien nécessaire est cette leçon de choses, un modèle de vie recueillie en Dieu et d'abandon au bon vouloir divin. On y admire, si nous pouvons ainsi dire, les premières démarches du divin Maître pour pousser les âmes pieuses à faire connaître cette dévotion si salutaire du Sacré-Cœur. Enfin les prêtres y liront maintes pages très utiles pour apprendre l'art si difficile de la direction spirituelle ; ils y verront quelles qualités sont requises pour mener une âme dans les voies de Dieu, mais aussi par quels défauts le directeur risque de compromettre l'œuvre de la grâce.

Pottier, A. (S. J.) *La vie et la doctrine spirituelle du P. Louis Lallemant.* Paris, Téqui, 1924. — In 16, XXXII-520 p. — Pr. 12 fr.

En 1694 le P. Champion édita la *Doctrine spirituelle* du P. Louis Lallemant (1587-1635). A part quelques pages signées du nom du P. Lallemant, il utilisa les instructions recueillies par le P. Rigoleuc, qu'il fit suivre des pensées annotées par le P. Surin, les deux principaux disciples du célèbre jésuite. Le P. Pottier nous offre ici outre la vie du P. L., le texte primitif du « recueil » du P. Rigoleuc et du « cahier » du P. Surin, tel qu'il apparut dans l'édition de 1694, en y ajoutant ses commentaires et annotations, l'indication des passages parallèles et deux appendices. La Doctrine du P. Lallemant fut dans le passé et restera toujours un livre de choix pour toutes les âmes qui aspirent à la vie intérieure.

Monnin, A. *Geest van den H. Joannes-Baptista Vianney, Pastor van Ars in zijn onderwijzingen, zondagpreeken en gesprekken.* Uit het fransch vertaald door E. H. E. de Spot. Brugge, Excelsior, 1927. — Pr. 3,50 fr. + 30 %.

Wanneer heiligen spreken over God en de goddelijke dingen, dan voelt men aanstonds dat zij niet enkel de geloofswaarheid doorgrond

(1) *Collat. Brugen.*, t. X (1905), p. 514 ss.

hebben met hun rede verlicht door 't geloof, maar dat zij in die bovennatuurlijke wereld tehuis zijn en de openbaring in het licht der gaven van verstand en wijsheid doorschouwd en gesmaakt hebben. Vandaar ook dat hun woord zoo treffend in de ziele slaat en er zoo krachtig 't geloof, de hoop en de liefde tot daden opwekt : 't is immers doordrongen van Gods Geest. Daarom is dit werkje van A. Monnin zoo deugddoende. Daarom ook moeten we den E. H. de Spot dank wijten en gelukwenschen met de goede vertaling die hij er ons hier van aanbiedt.

Esser, F. X. (S. J.) *Zepter und Schlüssel in der Hand des Priesters.* Freiburg i. Br., Herder, 1924. — In 8, VII-122 s. — Pr. 2,60 Mk.

Wij hebben reeds vroeger de vertaling van dit schoon boekje aan onze lezers warm aanbevolen (1). Zij echter die 't duitsch genoegzaam kennen zullen er al de hoedanigheden veel beter van smaken in deze oorspronkelijke uitgave.

Kapistran Romeis (O. F. M.) *Prinzessin Anna von Preuszen, Landgräfin von Hessen.* Ihr Weg zur katholischen Kirche. Freiburg i. Br., Herder, 1925. — In 8, IX-154 s. — Pr. 3,60 Mk.

Dit boek verhaalt ons 't leven van prinses Anna van Pruissen, echtgenoote van Landgraaf Frederic van Hessen (1836-1918). Wat ons in die levensbeschrijving het meest aanbelangt is de bekeering van de prinses tot 't katholicisme in 1901, hare voorbeeldige godsvrucht, hare uitstekende deugden en de innige vreugde die uit haar hart opwelt, niettegenstaande de zware beproevingen die zij ten gevolge van hare bekeering doorstond. Treffende en stichtende lezing.

von Keppler P. W. *Wasser aus dem Felsen.* Band I. Freiburg i. Br., Herder, 1927. – In 8, VII-379. — Pr. 4,40 Mk.

Mgr von Keppler, stiert als bisschop van Rottenburg den 16 juli 1926. Alles wat van hem verscheen draagt den stempel van diepe Gods- en menschenkennis en vond dan ook bij alle priesters een zeer gunstig onthaal. Een zelfde bijval staat zonder twijfel deze verzameling te wachten van zijne herderlijke brieven, passiepreeken, kerkwijdingspreeken, gelegenheidssermoenen, redevoeringen en aanspraken, uit de vijf laatste jaren van zijn vruchtbaar leven. Mgr von Keppler is een meester in het woordvoeren. Doch 't is geen zuiver menschenwoord dat hij laat hooren : zijn rede is immer als een levenbrengende bron ontsproten aan de rots van Gods ingegeven woord.

A. LEGRAND.

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 367.

Collationes Brugenses

Quædam notabilia de doctrina mystica, præprimis S. Joannis a Cruce, Doctoris Ecclesiæ.

De re ascetica et mystica pluries egimus in hisce Collationibus nostris; neque in vanum — Deo sint laudes — hortati sumus dilectum Clerum ut in theologiam asceticam et mysticam quoque incumbat et hujusmodi doctrinam apud animas sibi commissas etiam promoveat; nominatim scripta Beati Rusbrochii et s. Joannis a Cruce legenda et ruminanda commendavimus.

Et maximo sane gaudio est tum Nobis, tum omnibus animarum directoribus videre hoc nostro tempore electas animas numero in dies majore assurgere supra ruinas spirituales horrendi belli, aspirantes ad vitam supernaturalem celsiorem. Huic motui felicissimo, cujus sine dubio Auctor est Spiritus sanctus, suprema Ecclesiæ potestas magis quoque in dies favet, et speciali quidem efficacia id nuper fecit adscribendo Doctorem mysticum s. Joannem a Cruce inter Doctores Ecclesiæ universalis. Hanc opportunitatem nacti denuo quædam notabilia de ejus scriptis proponimus.

Difficultas intelligendi funditus doctrinam s. Joannis a Cruce inde oritur quod non solam theologiam asceticam exponit sed et mysticam sensu stricto sumptam prosequitur; aliis verbis non modo vias ordinarias vitæ interioris sed et extraordinarias explicat, quibus Deus animas electas ad apicem perfectæ vitæ conducit. Eadem doctrina est vivida, id est suæ Auctoris vitæ mysticæ celsioris interpretatio, quam, nonnisi propius imitando ejusdem sanctam vitam, intellectu plene assequi licet.

Inde tamen ne concludas ejus documenta solis animabus mysticis jamque in perfectione longe progressis

usui esse ; sunt enim omnibus rite dispositis et serio ad vitam perfectiorem adspirantibus valde utilia. Neque enim, quod substantiam attinet, ejus doctrina, quamquam forma ipsi propria proposita, differt a doctrina cæterorum doctorum asceticorum et mysticorum auctoritate in Ecclesia pollentium.

Re quidem vera, clare indicat atque frequenter, sicuti reliqui omnes, finem attingendum, unionem nempe intimam cum Deo.

Similiter, late exponit viam ad finem sequendam, seu media adhibenda in ascensu ad Deum ; eaque duplicis speciei : alia præparatoria ad illum ascensum et unionem cum Deo, nempe removentia quæ unionem prohibent, quæ hoc sensu negativa seu privativa vocare possumus ; alia vero positiva quæ quasi varia stadia ipsius ascensus constituunt.

Illa priora principaliter consistunt in exercendis virtutibus moralibus, non excluso tamen influxu fidei aliarumque virtutum theologalium. Est videlicet hoc exercitium renuntiationis rebus omnibus nobisque metipsis, seu nuditatis spiritus, ut ait s. Joannes a Cruce, est hoc exercitium purificationis necessariæ ut anima conjungi possit Deo. Est, alio modo loquendi qui est ipsius Sancti, duplex nox obscura, tum sensuum tum spiritus, atque iterum nox activa per propriam activam animæ praxim virtutum purgantium, et nox passiva, ubi ipse Deus speciali actione intervenit ad purificationem seu nuditatem spiritus perficiendam.

Posteriora media, scilicet positiva, consistunt præsertim in exercitio magis magisque perfecto virtutum divinarum seu theologicarum, ut fide pura et vivida, spe firmissima et præcipue charitate ardentissima attingatur unio cum Deo, charitas enim jam in præsenti vita animam cum Deo unit, quam perfectissime fieri in hoc sæculo potest.

Notare juvat prædicta media privativa et positiva, quamquam distincta, non tamen separari posse : uti

diximus, principaliter usui sunt priora in ordine ad purificationem animæ per exercitium virtutum moralium, non excluso influxu virtutum theologalium ; posteriora seu positiva, per praxim harum virtutum theologalium, in ipsa ad Deum ascensione et unione cum Deo procuranda adhibentur, nequaquam tamen exclusis prioribus mediis ad animæ purificationem, hæc enim pari gradu cum ascensione progredi debet, et eo perfectior fieri, quo magis anima ad unionem divinam accedit.

En, ut puto, substantiam doctrinæ quam s. Joannes a Cruce, forma sibi propria exponit, ast quæ communis est omnibus Magistris vitæ spiritualis. Refert siquidem ipsam veritatem revelatam in Sacris Libris, ad quos constanter appellat sanctus Doctor ; refert quoque traditionem catholicam ss. Patrum et Doctorum Ecclesiæ, qui simul cum sanctis Apostolis primarii sunt contemplativi et Magistri atque exemplaria singularia vitæ supernaturalis et perfectæ, interioris et mysticæ.

Libet, in confirmationem dictorum, unius citare s. Augustini, magni Ecclesiæ occidentalis Doctoris pauca verba, quæ nata sunt mentem profunde afficere, atque in admirationem rapere tum celsissimi ingenii ejusdem Doctoris, tum sublimis doctrinæ ejus mysticæ. Paucis enim lineis proponit totam substantiam vitæ interioris et mysticæ, ostendens fundamentum totius edificii illius vitæ, cujus cacumen assurgere debet usque ad conspectum seu contemplationem et porro postea visionem Dei, esse humilitatem, seu, uti diceret s. Joannes a Cruce, nuditatem spiritus.

Priusquam citemus textum Augustini, ut facilius ejus dicta capiantur observa humilitatem esse reapse virtutem fundamentalem inter morales, seu medium fundamentale inter privativa, sicut fides idem est inter theologales et inter media positiva, utpote initium, fundamentum et radix omnis justificationis, ut loquitur Concilium Tridentinum. Etenim humilitas securim ponit ad ipsam radicem omnium obstaculorum unionis divinæ ; nam

vitium ei oppositum, superbia radix est et principium omnis peccati et rebellionis, adeoque obstaculum radicale unionis cum Deo. Nonne dixit Christus, ad hoc ut eum sequamur, necesse esse ut renuntiemus omnibus, imo et nosmetipsos abnegemus ? Atqui, humilitas est ista renuntiatio et abnegatio totalis, adeoque purificatio completa, cum sit oblivio suî seu nuditas spiritus ; quemadmodum, contra, superbia est totalis egoïsmus hominis qui seipsum facit sibi idolum, et omnia refert ad se. Humilitas disponit ad omnem virtutem ; in se continet quasi summam omnium mediorum, quæ privativa appellavimus, ascensus ad Deum, omnia obstacula a via removens ; et quanto profundior, eo altius ascendere permittit. Præterea disponit ipsa ad gratiam divinam, sine qua nihil possumus, scriptum enim est : « Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam (1) ».

His intellectis, audiamus Augustinum :

« Tollite jugum meum super vos (ait Dominus) et discite a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere et mortuos suscitare ; sed : quoniam mitis sum et humilis corde.

Magnus esse vis? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis ? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit : qui autem fodit fundamentum ad ima deprimitur. Ergo et fabrica ante celsitudinem humiliatur, et fastigium post humiliationem erigitur.

Quod est fastigium construendæ fabricæ quam molimur? quo perventurum est cacumen ædificii? (2) Cito dico, usque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est,

(1) *Jac.*, IV, 6.

(2) Ut vides, hic transit s. Doctor ab ædificio materiali sensu litterali, ad ædificium morale sensu metaphorico.

quanta res est conspicere Deum. Qui desiderat, et quod dico et quod audit intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facile illos vident : sed eos vident qui oculos habent et non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viventis, et videntis (1) ».

Addamus verbulum interpretationis.

Ædificium quod molimur ædificium est totius vitæ nostræ. Cacumen istius ædificii reipsa esse debet conspectus Dei seu contemplatio hac in vita et porro visio Dei in vita futura. Etenim, ut ait s. Thomas, divinæ veritatis contemplatio est finis totius humanæ vitæ (2) ; et visio facie ad faciem beatifica est finis noster ultimus, in præsenti ordine supernaturali.

Ut autem ad hunc finem perveniamus, vitæ nempe contemplativæ et perfectæ hoc in sæculo, et visionis facialis Dei in futuro, cujus illa est proxima præparatio, oportet ut tanto et tam celso ædificio vitæ nostræ præsentis ponamus fundamentum solidum profundæ humilitatis, sensu generali intellectæ, scilicet abrenuntiationis totalis rerum nostrique ipsorum, oblivionis suî seu nuditatis spiritus, quæ purificationem animæ necessariam perficiat et compleat. Profecto quam celsum est, quanta res est conspicere Deum, et quam bonum videntem videre, ut ait Augustinus : in beatitudine futura videbimus in Deo vivente et videnti, non sola mirabilia creationis, non solummodo stupenda mysteria ordinis supernaturalis, sed ipsum Deum intuebimur, adorandam Trinitatem et Unitatem, infinitam perfectionem, et vivemus ipsa vita Dei, qualis et quanta a creatura participari potest.

Notatu dignum est, apud plures magnos Mysticos, si non omnes, contemplationem eorum esse quasi radium repercutientem ipsam divinam visionem, eosque vitam

---

(1) Sermo x *De verbis Domini*.
(2) 2. 2, q. 180, a 4.

suam divinæ contemplationis ad figuram et imaginem futuræ vitæ beatæ seu unionis ineffabilis cum ipsa Dei vita expressisse. Cæterum vita supernaturalis nostra his in terris quædam divinæ vitæ participatio est quæ in cœlis arctior et perfectior evadet.

Hoc assertum, quod s. Joannem a Cruce attinet vellem demonstrari, ab aliquo perito ejus doctrina imbuto ; et hoc quoque ostendi, purificationem completam ex ejus sensu coïncidere cum perfecta humilitate.

† G.-J., Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis junii propositas.

—

I.

De restauratione judaïca I.

Q. *Indica præcipua facta exeuntis captivitatis babylonicæ et primi reditus ad Jerusalem, duce Zorobabel.*

R. — **Status judæorum in captivitate.**

Repetitis incursionibus regum Assyriæ succubuit regnum septentrionale Israël ; jam sub Teglathphalasar (743-724) portio quædam populi in exsilium abducebatur (1), at præcipuæ coactæ migrationes locum habuerunt post dirutam Samariam a Sargon a. 721 (2). Colonos extraneos reges Assyriæ transvehebant in terram Israël (3), dum Israëlitæ ad varia loca Assyriæ deportabantur. Cum de horum ulteriori historia nihil fere sciamus, merito conjicitur plerosque post breve tempus cum circumviventibus populis fuisse commixtos.

In regno meridionali Juda deportationes locum habuerunt jussu Nabuchodonosor, regis Babyloniæ (604-561), qui judæos abduxit ad metropolim sui regni et ad regiones contiguas (4) ; notare juvat judæos meridionales in captivitate minus dispersos vixisse quam septen-

---

(1) *IV Reg.*, xv, 29.
(2) *IV Reg.*, xvii, 6, 23.
(3) *IV Reg*, xvii, 24.
(4) De variis deportationibus cfr J. Vandervorst, *Israël et l'ancien Orient*, Bruxelles, 1915, p. 130 ss.

trionales. Post excidium Jerusalem a. 587 non relinquebantur in terra Juda nisi pauperes quibus rex dedit vineas et cisternas (1); occiso autem Godolia, præfecto a rege constituto, plerique ex his incolis, invito Jeremia, fugerunt in Aegyptum (2). Tum terra Juda pene deserta patebat incursionibus vicinarum gentium.

Centrum judaïsmi constituebat communitas in captivitate babylonica vivens. Plures judæi ibi addicebantur laboribus a triumphatore impositis, signanter variis structuris quas splendide ædificabat Nabuchodonosor; sed horum captivorum conditio adeo dura non erat, præsertim cum faciliter libertatem recuperare possent. Ut postea Romæ, ita et Babylone plerique judæi hac facultate usi erunt; revera, ut apparet e s. Scriptura et e documentis profanis, plures adepti sunt patrimonium sat opulentum et magna munia in regno obierunt (3). Sat cito etiam videntur constituisse communitates separatas a senioribus rectas et privilegio cujusdam autonomiæ gaudentes; ipse rex Jechonias anno trigesimo septimo captivitatis suæ e carcere liberatus est et admissus ad mensam regiam (4).

Sub respectu religioso pericula haud spernenda exsulibus imminebant: imprimis circa eos grassabatur idololatria ad quam inde a tempore Moysis Israël tam proclivis erat; adde tentationem diffidentiæ a Deo-Jahwe qui populo suo non succurrerat et varias sollicitationes triumphatorum De facto multi judæi, nonobstantibus prophetarum monitis, ad idololatriam declinaverunt (5); sed intacta servabatur magna pars populi quæ in adversitate vitam suam religiosam puriorem et intimiorem reddidit.

Destructa urbe et diruto templo, cum omnis spes

---

(1) *IV Reg.*, XXV, 12; *Jer.*, XXXIX, 10.
(2) *IV Reg.*, XXV, 22 ss.; *Jer.*, XL ss.
(3) Cfr VANDERVORST, *o. c.*, p. 157.
(4) *IV Reg.* XXV, 27 s.
(5) Vide textus apud F. KORTLEITNER, *De religione populari israëlitarum*, Œniponte, 1927, p. 29.

humana evanuisset, recolebant monita et minas tam concretas prophetarum ; jam perspiciebant causam suæ ruinæ unicam fuisse inobedientiam suam et rebellionem patrum suorum erga Deum ; jam fatebantur captivitatem esse justam punitionem divinam. Simul tamen erigebantur in spe, nam minis suis Deus junxerat promissionem purificationis et salvationis « reliquæ alicujus partis populi » ; prædixerat judicium suum contra nationes, in specie contra Babel et pollicitus erat futurum reditum filiorum Israël ut conderetur regnum æternum Messiæ (1).

Restaurationem suam nationalem et religiosam sollicite parabant ; licet carerent sanctuario et sacrificiis, acuebant vitam religiosam, multiplicabant dies pœnitentiæ et jejunii, scrupulosius servabant legem sabbati et, ut videtur, introduxerunt usum conventus sabbatini in synagogis. Patrimonium solum sibi relictum, legem nempe, omni diligentia prosequebantur ; ei jam student etiam laïci qui scribæ vocantur et quorum typus Esdras describitur : « paravit cor suum ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israël præceptum et judicium » (2).

In hac renovatione magnas partes habuerunt prophetæ : nutriebantur exsules lectione istarum prophetiarum, quas Isaïas scripserat intuitu futuri exsilii ; avide legebant epistolas quas ad captivos mittebat Jeremias et cum enthusiasmo audiebant prædicationes Ezechiëlis qui apud ipsos in exsilio versabatur (3). Horum prophetiis commoti anhelabant ad finem servitutis quam Jeremias per septuaginta annos duraturam prædixerat (4) ; vivide

---

(1) Non possumus hic afferre omnes textus prophetarum ad hoc facientes, eos breviter collectos videsis apud J.-B. Pelt, *Histoire de l'ancien Testament*, II, 6 ed., Paris, 1912, p. 164 ss.

(2) *I Esdr.*, vii, 10. — De his omnibus cfr J. Nikel, *La religion d'Israël*, apud J. Huby, *Christus*, 3 ed., Paris, 1921, p. 914.

(3) Cfr J. Touzard, *L'âme juive au temps des Perses*, apud period. *Revue biblique*, 1916-1927.

(4) *Jer.*, xxv, 11 ss. ; xix, 10.

exspectabant verificationem dictorum Isaïæ : « Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram ut subjiciam ante faciem ejus gentes et dorsa regum vertam » (1), et « Dico Jerusalem : habitaberis ; et civitatibus Juda : ædificabimini et deserta ejus suscitabo » (2).

Edictum Cyri.

Tres successores Nabuchodonosor post breve regnum in conspirationibus aulicis perierant ; quartus successor Nabunaïd, regnum adeptus a. 555, mentis erat debilis et studio archæologiæ sacræ regimen postposuit. Ita jussit Babylonem deduci omnes deos tutelares Chaldææ, quod juxta conceptus religiosos Chaldæorum summa erat impietas, etenim, amota statua, civitatibus subtrahebatur protectio divina ; præ indignatione populi rex coactus est per aliquot annos regno valedicere eique suo loco præficere filium suum Balthasar.

Interea ad orientem convalescebat regnum persarum : Cyrus circa annum 559 successit patri suo ut rex Ansan seu tribus alicujus persarum, quæ erat subjecta regi medorum Astyagi ; circa annum 553 devicit Astyagem et factus est rex persarum et medorum ; a. 546 superavit Cresum regem Lydiæ ; tandem a. 539 aggressus est Babylonem quam noctu expugnavit ; Nabunaïd fuga se eripuit, Balthasar occisus est (3).

Novus rex non egit more triumphatorum semitarum sed sub respectu tum politico, tum religioso summa enituit tolerantia erga victos ; omni deprædationi præsertim templorum obstitit et statim de rebus religiosis suorum subditorum sollicitum se exhibuit. Scimus enim documentis profanis Cyrum, ipso sui ingressus triumphalis anno, decreta tulisse quibus proclamabat se jussu Marduk, dei Babel, omnes deos Babyloniam a Nabunaïd deductos restituere ; simul mandabat eorum templa

(1) *Is.*, XLV, 1.

(2) *Is.*, XLIV, 26.

(3) Hæc fusius exponit P. DHORME, *Cyrus le grand*, apud period. *Revue biblique* 1912, p. 21 ss.

reædificari et deos restitutos orabat ut apud Marduk pro salute regis ejusque familiæ intercederent (1).

Eodem benevolo spiritu ductus, eodem primo anno regni sui in Babylonia, decretum scriptum tulit de reædificando templo Jerusalem. Dicit Cyrus se a Deo cæli, Deo Israël mandatum accepisse ut restitueret templum Jerusalem (2) ; judæos sui regni hortatur ut ascendant et ædificent templum, illos autem qui in Babylonia remanere intendunt invitat ut migrantes variis subsidiis adjuvent et ut voluntaria dona pro futuro templo offerant. Aedificatio templi ita apparet objectum primarium decreti, cui subordinatur reditus judæorum ; hujus templi ipse Cyrus mensuras præfigit ejusque ædificationis expensas ipse solvit (3) ; sicut templis Chaldææ statuas, ita templo judæorum vasa olim direpta restituit (4).

Primus reditus judæorum (5).

Judæi ad restaurationem politicam et religiosam anhelantes Cyri decretum ut Dei præconium grato animo accipiebant ; expiata erant peccata, lucescebat exordium æræ messianicæ. Per menses aliquot commoda et incommoda reditus in communitatibus judaïcis agitabantur et mox prima migratio parabatur.

---

(1) Cfr Dhorme, *a. c.*, p. 44 ; J. Touzard, *Les juifs au temps de la période persane*, apud period. *Revue biblique*, 1915, p. 85.

(2) Inde deduci nequit Cyrum sincere Jahwe coluisse ; ita et de falsis numinibus in suis monumentis loquitur.

(3) *I Esdr.*, vi, 8 s. Similis cura apud quosdam Cyri successores deprehenditur, cfr Touzard, *a. c.*, *Revue biblique*, 1915, p. 86.

(4) Decretum Cyri sub duplici forma prostat in *I Esdr.*, i, 2-4 ; vi, 3-5. Hujus decreti hucusque non exstat documentum profanum, tamen valor historicus decreti non ægre probatur præsertim ex analogia cum decreto de diis Chaldææ ; cfr J. Gabriel, *Zorobabel*, Wien, 1927, p. 82 ss.

(5) Fontes præter libros canonicos *I et II Esdræ* (seu *Esdræ* et *Nehemiæ*) sunt *III liber Esdræ* apocryphus et *Antiquitates Judaïcæ* Flavii Josephi, sed horum valor historicus minimus est ; *III Esdr.* resumit modo sat incohærenti partes quasdam librorum canonicorum ; Flavius Josephus sequitur *III Esdr.*, sed conatur librum apocryphum harmonizare cum libris canonicis.

Dux primi reditus apparet Sassabasar seu Zorobabel (1), filius Salathiël (2), princeps Juda. Salathiël hic erat filius regis Jechoniæ, qui a. 597 captivus ducebatur Babyloniam et postea liberatus ad mensam regis admissus est ; deinceps cum familia sua cum honore regio tractabatur. Zorobabel in exsilio natus, ut jam ipsum nomen indicare videtur (3), ad aulam regiam educatus fuerit ; nomen ibi quasi officiale Schesbassar acceperit (4), quod de facto in libro Esdræ unice occurrit ubi agitur de tractationibus cum gubernio (5) ; judæi Zorobabel eum vocabant et, ut apparet ex historia subsequenti, in hoc principe regiæ stirpis David spem regenerationis politicæ et religiosæ fundabant. Probatum non est, quod quidam conjiciunt, Zorobabel Cyro adjumento fuisse in insidiosa expugna-

---

(1) Identificationem Zorobabel et Sassabasar, quam quidam adhuc impugnant, solide probavit A. Van Hoonacker ; compendium ejus argumentorum invenire est in commentario *Les douze petits prophètes*, Paris, 1908, p. 541 ss. Refutationem recentiorum objectionum vide apud Gabriel, *o. c.*, p. 48.

(2) Zorobabel esse filium Salathiël testantur *Ag.*, I, 1, 12, 14 ; II, 3, 24 ; *Esdr.*, III, 2, 8 ; V, 2 ; *Neh.*, XII, 1 ; hisce obstare videtur *I Chron.* seu *Par.*, III, 17 ss., ubi dicitur nepos Salathiël ; sed hic textus certe est corruptus ; cfr Van Hoonacker, *Zorobabel et le second temple*, Gand, 1892, p. 52 ss.; Gabriel, *o. c.*, p. 28 ss.

(3) « Sa généalogie seule témoigne qu'il devait être né pendant l'exil. C'est ce qu'indique aussi son nom, s'il faut, comme la chose est probable, le rattacher à une forme primitive babylonienne *Zir-Babil* (= *né à Babel*, ou *fils de Babel*) ; la forme hebraïque ou aramaïque sous laquelle le nom se présente dans la Bible (*Zerub-Babel*) nous paraît être un paronyme construit intentionnellement en vue de servir d'expression à la fois aux espérances que ses compatriotes fondaient sur le rejeton de la dynastie davidique, et au ressentiment qu'ils nourrissaient contre Babylone ; *Zerub-Babel* se prête en effet très bien à l'interprétation : *Écrase Babel* ». Van Hoonacker, *Petits prophètes*, p. 551.

(4) Hoc nomen non accepit a judæis cum involvat invocationem falsi numinis ; nomen, ut in textu hebraïco legitur, explicat A. Van Hoonacker ut æquivalens nomini babylonico *Schamaschbal* (vel *bil*)-*usur* = *Sol, protege principem* vel *filium* ; si textus græcus præferendus est, nomen est *Sin-bal-usur* = *Luna, protege principem*. Cfr *Zorobabel et le second temple*, p. 41 ; hæc explicatio apud plerosque interpretes invaluit.

(5) *I Esdr.*, I, 8, 11 ; V, 14, 16.

tione Babylonis (1) ; at certe Cyri favore gaudebat cum ab ipso fuerit constitutus princeps Juda, præpositus primæ migrationi et territorio a judæis occupando (2) ; illi quoque Cyrus vasa templi committit.

Duce Zorobabel, germine David, primæ quædam turmæ, sarcinis onustæ, iter arduum et longum aggressæ sunt ; qua via et quo præcise momento documenta non indicant. Quantus autem migrantium numerus fuerit non omnino constat. Si a priori rem consideramus, reditus non multis arridere poterat ; valedicebant enim regioni ubi libertate donati, fundos et divitias forsan adepti, commercium vel artem exercentes solide jam consistebant ; reditus erat ad civitates desolatas et magna ex parte destructas ; prævideri poterat vita dura, ardua ædificatio templi et murorum civitatis ; timendæ erant molestiæ a gentibus quæ per captivitatem illuc confluxerant. Oblivisci tamen non possumus vividam restaurationis cultus spem et naturale terræ patriæ desiderium.

Si documenta inspicimus, videmus plures judæos postea tantum patriam repetiisse aut definitive in Babylonia remansisse; certam numeri indicationem tradere videtur cap. secundum libri Esdræ ubi legitur catalogus virorum qui venerunt cum Zorobabel ; computantur ibi 42360 viri, non numeratis uxoribus et filiis nec servis et ancillis ; disputatur autem utrum catalogus exhibeat unice nomina illorum qui prima migratione advenerunt an adauctus sit nominibus posteriorum migrationum (3). Quidquid sit, absque dubio plura millia hominum cum Zorobabel iter

---

(1) Cfr Gabriel, *o. c.*, p. 84.

(2) *I Esdr.*, v, 14 vocatur « *pecha* » ; est titulus officialis indicans principem vassalem regis ; vocabulo persico idem dici videtur ubi Zorobabel vocatur *Tirschata* (Vulg. *Athersata*), *I Esdr.*, ii, 63.

(3) Idem catalogus cum minimis discrepantiis, incuriæ copistarum forsan tribuendis, invenitur in *II Esdr.*, vii. Hunc catalogum recensere migrantes cum Zorobabel propugnat Van Hoonacker, *Nouvelles études sur la restauration juive*, Louvain, 1896, p. 31 ss. ; catalogum esse adauctum censent Touzard, *a. c.*, *Revue biblique*, 1915, p. 87 ; Gabriel, o. *c.*, p. 87 ss.

sunt aggressi vel saltem valde cito cum secuti sunt ; secus enim subsequens historia restaurationis cultus et templi intelligi nequit.

M. De Jonghe.

II.

De munere Christi mediatoris.

Q. *Proba et summatim describe munus Christi mediatoris.*

R. — 1/ Christum *esse mediatorem* Deum inter et homines, et quidem *unum*, aperte pronuntiat *Scriptura sacra*: « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (1).

Eamdem veritatem unanimi consensu tanquam revelatam proponunt *ss. Patres Ecclesiæ* (2), quorum multos textus recitare necesse non est, quoniam res extra controversiam omnem versatur (3).

Attamen hæc pulcherrima testimonia s. Augustini exscribere lubet : « [Christus] et mediator Dei et hominum : quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter deitatem ; non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator ; divinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine divinitate non est mediatrix, sed inter divinitatem solam et humanitatem solam mediatrix est humana divinitas et divina humanitas Christi » (4).

---

(1) *I Tim.*, II, 5-6 coll., *II Cor.*, V, 19 s. ; *Coloss.*, I, 19 ; *Rom.*, III, 25 ; *Hebr.*, IX, 15 etc.

(2) De argumento traditionis oralis videsis *Collat. Brugen.*, XXIV, 35 s.

(3) Cfr s. Irenæus, *Adv. Hær.*, III, 18, 7 (MPG, VII, 936) ; s. Hilarius, *De Trinitate*, IX, 3 (MPL, X, 282) ; s. Athanasius, *Adv. arianos or.* II, 59 (MPG, XXVI, 273) ; s. Gregorius nazian., *Oratio* XLV, 22 (MPG, XXXVI, 653).

(4) S. Augustinus. *Sermo* XLVII, 12, 21 (MPL, XXXVIII, 310) coll. *In ev. Jo. tract.*, LXXXII, 4 (MPL, XXXV, 1844) ; *Enarr. in Ps.* XXIX, 2, 1 (MPL, XXXVI, 216).

« Hic [autem Christus] demonstratus est antiquis sanctis, ita ut ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ, salvi fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator ; in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo et Deus apud Deum et simul unus Deus. In quantum nos amasti, Pater bone, qui Filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum (1) ! Quomodo nos amasti, pro quibus ille, non rapinam arbitratus esse æqualis tibi, factus est subditus usque ad mortem crucis (2), unus ille in mortuis liber potestatem habens ponendi animam suam et potestatem habens iterum sumendi eam (3) ; pro nobis tibi victor et victima, et ideo victor, quia victima ; pro nobis tibi sacerdos et sacrificium, et ideo sacerdos, quia sacrificium, faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, tibi serviendo » (4).

« Unus est enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, quoniam non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportet salvos fieri nos (5), et in illo definivit Deus fidem omnibus, suscitans illum a mortuis (6). Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu, ... nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari et Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat » (7).

Ita etiam præclare s. Leo magnus : « Quæ reconciliatio esse potest, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator Dei hominumque susciperet ? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis erat Patri, in forma servi particeps

---

(1) Cfr *Rom.*, VIII, 32.
(2) *Philipp.*, II, 6, 8.
(3) Cfr *Jo.*, X, 18.
(4) S. AUGUSTINUS, *Confess.*, X, 43, 68 (MPL, XXXII, 808) coll. *De civit. Dei*, XI, 2 (MPL, XLI, 318).
(5) *Act. Apost.*, IV, 12.
(6) *Ibid.*, XVII, 31.
(7) S. AUGUSTINUS, *De gratia et pecc. orig.*, II, 24, 28 (MPL, XLIV, 398).

esset et nostri, ut per novum hominem fieret renovatio vetustatis, et mortis vinculum unius prævaricationis contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? » (1).

Veritas igitur de Christo mediatore uno Deum inter et homines *credi* debet *fide divina*, utpote divinitus *revelata*; *teneri* debet insuper *fide catholica*, quippe quæ *definita* fuit solemniter ab Ecclesia, primum in concilio florentino (2), rursus in concilio tridentino : « Si quis hoc Adæ peccatum,... per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi,... a. s. » (3).

2/ Ad penitiorem intellectum hujusce dogmatis cum s. Thoma prænotare juvat, ad munus mediatoris duo pertinere, rationem videlicet medii et officium conjungendi; aliis verbis, mediator dicitur qui medius stat inter duos, adeoque, addit Angelicus, « distat ab utroque extremorum », et simul eosdem conjungit, « per hoc quod ea quæ uniùs sunt, defert ad alterum » (4).

Mediator itaque necesse est cum iis, inter quos veluti medius consistit, habeat utrimque aliquid commune, eisque conjunctus existat. Hæc porro conjunctio cum utrisque constituit mediatorem seu medium *in ordine ontologico*; simul autem confert aptitudinem, seu actum primum, ad munus mediationis, puta conciliationis, reapse explendum; in hoc porro munere habetur ea, quam mediationem *in ordine morali* vocare possumus (5).

Nunc autem Christus medius existit, in ordine ontologico, Deum inter et homines, *ut homo*, sicut aperte pronuntiat Scriptura : « Mediator..., homo Christus Jesus »,

---

(1) S. Leo magnus, *Epist.* cxxiv, 3 (MPL, LIV, 1064).

(2) *Conc. flor.*, œcum. XVII, in decreto pro Jacobitis (*Enchir.*, n. 711 vel *Thesaurus*, n. 789).

(3) *Conc. trid.*, œcum. XIX, sess. V, in decreto de pecc. orig., cap. 3 (*Enchir.*, n. 790 vel *Thesaurus*, n. 871).

(4) *Sum. theol.*, III, q. 26, a. 2, c.; cfr *Collat. Brugen.*, V (1900), p. 666 s.

(5) Lege Franzelin, *De Verbo incarn.*, th. 46, p. 492, Romæ, 1869.

et insistendo notat s. Augustinus : « In quantum homo, in tantum mediator ».

Et revera, ratione naturæ humanæ assumptæ, Christus erat infra Deum (1), atque simul erat supra omnes homines, primo atque præcipue ratione dignitatis hujusce naturæ subsistentis per esse divinum (2), deinde ratione plenitudinis gratiæ et veritatis, quæ unionem humanitatis cum divinitate consequebatur (3).

Insuper, quia Christus prædicto modo locum tenebat medium Deum inter et homines, aptus erat ut Deum et homines per peccatum ab invicem disjunctos rursum conjungeret (4), et reipsa conjunxit reconcilians mundum Deo in sanguine suo, pro nobis peccatum factus, uti dicit Apostolus, « ut nos efficeremur justitia Dei in ipso » (5).

Munus igitur Christi mediatoris primo quidem et principaliter involvit ipsam reconciliationem hominum ad Deum ; et enim hac de causa Verbum caro factum est (6). Hoc est autem munus, quod nunc plerumque vocamus *munus* Christi *sacerdotale*, sed cum hoc munere connectuntur, et huic muneri subordinantur duo alia munia : primum, quod dicimus munus Christi *propheticum et magisteriale*; alterum quod munus Christi *regium* nuncupamus. Hæc tria munia, simul sumpta, constituunt mediationem Christi adæquate spectatam, quæ totum opus Christi complectitur, sed a præcipua sua parte opus nostræ redemptionis appellatur (7).

---

(1) Cfr *Jo.*, XIV, 28 : « Quia Pater major me est ».

(2) Seu per gratiam unionis, de qua vide *Collat. Brugen.*, XXI (1921), p. 209 s.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, XXI, p. 286 s., p. 312 s. et in hoc tomo p. 85 s.

(4) Recole quæ de necessitate incarnationis disseruntur apud *Collat. Brugen.*, XXVI, p. 402 s.

(5) *II Cor.*, V, 21.

(6) De fine proximo incarnationis lege *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 455 s.

(7) Ita etiam Apostolus scribens ad Timotheum de uno mediatore Christo statim addit : « qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus », ut supra indicavimus.

Attamen, quamvis *unus* sit mediator Dei et hominum, qui quondam perfecit et jugiter adhuc perficit opus reconciliationis et salutis generis humani *sua virtute*, qui mediator adeoque existit perfectus, ut ait s. Thomas (1), seu mediator *simpliciter*, nihil tamen prohibet quominus in hoc opere salutis cum omnibus hominibus cujusvis temporis communicando, assumantur quidam homines, qui dicuntur itaque « mediatores *secundum quid*,... prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo dispositive vel ministerialiter » (2).

Mediator porro *perfectus*, ut ex dictis facile intelligitur, merito dicitur etiam mediator *naturalis*, qui videlicet per suam naturam conjunctus existit cum Deo et cum hominibus ; qui præterea, ex hac mediatione naturali ordinis ontologici, habet in ordine morali insitam et naturalem aptitudinem ad ipsam conciliationem Dei cum hominibus perficiendam (3), et qui, quod revelatione edocemur, eamdem reapse operatus est et adhuc operatur (4).

Mediatores vero *secundum quid*, qui participant munus Christi eique subordinantur, mediatores existunt, non per naturam, sed *per gratiam*, ex dono gratuito supernaturali, imprimis ex munere et potestate sacerdotali, adeo ut, si sine exaggeratione omnis christianus dici possit « alter Christus » (5), hoc nihilominus titulo prorsus

---

(1) *Sum. theol.*, III, q. 26, a 1, c.

(2) *Ibidem* et ad 1 s. Thomas indicat tanquam mediatores sub vetere testamento prophetas et sacerdotes, sub nova lege sacerdotes, qui vice Christi « salutaria sacramenta hominibus exhibent »; de hoc munere sacerdotum, qui opus Christi continuant, in sequentibus responsionibus quædam addemus.

(3) Supposita Dei voluntate exigendi pro peccato reparationem adæquatam, (non tamen ex rigore justitiæ, ut aliquando dicitur), solus Deus- homo poterat satisfacere et mereri de condigno, ut in tractatu de Verbo incarnato latius explicatur et probatur.

(4) Christus, mortem passus in cruce, satisfecit pro peccatis nostris, nos redemit, gratiam meruit de condigno, et sine intermissione applicat fructum passionis et mortis suæ, præsertim in sacrificio altaris et in sacramentis.

(5) Cfr *Collat. Brugen.*, XIV (1909), p. 240.

speciali de sacerdotibus novæ legis prædicari possit ac debeat.

Breviter : *unus* existit *mediator* Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui *ut homo* vere medius consistit Deum inter et homines, eosdemque conjungit imprimis *munere* suo *sacerdotali*, sed adhuc *munere* suo *prophetico et magisteriali*, necnon *munere* suo *regio* ; ipse Christus solus est mediator *perfectus*, seu mediator *simpliciter* ; benigne assumpsit alios mediatores *secundum quid*, qui *per gratiam* constituuntur inter Deum et homines ad opus mediationis perficiendum, dum ipse solus mediator *naturalis* prædicari debet.

H. Lamiroy.

III-IV.

De virtute pœnitentiæ.

Q. *Ostende dari aliquam virtutem peculiarem pœnitentiæ eamque esse partem potentialem justitiæ.*

R. — Ad 1m.

In præcedenti responso ostendimus nos salutariter detestari posse peccatum quodvis ex motivo plurium virtutum, quæ *imperent* actum pœnitentiæ, uti sunt caritas, spes, religio etc. Nunc autem ostendere volumus, ad mentem s. Thomæ, existere nihilominus aliquam virtutem, quæ *elicit* actum pœnitentiæ et distinguitur ab omni alia virtute,

1/ *Datur aliqua virtus pœnitentiæ.*

Pœnitere est dolere de peccato præterito cum intentione removendi illud, scilicet sequelam ipsius, offensam Dei et reatum pœnæ, atque vitandi peccatum in futuro.

Atqui, ita agere est ponere actum virtutis. Nam, uti docet s. Thomas, « virtus est habitus electivus secundum rationem rectam : pertinet autem ad rationem rectam, ut

aliquis doleat, de quo dolendum est, et eo modo, et fine, quo dolendum est : quod quidem observatur in pœnitentia, de qua nunc loquimur, nam pænitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea » (1).

Manifestum est itaque habitum qui inclinat ad talem actum, merito secundum actum suum vocari virtutem pœnitentiæ.

Datur itaque aliqua virtus pœnitentiæ.

2/ *Pœnitentia est aliqua virtus specialis.*

Quælibet virtus specialis specialem materiam habet, quia habitus distinguuntur per actus, et actus per objecta formalia.

Atqui, pœnitentia habet materiam *specialem*. Nam, etsi respiciat peccatum quodvis, contra quamvis virtutem commissum, tamen respicit illud *cum intentione operandi ad ejus deletionem*, adeoque sub ratione omnino speciali, *in quantum scilicet emendabile est* per actum peccatoris resipiscentis, cooperantis Deo ad suam justificationem.

Ceterum, facile est ostendere objectum formale istius virtutis differre ab objecto formali aliarum virtutum. Imprimis, manifestum est pœnitentiæ objectum non esse Deum sed offensam Dei, adeoque eam non esse virtutem theologicam. Quod autem attinet virtutes morales, sola justitia, religio et obedientia in considerationem venire possunt. Jamvero, pœnitentia 1) non est justitia commutativa : hæc enim respicit jus alienum ad æqualitatem servandum vel compensandum. Dicemus quidem in responso ad II^m jus Dei ad honorem lædi per peccatum, et jus illud quod læsum est per pœnitentiam compensari ; compensatio tamen juris *divini* læsi fieri nequit secundum æqualitatem et per solam acceptationem divinam sufficiens esse potest. 2) Non est justitia vindicativa, quæ proprie pertinet ad judicem et versatur circa pœnas exigendas, dum pœnitentia spectat personam rei et

(1) S. Thomas, *Sum. theol.*, III, q. 85, a. 1, c.

versatur primarie circa culpam abolendam. Præterea, ad justitiam vindicativam pertinet ut quis vel invitus puniatur, et non postulatur ut reus doleat de culpa commissa; pœnitentia vero voluntarie reparat offensam et dolet de ea. 3/ Non est religio, nec obedientia, quia aliud est intendere cultum Dei vel observationem legis divinæ, aliud intendere reparationem offensæ Dei, quod spectat ad pœnitentiam.

Restat itaque ut pœnitentia dicatur virtus specialis.

Ad IIm.

Prænotamus quatuor dari virtutes morales cardinales ad quas ceteræ virtutes morales reducuntur tanquam partes adnexæ vel *integrales*, « ut scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicujus, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius », vel *subjectivæ*, quæ rationem virtutis principalis sub qua inveniuntur perfecte participant, ita ut ad eam referantur sicut species ad genus, vel *potentiales*, quæ imperfecte tantum participant rationem virtutis cardinalis cui adnectuntur, « quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis » (1).

1/ *Pœnitentia, ut virtus, reducitur ad justitiam.*

Etenim, reparatio peccati, quam intendit pœnitentia est compensatio quædam juris divini læsi. Atqui, compensatio juris læsi spectat justitiam. Ergo, pœnitentia ut virtus reducitur ad justitiam.

Major probatur hoc modo : Deus omnia ad suam gloriam extrinsecam creavit et, quia omnia sua sunt jure proprietatis, jus habet ad honorem quem a creatum rationali exigit, adeoque jus etiam ad debitam compensationem si creatura rationalis jus illud læserit. Jamautem, omne peccatum lædit jus Dei ad honorem, ad testificationem excellentiæ ejus. Reparatio itaque peccati est compensatio quædam juris divini læsi.

2/ *Pœnitentia est pars potentialis justitiæ.*

Ratio est quia deficit a perfectione justitiæ, cum non

(1) S. Thomas, II-II, q. 48, a. 1, c.

attingat æqualitatem in reddendo debito. Homo enim non potest pro peccato compensationem exhibere secundum æqualitatem, idest tantum honoris Deo rependere quantum peccato detractum est.

Ad rem s. Thomas : « dupliciter dicitur justum, scilicet *simpliciter*, et *secundum quid* : *simpliciter* quidem justum est inter æquales ; eo quod justitia est æqualitas quædam.... ; justum autem *secundum quid* dicitur quod est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro, et tale justum consideratur in pœnitentia » (1). Ratio autem cur pænitentia deficiat a perfectione justitiæ est divina excellentia : « Medium justitiæ est æqualitas, quæ constituitur inter illos, inter quos est justitia... ; in quibusdam autem non potest perfecta æqualitas constitui propter alterius excellentiam ; sicut inter patrem, et filium, aut inter Deum, et hominem.... ; unde in talibus ille qui est deficiens, debet facere quidquid potest : nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem superioris... » (2).

Nota. 1/ Pœnitentia habet duplicem actum, *fugæ* scilicet et *prosecutionis,* et utriusque actus idem est motivum formale : amor juris divini.

Actus *fugæ* seu aversionis versatur *primarie* circa peccata *commissa,* et est detestatio præteriti actus peccaminosi, *secundarie* circa peccata futura, et est propositum non peccandi de cetero. Actus *prosecutionis* est intentio delendi peccatum commissum compensando juris divini læsionem. Porro, actus detestationis peccati commissi est actus principalis pœnitentiæ, quia est prima et principalis compensatio.

2/ Pœnitentia respicit actus quibus peccator jus divinum *a se læsum* compensat. Sola enim proprii peccati detestatio et reparatio pœnitentia vocatur. In Christo

---

(1) S. Thomas, III, q. 85, a. 3, c.
(2) *Ibidem*, a. 3, ad 2m.

itaque et in Beata Maria Virgine stricti nominis pœnitentia non fuit. Qua de causa, Congregatio s. Inquisitionis damnavit titulum : « Cor Jesu pænitens pro nobis » (1).

V. Coucke.

V.

Het nestorianisme na het concilie van Ephese.

V. *Welk was het verder verloop van het nestorianisme na het concilie van Ephese (431)?*

A. Wel was de leer van Nestorius door den paus en een gezaghebbend concilie geanathematizeerd (2), doch deze veroordeeling werd zoo licht niet aangenomen door de oosterlingen. Ofschoon hij Nestorius had afgekeurd, bleef namelijk Joannes van Antiochië fel gekant tegen de leer van den h. Cyrillus, waarin hij meende apollinarisme te vinden. Een hardnekkige strijd begon na het concilie van Ephese tusschen de twee partijen, die om de beurt de gunst van den keizer trachtten te winnen ; doch Theodosius zag volstrekt niet klaar in dezen theologischen twist, waar ten andere zooveel persoonlijke aangelegenheden werden bijgesleurd. Toen hij er niet in gelukte de partijen te verzoenen, keerde zijn misnoegdheid tegen Nestorius, dien hij als de eerste oorzaak van heel de tweedracht beschouwde ; hij verbande hem voorloopig in een klooster bij Antiochië en, toen deze daar nog voortging zijne leer te verspreiden, zond hij hem naar eene oase in Egypte. Te Constantinopel werd Nestorius vervangen door Maximianus (25 oct. 431), die Cyrillus niet ongenegen was.

Dit was een eerste kentering in het Oosten, doch verdere toenadering kon eerst bekomen worden na den dood van paus Celestinus (16 juli 432). De nieuwe paus

(8) *Acta s. Sedis*, XXVI, p. 319. Romæ, 1893-94.

(1) Zie hooger bl. 256-262 ; de daar aangehaalde werken werden hier weerom benuttigd. Zie vooral Tixeront, *o. c.*, p, 48 ss.

Xystus III trad immers zeer verzoenend op : wel hield hij de beslissingen van het Ephesinum staande, maar drukte tevens den wensch uit dat de gemeenschap tusschen de bisschoppen zou hersteld worden (1). Keizer Theodosius trad op als bemiddelaar en de h. Cyrillus gaf uitleg over zijn persoonlijke leer : hij legde er namelijk nadruk op dat hij volstrekt, even als zijn tegenstrevers, alle verandering of vermenging verwierp in de twee naturen van Christus (2). De verklaringen door Cyrillus verstrekt bevredigden menigeen, zoodat allengerhand de beste onder de oostersche bisschoppen naar verzoening begonnen uit te zien. Om deze te bevorderen zond Joannes van Antiochië een bijzonderen gezant, Paulus van Emesus, naar Alexandrië met een geloofsbelijdenis, waarop hij meende met den h. Cyrillus te kunnen akkoord gaan. Werkelijk stemde Cyrillus er mede in, op voorwaarde nochtans dat Joannes uitdrukkelijk Nestorius zou veroordeelen ; dit ook werd toegestaan en in zijn brief *Lætentur cœli* maakte de h. Cyrillus het beruchte *symbolum unionis* bekend, waardoor de vrede tusschen de twee patriarchen hersteld was (maart-april 433) (3).

Dit *symbolum unionis* is van groot belang in de geschiedenis van den christologischen strijd ; het luidde als volgt :

---

(1) Batiffol, *o. c.*, p 380.

(2) De christologie van den h. Cyrillus, zoo fel bekampt door zijne tijdgenooten is heelemaal orthodox en sluit aan bij de katholieke overlevering ; zij moet echter op haar eigen beschouwd worden, met de bijzondere beteekenis die de heilige aan sommige termen geeft. « Si l'on veut avoir de la doctrine christologique de saint Cyrille une idée juste, aldus Tixeront (p. 79), il est bon de ne pas presser outre mesure les distinctions verbales faites après lui. Au lieu de construire en quelque sorte artificiellement, comme les antiochiens, l'unité du Christ, le patriarche de Constantinople la saisit directement et a en a le sens immédiat. Son point de vue est moins métaphysique que religieux. C'est comme Athanase, l'idée de la rédemption qui le hante. Un homme ne pouvait nous sauver : il faut pour cela que le Verbe de Dieu, que Dieu lui même naisse, souffre et meure pour nous ». Zie ook Mahé, *a. c.*, in RHE en Lebon, *Le monophysisme sévérien*, Louvain, 1909.

(3) Tixeront, *o. c.*, p. 49.

« We belijden dat Onze Heer Jesus Christus de eeniggeboren Zoon Gods, volmaakte God en volmaakte mensch is, uit een redelijke ziel en een lichaam ; geboren, naar de godheid vóór de eeuwen uit den Vader ; en, *dezelfde*, geboren naar het vleesch, op het einde der tijden, uit Maria de Maagd, voor ons en voor onze verlossing ; dat *dezelfde* is, naar de godheid, *homousios* met den Vader en, naar de menschheid, *homousios* met ons. Want er is geweest vereeniging van twee naturen (φύσεων) : daarom belijden wij een Christus, een Zoon, een Heer. Volgens dit begrip van de onvermengde vereeniging, belijden wij dat de h. Maagd *theotocos* is, vermits het Woord Gods vleesch geworden is en mensch geworden en van zijn ontvangenis af met zich zelf heeft vereenigd den tempel dien hij uit haar heeft genomen. Wat de evangelische en apostolische uitspraken over den Heer betreft, wij weten dat de theologen er eenige vergemeenschappelijken als slaande op een persoon (προσώπον), en andere afscheiden als slaande op de twee naturen : zulke namelijk die aan de godheid toekomen schrijven zij toe aan Christus' godheid ; zulke echter die nederig zijn schrijven zij toe aan zijn menschheid » (1).

De h. Cyrillus, toen hij deze verzoeningsformule aannam gaf blijken van groote toegevendheid : zijn eigen uitdrukkingen werden meestal van kant gelaten ; doch hij was groot genoeg om door de woorden heen te zien, en 't was hem genoeg dat de eenheid van persoon in Christus, vóór en na de menschwording, meermaals en zoo duidelijk erkend was. Ook het *theotocos* was hem toegegeven alsmede het beginsel der *communicatio idiomatum ;* dit laatste echter was niet zeer duidelijk voorgesteld, en gaf dan ook later aanleiding tot verder gekijf (2). Voor alstoen nochtans gaf het *symbolum unionis* aan velen vol-

(1) Deze vertaling is genomen uit Janssens, *Het menschgeworden Woord*, bl. 116 zie oorspronkelijken tekst bij Cavallera, *Thesaurus doctrinæ catholicæ*, n. 675.

(2) Zie daarover Héfélé-Leclercq, *o. c.*, p. 404-413.

doening ; langs beide kanten echter bleven enkelen onverzoenlijk. De h. Cyrillus moest thans de pen opnemen om zich tegen zijn eigen vrienden te verdedigen en te bewijzen dat hij, wat den grond der leering betrof, niets had toegegeven. Grooter tegenstand nog ontmoette Joannes van Antiochië ; doch Theodosius verplichtte hier de oostersche bisschoppen, onder bedreiging van afzetting en verbanning, de verzoeningsformule aan te nemen.

De strenge nestorianen aldus door den keizer vervolgd trokken zich terug naar Perzië en omliggende landen. Hun hoofd was eerst Barsumas van Nisibis, die het cœlibaat afschafte ; dan Babocus, onder wien de oprichting eener eigen nestoriaansche kerk tot stand kwam. Vandaar drong de ketterij dieper in Azië door, bloeide tot de XIVe eeuw, maar ging sedert den inval van Tamerlan voortdurend achteruit (1).

R. Deschepper.

VI.

De baptisterio et fonte baptismali.

Q. *Quomodo construenda sunt et ornanda baptisterium et fons baptismalis ?*

R. - De loco baptismi conferendi statuit *Rituale Romanum*, II, 1 :

42. Proprius baptismi solemnis administrandi locus est Baptisterium in ecclesia vel oratorio publico (ex C. J. C. can. 773).

46. Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliæ sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur seu collocetur imago sancti Joannis Christum baptizantis.

His addunt *Statuta Diœc. Brugen.*, n. 179 : « Sedulo invigilent parochi ne locus præcellenti huic sacramento

(1) Zie Albers, *Kerkgeschiedenis*, I, 1918, bl. 219.

administrando destinatus, in usus profanos imo et sordidos convertatur » (1).

Prænota nomine *baptisterii* nos intelligere locum seu sacellum ad baptizandum exstructum, in quo exstat *fons baptismalis,* seu vas aquam baptismalem continens Ipse tamen fons non raro, ut in citato textu Ritualis, vocatur baptisterium.

I. De ipso **baptisterio** (doopkapel) vix aliquid præscribit Rituale.

1. Exigit ut fons baptismalis erigatur « in loco decenti » ad hoc ordinato, non in sacristia, ut prohibet decr. n. 3104,9, sed « in ecclesia vel certe in baptisterio prope ecclesiam » ut olim statuebat Rituale Romanum, II, 1, 28. Ita indigitantur diversi usus traditionales, quos accurate recensent archeologi.

Antiquitus enim maxime in Italia sæpe constructa erant baptisteria ab ecclesia *separata*. Non raro erant vera monumenta artis, ut hodiedum videre est Romæ, Pisis, Florentiæ, etc.

In regionibus autem cisalpinis et posteriori tempore ubique solebant baptisteria extrui in modum *sacelli ecclesiæ contigui* seu adjacentis, ita ut immediatus esset ingressus a baptisterio in ecclesiam : per baptismum enim Ecclesiam ingredimur : Ideo solebant illæ capellæ bap-

---

(1) Cfr *S. Caroli Borromæi Instruct. fabricæ eccl. et sepellectilis eccl.* Edit. annotée par E. Van Drival, Paris, 1855, cap. XIX, De baptisterio, p. 82-105. Versio gallica cum adnotationibus R. D. Serville, ap. *Bulletin des métiers d'art*, t. III (1904), 370-379. Cf. *Les fonts baptismaux de St-Barthélemy à Liége*, ibid., t. VI (1907), 323-332 ; MARTIGNY, *Diction. des antiq. chrétiennes*, Paris, 1877, vo Baptistères, p 83-88 ; X. BARBIER DE MONTAULT, *Traité pratique de la construction, de l'ameublement et de la décoration des églises*, Paris, 1877, t. I, 105-119 ; JOH. GERHARDY, *Praktische Ratschläge über kirchliche Gebaüde, Kirchengeräte und Paramente*, Paderborn, 1913, § 31, Der Taufstein ; L. SOENGEN, S. J., *Gotteshaus und Gottesdienst*, Freiburg i. Br., 1922, Der Taufstein, p. 50-52 ; ILL. VAN DER STAPPEN, *De administratione sacrament.*, q. 62-53 ; J. CORBLET, *Hist. du sacr. de baptême*, Paris, 1882, t. II, 8-82 ; G. MALHERBE, *Le mobilier liturgique d'une église paroissiale*, Luttre (sans date), ch. IV, 42-46.

tismales erigi non ad chorum, sed *prope ingressum*, ad atrium, et quidem, ubi fieri commode poterat, potius *ad Aquilonem*, quæ est regio tenebrarum, a quibus per sacramentum illuminationis transferimur in regnum lucis. Forma sæpe erat octogonalis, interdum sexagonalis, rarius quadrata.

Quo manifestius exprimatur baptismum esse sacramentum quo *Ecclesiam ingredimur*, volunt quidam ut baptisterium construatur a latere atrii seu ingressus, cum duplici ostio : altero quo baptizandus post priores cæremonias, ex atrio seu narthice (portaal) ingreditur baptisterium ; altero vero quo, suscepto sacramento, baptizatus directe accedit ad ipsam ecclesiam, ad Deum qui lætificat juventutem suam.

Valde expressivus sane est hic symbolismus.

Practice tamen non desunt obstacula satis gravia. Atrium seu narthex de se jam videtur locus minus conveniens cæremoniis per agendis ; et certe in regionibus, tempore maxime hiemali, vento et frigori obnoxii erunt non solum qui baptizandum ad baptismum deducunt sed et ipse puerulus baptizandus. Præterea ipsum Rituale præscribit baptizandum introducendum esse « in *ecclesiam* » antequam deducatur ad cancellos baptisterii et tandem ad ipsum baptisterium. Ergo non ab atrio sed ab ecclesia ingreditur baptisterium. Tandem etiam in primitiva Ecclesia admittebantur catechumeni, non ad sacrificum, sed ad missam catechumenorum, retro post fideles quidem, sed tamen in ecclesia.

Unde solet construi baptisterium ut *sacellum contiguum lateri ecclesiæ*, ad cujus navem patet largus accessus per introitum cancellis aut janua cancellata clausum.

Tandem in multis, præsertim minoribus, ecclesiis baptisterium non est structura specialis sed simpliciter *portio quædam ipsius ecclesiæ*, generatim prope ingressum et ad aquilonem. Hujusmodi dispositionem videtur supponere Rituale dum exigit ut baptisterium sit « cancellis circumseptum ».

2. Quum primis sæculis baptismus conferri soleret per immersionem in alveis fluminum vel in fontibus aut

puteis naturalibus aut artificialibus, liquet ad baptismum vero sensu fuisse *descendendum*. Præterea symbolismo a s. Paulo jam descripto (Rom., VI, 3) immersio est imago mortis et sepulturæ : fons ergo repræsentat sepulchrum. Unde vult traditio ut baptisterii pavimentum « ne solio ecclesiæ altius sit » (1), sed in medio habeat excavationem ad quam descenditur duobus aut, ut ait s. Carolus Borromeus « tribus saltem gradibus ». Forma hujus « sepulchri » sit ovalis, rotunda vel imitetur formam v. g. octogonalem ipsius sacelli. Satis late pateat ut præter fontem baptismalem saltem pro baptizando sit spatium, sacerdote et forte etiam susceptoribus stantibus in altiori circumjacenti pavimento (2). In medio hujus excavationis erigitur vas baptisterii seu

II. **Fons baptismalis** (doopsteen, doopbekken).

1. Hic debet esse ex « *materia solida, et quæ aquam bene contineat* ». Convenientius conficitur ex uno lapide marmoreo aut saltem duro non spongioso. « Si vas æneum fuerit, stanno fusili ab interiori parte sit illitum, ne aqua ærugine inficiatur » (3). « Si autem ex ligno — quod minus convenit — aut lapide poroso conficeretur, ab intus tunc stanneo vase vestiatur usque ad oram ; qui vestitus debet manubriis muniri, ut possit auferri et debito tempore diligenter mundari » (4).

Vas illud non affigatur parieti ; sit forma convenienti, rotunda, quadrata aut polygonali ; non imitetur formam altaris aut globi terrestris, quæ minus congruunt baptismi symbolismo. Erigatur ad debitam altitudinem et ideo sustentetur scapo aut columellis et basi.

2. « Ubi baptismus fit per infusionem aquæ, [ne aqua

---

(1) Ut ait S. Carolus-Borromæus,, *op. cit.*, p.

(2) Ex hac dispositione intelligitur fontes baptismales antiquos interdum fuisse altiores, ut videre erat in Leke. Et in restaurandis hujusmodi baptisteriis oporteret non mutilare (eheu !) antiquum lapidem sed restituere primævam pavimenti et sepulchri ordinationem.

(3) Ita merito statuebat antiquum *Pastorale Brugense*, p. 172.

(4) Ill. Van der Stappen, *De administr. sacramentorum*, q. 63, 2°.

baptismalis immunda fiat] cavendum est, *ne aqua ex infantis capite in fontem*, sed a) vel in sacrarium baptisterii prope ipsum fontem exstructum defluat, aut b) in aliquo *vase ad hunc usum parato* recepta, in ipsius baptisterii vel in ecclesiæ *sacrarium* effundatur » (R. R., II, 1, 11).

Utraque agendi ratio pari modo commendatur. Unde in nonnullis ecclesiis v. g. Dinant, prope fontem erectum est in columella fixa vas lapideum in quo aqua ex capite defluens decurrit et deducitur parvo canali per columellam et pedem ad sacrarium sub basi effosum (1).

In aliis baptisteriis, ipse sinus fontis baptismalis est divisus in duas partes : in altera servatur aqua baptismalis ; in altera excipitur aqua ex capite decurrens et statim ut supra in piscinam defluit.

In nostris autem regionibus communiter adhibetur « pelvis seu bacile » (R. R., II, 1, 69 ; IV, 40) et aqua projicitur in sacrarium, effossum sub pavimento et coopertum lapide secto quadrato qui sit annulo munitus.

Curandum est ut hujusmodi pelvis sit decens, non ex suppellectili communi et profana assumpta, sed ut ait Rituale « ad hunc usum parata », ex materia non fragili, sed v. g. ænea aut stannea, et ornatu aliquo religioso aut symbolico insignita.

3. Fons baptismalis debet esse « *sera et clave munitus*, atque ita abseratus ut pulvis vel aliæ sordes non penetrent », et aqua baptismalis ad alium usum adhiberi nequeat. Ideo claudi debet fons cooperculo solido, ex ligno vel metallo, quod sit convenienter ornatum juxta stylum ipsius fontis, quodque facile sublevari aut removeri possit.

III. Ad ornatum quod spectat, cupit Rituale Romanum ut « ubi commode fieri potest, depingatur seu collocetur imago sancti Joannis Christum baptizantis ». Eidem sancto solent ab antiquis dedicari baptisteria. Sed hæc

---

(1) Interdum etiam in et supra ipsum alveum fontis. Cfr E. Van Gramberen, *Over doopvonten*, apud *Sint-Lucas*, 1910-11, blz. 23-28.

imago, quæ sæpe ponitur in summitate cooperculi fontis, potest etiam depingi v. g. in fenestra aut in tabula muro appensa.

Aliæ quoque imagines ac symbolicæ repræsentationes adhiberi possunt tam ex Veteri Testamento aut Christi mysteriis, quam ex symbolismo traditionali. Præter baptismum a Joanne collatum, ex vita Christi optime repræsentari possunt ad efficaciam baptismi exprimendam, v. g. mors Christi, ejusque Resurrectio necnon descensus Spiritus Sancti, puta in tribus vel quatuor fenestris baptisterii. Præterea ex historia Veteris Testamenti commemorari possunt v. g. arca Noe, Judæi transeuntes Mare Rubrum, Moyses rupem percutiens, Naaman balneo in Jordane a lepra purgatus, quæ omnia in liturgia tanquam figuræ baptismi proponuntur (1). Antiquitus sæpe in fonte baptismali quadrangulo sculpebantur symbola evangelistarum, aut alicubi pingebantur duodecim apostoli qui primi executioni mandaverunt præceptum Domini : « Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos ».

In ornando baptisterio adjumento esse possunt quædam symbola ex traditione assumpta, v. g. cervus ad fontes aquarum (ps. XLI ; cf. antiph. in accessu ad fontes in Sabbato Sancto) ; Agnus qui tollit peccata mundi ; columba super Christum baptizatum descendens aut ramo olivæ pacem terris nuntians, aut ut symbolum Spiritus qui « super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur » (2) ; piscis secundum verbum Tertulliani « Nos pisciculi secundum ιχθύν nostrum, Jesum Christum in aqua nascimur », etc. Addi possent symbola SS. Trinitatis in cujus nomine sacramentum confertur.

In signum maximæ reverentiæ erga aquam regenerationis olim sæpe supra ipsum fontem — sicut supra

---

(1) Vide v. g. præfationem benedictionis fontis et prophetias in Sabbato Sancto et nonnullas epistolas quadragesimales.

(2) Præfatio benedictionis fontis.

altare — erigebatur *ciborium*, et — sicut supra tabernaculum — suspendebatur *conopæum* e serico aut tela decenti coloris albi (1).

Quod autem præcipuum est in hac materia ornatus : servetur semper debita mundities in baptisterio et tota ejus supellectili et ne transformetur in vile depositorium (rommelkamer) in quo inordinate reconduntur baldachinum processionis, castrum doloris, scamna inutilia, sedes detritæ, aliaque quæ vilipendium inspirent potius quam venerationem.

Tandem omnino suadendum est ut occasione benedictionis fontis baptismalis in Sabbato Sancto et vigilia Pentecostes, baptisterium non tantum diligentius mundetur sed etiam frondibus et floribus religiose ornetur ad inculcandum reverentiam erga sacramentum regenerationis nostræ.

C. Callewaert.

---

(1) De his agit s. Carolus Borromæus, *o. c.*, p. 94.

(2) Cfr M. English, *Doopvont en Doopkapel*, ap. *Liturgisch Parochieblad*, 1922, bl. 181-184.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis julii propositas.

—

I.

De sanatione cæci nati.

Q. *Proba in narratione sanationis cæci nati* (Jo., IX) *evangelistam habere finem historicum, symbolicum et apologeticum.*

R. — Quæstio, quam solvendam proponimus, pars est istius generalis *quæstionis* joanneæ, quæ movetur circa genus litterarium quarti evangelii. In tomo XXI hujus periodici quæstio joannea in sua generalitate fuit exposita et soluta (1); quod facta attinet, — inter quæ venit sanatio de qua hic, — recte ibi dicebatur: « *Quæstio* est non quidem utrum facta descripta in quarto evangelio locum habuerint necne, sed utrum et quousque quartum evangelium operibus indole historicis vel contra utrum et quousque operibus, ut dici solet, indole allegoricis accensendum sit, seu quænam in describendis illis narrationibus fuerit evangelistæ *intentio* » (2).

Hanc quæstionem jam ad solam cæci nati pericopam coarctamus eamque iisdem terminis ponimus, scil. de intentione qua Joannes hanc sanationem retulit inquirimus ut per applicationem ad singularem quamdam narrationem thesis catholica historicitatem quarti evangelii adstruens apte illustretur.

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXI (1921), p. 176 ss., 204 ss., 280 ss., 306 ss.
(2) *Ibid*, p. 178.

1. **Finis symbolicus** (1).

Voluitne Joannes ut facta quæ hic refert essent symbola alterius rei, in casu alicujus doctrinæ moralis et religiosæ? Affirmative videtur respondendum, saltem quoad quædam facta, quorum symbolismi positiva indicia præsto sunt.

Sanatio cæci proponitur ut symbolum illuminationis spiritualis quam Jesus in mundo procurat: revera, jam adstante cæco, ut miraculum introducat dicit Jesus, v. 5: « Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi »; Jesu actio in mundo sub hoc præcise aspectu proponitur quia agitur de reddendo lumine oculis cæci; ad eumdem symbolismum redit Jesus post professionem fidei sanati, v. 39: « in judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant ».

Symbolismus adhuc latere videtur v. 7: « Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus) »; assignata hac etymologia (2) videtur evangelista innuere cæcum curari debere in hac præcise piscina quæ suo nomine symbolizat verum Missum, quem misit Pater (3), « recipit visum postquam Missum adiit » (4).

Ulterius quidam progrediuntur et in aqua Siloe vident aquam baptismi, in sanato autem vel judæochristianismum e synagoga expellendum, vel gentilitatem judaïsmo oppositam vel simpliciter universum genus humanum;

---

(1) « Nomine symboli venit res aut actio, quæ per quamdam analogiam et similitudinem aliud repræsentat, cujus est signum », ita A. Fernandez, apud *Institutiones biblic.*, Romæ, 1925, p. 381.

(2) « C'était un nom propre qui désignait d'abord le canal amenant l'eau de la source intermittente nommée aujourd'hui « *Aïn Sitti Mariam* », et qui par conséquent signifiait quelque chose comme l'envoyeur, celui qui transmet l'eau. De ce nom vulgaire, Jo. fait un nom symbolique, qui signifiera l'envoyé, comme si la forme était passive, c'est-à-dire l'envoyé par excellence », M.-J. Lagrange, *Évangile selon S. Jean*, 2 éd., Paris, 1925, p. 261. Non omnes admittunt hic symbolismum quemdam intendi.

(3) Apud Jo. Jesus sæpe ita vocatur, cfr III, 17; IV, 25; V, 24, 30, 36, etc.

(4) J. Knabenbauer, *Ev. sec. Jo.*, Parisiis, 1898, p. 310.

lutus insuper in memoriam revocaret limum creationis protoparentis et ita significaret spiritualem regenerationem (1).

2. **Finis apologeticus.**

Scopus generalis et primarius quarti evangelii, et signanter narrationum miraculorum, est practicus, ut ipse evangelista fatetur : « hæc autem (*signa*) scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei : et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus » (2).

Finis iste apologeticus in ipsa hac pericopa haud ambigue discernitur ; petentibus discipulis cur mendicus cæcus natus sit, respondet Jesus ita factum esse, v. 3 : « ut manifestentur opera Dei in illo » ; opera Dei illa sunt quæ Jesus facienda habet (3) et de quibus dicit : « opera, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea : ipsa opera, quæ ego facio, *testimonium perhibent de me*, quia Pater misit me » (4) ; de valore apologetico eorumdem operum Patris alibi dicit : « operibus credite » (5).

Ceterum Joannes accurate demonstrat logicam deductionem ex miraculo faciendam dum describit varia momenta progressivæ conversionis sanati : hic prius dicit, v. 17 : « quia propheta est » ; dein struit apodicticum argumentum, v. 32-33 : « A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam » ; tandem quando Jesus se dicit Filium Dei, excedendo conclusionem quæ directe e miraculo deduci poterat, sanatus statim in Jesu divini-

---

(1) Cfr M. Lepin, v° *Évangiles canoniques*, apud A. d'Alès, *Dictionnaire apologétique*, I, c. 1715 s. Hæc symbola a modernis allegoristis affirmantur ; pleraque jam a ss. Patribus et antiquioribus exegetis fuerunt proposita, hi autem infractam vindicabant indolem historicam narrationis, nec imo semper asserebant hæc symbola ab evangelista fuisse perspecta et volita.

(2) *Jo.*, xx, 31 ; cfr *Collat. Brugen.*, *a. c.*, p. 283.

(3) *Jo.*, ix, 4.

(4) *Ibid.*, v, 36.

(5) *Ibid.*, x, 37 coll. xiv, 10.

tatem credit quia omnia quæ Jesus asserit a Deo approbantur.

3. **Finis historicus.**

Probavimus facta in hac pericopa narrata ordinari ab auctore tum ad finem quemdam apologeticum, tum ad finem symbolicum. Integra manet quæstio nonne hi fines doctrinales obstent vel saltem noceant genuino fini historico ; aliis verbis utrum facta sic ordinata ab evangelista narrentur ut quæ vere ita contigerunt an proponantur ut mere allegorica vel saltem adaptentur probationi Christi missionis.

Quod explicationem allegoricam attinet, « recta regula exegeseos est ut in interpretando libro inhæreamus sensui obvio ejusdem, nisi adsint rationes ut ab eodem recedamus cogentes » (1).

Speciem historiæ nostram narrationem prima fronte præ se ferre nullus sanæ mentis negabit ; parva est tragœdia quæ, nec in minimis suis adjunctis, inverisimilitudinem prodit (nisi evidenter quis ipsam possibilitatem miraculi neget) ; narratur hæc sanatio statim post cap. VIII, et ita refertur ut æque realis ac discussio Pharisæorum eorumque propositum Jesum lapidandi, æque realis ac Jesu exitus e templo ; nihil omnino ibi transitum a reali facto ad allegoricum commentum suadet.

Jamvero nullæ adsunt rationes ut ab interpretatione historica recedamus et narrationem ut mere allegoricam intentam admittamus. Concedimus symbolismum quemdam in narratione inveniri quoad duo facta sed nihil prohibet quominus Joannes censuerit in utroque casu Jesum ipsum hunc symbolismum innuisse ; quod autem attinet alia symbola, quæ quidam invocant, nihil positive eorum præsentiam indicat, imo quædam ex illis prorsus inepta

(1) *Collat. Brugen.*, *a. c.*, p. 282.

sunt (1) ; deinde quot sunt actiones, quot personæ, quibus nulla symbolica significatio convenire potest dum in allegoria omnia repræsentativa sint oportet. Tandem, si totum evangelium conferimus, videmus ipsum evangelistam viam præclusisse interpretationi mere symbolicæ narrationum specie historicarum ; asserit enim se fuisse testem factorum et qua testem res referre (2).

Concludere licet tenuem illum symbolismum quem deprehendimus non offendere intentioni historicæ, licet forte ibi ratio quærenda sit cur Joannes hoc miraculum, a synopticis omissum, præ aliis narrare voluerit ; imo intentioni historicæ non obstaret ipsum evangelistam verbis Jesu superstruxisse symbolicam significationem fontis Siloe cum in textu expresse non dicatur Jesum ideo hunc fontem designasse.

Nocuitne finis apologeticus ? Nullo modo ; e contrario finis apologeticus intentionem historicam postulat ; per hoc miraculum vult Joannes probare Jesu messianitatem et filiationem divinam ; jamvero nisi miraculum ejusdemque probationem referat ut facta objective realia nihil prorsus demonstrat ; hoc bene perspexit auctor et ideo tam diligenter notavit varia argumenta quibus ex testimonio ipsius sanati, ejusque vicinorum et parentum constet eumdem fuisse antea cæcum et nunc videntem, atque tum cæcitatem tum sanationem esse indubiam : ideo etiam notavit Jesum liniisse oculos luto, adhibendo ita ut medium sanationis illud quod cæcitatem potius causaret quam sanaret.

Ita probata genuina intentione historica Joannis, nonobstantibus ulterioribus finibus doctrinalibus, indirecte infertur realitas objectiva miraculi, cum solide aliunde demonstretur quarti evangelistæ scientia et sinceritas.

M. De Jonghe.

---

(1) Ita interventio Jesu ponitur ante regenerationem per lutum significatam, regeneratio ante illuminationem per baptismum aquæ, baptismus ante fidem.

(2) Cfr *Collat. Brugen., l. c.*

II.

De munere Christi prophetico.

Q. *Quodnam fuit munus Christi propheticum? Idem proba.*

R. In præcedenti responsione vidimus mediationem Christi complete spectatam complecti primo et præcipue munus ejus sacerdotale, deinde munus magisteriale et propheticum, necnon munus regium. Secundum ordinem, quem plerumque sequuntur in tractatu de Ecclesia, ubi distinguunt potestatem magisterii, sacerdotii et regiminis seu imperii (1), prius dicemus de munere Christi prophetico et magisteriali, haud pauca remittentes ad alios tractatus, in quibus magis ex professo hæc proponuntur et evolvuntur.

Prænotare adhuc juvat quam merito salvator seu Jesus (2) dicatur etiam Christus seu Unctus (3); et enim ipsa humanitas Christi dici potest uncta divinitate, uti jam explicat s. Gregorius nazianzenus (4); deinde sub vetere testamento plerumque ungebant sacerdotes,

---

(1) Trifariam hanc potestatem sæpius reducunt ad bifariam, nimirum *ordinis* (de wijdingmacht) et *jurisdictionis* (de bestuurmacht); hæc autem quæ est moralis facultas alios obligandi, ligandi videlicet atque solvendi, comprehendit itaque, quando sic latiori sensu sumitur, tum potestatem magisterii (het leergezag), quæ respicit gubernationem hominum in credendo per decreta doctrinalia, tum potestatem jurisdictionis stricte dictæ seu regiminis (de eigenlijke bestuurmacht), quæ spectat gubernationem hominum in agendo, per leges itaque disciplinares, per sententias judiciales et per pœnas.

(2) Jesus [seu Josue], secundum etymologiam hebraïcam, significat salvatorem; ad litteram: Deus [Jahve] est salus; cfr *Mt.*, I, 21 coll. *Lc.*, I, 31, ubi hoc nomen ab ipso Deo per ministerium imponitur angeli, qui nomen explicat: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ».

(3) Hebr. *Messias*, « quod est interpretatum Christus » (*Jo.*, I, 41).

(4) S. Gregorius nazian., *Oratio* xxx (theol. iv), 21 (MPG, XXXVI, 132): « Christus propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est, non operatione ut in aliis christis, sed totius unguentis præsentia sanctificans ».

prophetas et reges (1) : atqui hoc triplex munus exercuit, et adhuc exercet, salvator noster, ut statim exponemus.

Nunc autem *propheta sensu latiori* designat eum qui loquitur pro aliquo, seu vice et auctoritate alicujus, maxime divinitatis, imprimis ad communicandum cum hominibus doctrinam aut præceptum Domini ; *sensu* vero *strictiori* designat eum qui, speciali divina munitus assistentia, præprimis futura contingentia, soli Deo nota, prænuntiat (2).

1) Porro *Christum* fuisse *prophetam* hoc *sensu strictiori* legenti sacram paginam facile constabit.

Et revera multa vaticinia de rebus cuilibet creaturæ prorsus absconditis edidit v. g. quando prædixit futuram suam proditionem ab Iscariote (3), negationem Petri (4), descensum Spiritus sancti in apostolos (5), maxime suam passionem et mortem necnon suam resurrectionem (6) ; adhuc quum prænuntiavit, additis multis adjunctis presse determinatis, futurum excidium urbis Jerusalem (7) et dispersionem populi judaici (8), quæ mox omnia eventis comprobata sunt.

De iis prophetiis Christi dicitur ex professo in tractatu de Christo legato (9), atque ibidem etiam explanatur

---

(1) Cfr *Lev.*, VIII, 1 s. ; *III Reg.*, XIX, 16.

(2) Cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 445, apud *Collat. Brugen.*, X, (1905), p. 138 s. ; CAMERLYNCK, *De modo quo prophetæ consilia Dei cognoverint eaque manifestaverint*, apud *Collat. Brugen*, XV (1910), p. 160 s. ; CORNELY, *Cursus Script. Sacræ*, II, 2, n 243 s., p. 276 s., Parisiis, 1887 ; M. A VAN DEN OUDENRIJN, *De prophetiæ charismate in populo israëlitico*, p. 3 s. et p. 37 s., Romæ, 1926.

(3) Cfr *Mt.*, XXVI, 21 s.

(4) *Ibid.*, vers. 34, coll. *Mc.*, XIV, 30.

(5) *Act. Apost.*, I, 5 s., coll. *Lc.*, XXIV, 49.

(6) Cfr *Mc.*, X, 32 s. ; *Mt*, XX, 18 s. ; *Lc*, XVIII, 32 s. ; *Jo.*, XII, 32.

(7) *Lc.*, XIX, 43 s. ; XXI, 20 s. et cfr *Dan.*, IX, 26 s., ubi idem vaticinium reperitur cum generali descriptione.

(8) *Lc.*, XXI, 24.

(9) Vide supra, p. 54 s., ubi simul explicatur quomodo cum methodo historica demonstrandi credibilitatem revelationis, hic tractatus se habeat ad tractatum de Ecclesia necnon ad ipsam theologiam.

generatim quomodo hoc charisma prophetiæ stricte dictæ rite sit intelligendum (1).

Advertendum tamen venit nunc in tractatu de Deo redemptore, jam attendendum esse ad specialem cognitionem humanam Christi, qui gaudebat non tantum scientia infusa sed etiam scientia visionis beatæ, uti latius in tractatu de Verbo incarnato demonstratur et explicatur (2).

2) Christum fuisse etiam prophetam *sensu latiori*, seu *doctorem* et *magistrum*, aperte pronuntiat pariter Scriptura sacra : « Vos vocatis me magister, et domine : et bene dicitis : sum etenim » (3) ; « ego [enim] in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati » (4) ; quinimmo, « magister vester unus est, Christus » (5).

Loquitur porro Christus ex mandato Patris (6), sicut alii prophetæ, sed omnibus major est ; imo « huic omnes prophetæ testimonium perhibent » (7), et Baptista, qui plus est quam propheta (8), ipse non est lux mundi, ast ad hoc venit in mundum ut testimonium perhiberet de lumine (9), quod est ipse Christus illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (10) ; qui sequitur ipsum, « non ambulat in tenebris, sed habebit lumen

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, II-II, q. 173, a. 1 s. coll. Van den Oudenrijn, *o. c.*, p. 163 s. ; lege etiam ill. ac rev. Waffelaert, *o. c.*, n. 62, apud *Collat. Brugen.*, II (1897), p. 303 s. et *Monita de interpretatione et usu Scripturæ sacræ*, apud idem period., VIII (1903), p. 141 s. ; Camerlynck, *l. c.*, p. 165 s.

(2) De scientia Christi generatim, v. supra, p. 85 s. ; de scientia visionis beatæ in Christo quædam habes apud *Collat. Brugen*, XXI (1921), p. 313 s.

(3) *Jo.*, xiii, 13.

(4) *Ibid.*, xviii, 37.

(5) *Mt.*, xxiii, 10.

(6) *Jo.*, xiv, 10 coll. xvii, 8.

(7) *Act. Apost.*, x, 43.

(8) Cfr *Mt.*, xi, 9.

(9) *Jo.*, i, 8.

(10) *Ibid.*, vers. 9.

vitæ » (1); ipse enim est « via, et veritas, et vita » (2).

Quam *excellens* autem sit *magisterium* Christi, constat imprimis ex ipsa *persona Christi*, divinitus missi et filii Dei naturalis (3), cujus potestati magisteriali subduntur omnes omnino homines cujusvis loçi vel temporis: « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. . . . Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi » (4). Et « qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur » (5). Manet ceteroquin doctrina Christi sine mutatione in æternum (6), quare anathema dicit Apostolus ei qui aliud evangelium annuntiat (7), quoniam Christus « heri, et hodie, et ipse in sæcula » (8).

Apparet adhuc excellentia magisterii Christi ex *præstantia sublimi ipsius doctrinæ*, quam nemo sanæ mentis infitiatur aut infitiari potest; constat tandem *vita sanctissima* Christi, qui « cœpit facere et docere » (9), docens adhuc magis exemplo quam verbis: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde » (10); « exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » (11).

Hæc autem omnia non debent ulterius evolvi in tractatu de Deo redemptore, nam in tractatu de Christo legato plerumque agitur ex professo de sanctitate Christi perfectissima necnon de excellentia doctrinæ, quam prædi-

---

(1) *Jo.*, VIII, 12, coll. IX, 5 et XII, 46.
(2) *Ibid.*, XIV, 6.
(3) Divinitas Christi nunc habetur demonstrata in tractatu de Verbo incarnato; in tractatu de Christo legato historica ejus existentia et præprimis divina ejus legatio probatur; v. supra, p. 54.
(4) *Mt.*, XXVIII, 18 s.
(5) *Mc.*, XVI, 16, coll. *Rom.*, X, 5; *II Thess.*, I, 7 s.; *II Cor.*, X, 5.
(6) Cfr *Hebr.*, XII, 25. s.
(7) Cfr *Gal.*, I, 8.
(8) *Hebr.*, XIII, 8.
(9) *Act. Apost.*, I, vers. 1,
(10) *Mt.*, XI, 29.
(11) *Jo.*, XIII, 15.

cavit (1); in tractatu de Ecclesia ex professo rursus dicitur de magisterio Christi, quod hodiedum continuat per Ecclesiam suam, infallibilitate donatam, adeo ut qui hanc audiunt, adhuc ipsum audiant (2).

Christus enim unus magister noster, « caput supra omnem ecclesiam » (3), in quo instaurantur omnia (4), usque nunc docet in Ecclesia per episcopos, quibus hoc munus docendi in primis commisit, et per romanum pontificem, caput Ecclesiæ visibile, qui non est successor sed vicarius Christi, locum tenens ejus in terra cujus vices gerit (5).

H. Lamiroy.

III.

De notione pænitentiæ formalis et virtualis.

Q. *Explica quid veniat nomine contritionis formalis, quid nomine contritionis virtualis.*

R. — 1) Nomine contritionis *formalis* venit id quod ad essentialem rationem actus proprie dictæ contritionis pertinet. Porro, contritio definitur a concilio tridentino « animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ». Singula verba in præcedenti quodam responso explicata sunt (6).

---

(1) Hæc latius evolvit Van Noort, *De vera religione*, n. 67 s. et n. 83 s., p. 112 s. et p. 152 s., ed. 3, quam recognovit E. P. Rengs, Bussum, 1917:

(2) Cfr *Lc.*, x, 16.

(3) *Ephes.*, i, 22 et cfr *Collat. Brugen*, XVI (1911), p. 398.

(4) Cfr *Ephes.*, i, 10 et *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 228 s.

(5) De doctrina Christi agit s. Thomas, *Sum. theol.*, III, q. 42, a. 1 s. et explicat cur Christus, quamquam magister omnium hominum, per seipsum *soli judæis* prædicaverit, uti legimus *Mt*, xv, 24; *quoad modum prædicationis Christi* observa,. quod in tractatu de traditione orali exponitur, ipsum solummodo *oretenus* doctrinam suam prædicasse, uti demonstrando traditionem oralem esse fontem distinctum a verbo Dei scripto, notavimus apud *Collat. Brugen*, XXIII (1923), p. 300.

(6) Vide supra, p. 282.

Distinguit ulterius concilium contritionem in perfectam, seu contritionem simpliciter, et imperfectam seu attritionem. Si motivum detestandi peccatum est ipsum bonum increatum, propter se super omnia dilectum, contritio vocatur perfecta, si autem motivum est bonum aliquod creatum (1), contritio dicitur imperfecta.

Jamvero, ad contritionem formalem pertinet, juxta omnes catholicos, ut quis *explicite* doleat de peccato commisso, adeoque exercite saltem detestetur illud; juxta nonnullos, ut insuper *explicite* sibi proponat non peccare de cetero. Multi tamen hoc propositum explicitum non requirunt, et contendunt sufficere ad rationem formalem contritionis ut propositum in prædicto dolore implicite contineatur.

Res suum momentum habet, quia, si explicitum propositum requiritur ad contritionem formalem, pariter requiritur ad constitutionem signi sacramenti pœnitentiæ, nam contritio formalis est pars integralis, imo, juxta thomistas, pars essentialis ejus.

Porro videtur dicendum ad formalem contritionem sufficere ut propositum non peccandi implicite in actu doloris contineatur. Ratio est quia omnis contritio est proprie et formaliter de peccato commisso, præterito, adeoque non respicit futurum nisi *ex consequenti*, quatenus, si menti occurrat consideratio mutabilitatis humanæ voluntatis et sincera sit peccati detestatio, talis erit vis ejus ut pœnitentem efficaciter inducere debeat ad propositum eliciendum non peccandi de cetero.

2) *Virtualis* contritio dupliciter accipitur a/ uno modo per oppositionem ad *formalem* b/ alio modo per oppositionem ad *habitualem* et *actualem* contritionem.

a/ Dicitur contritio *virtualis* per oppositionem ad *formalem*, actus, qui reipsa non est detestatio et dolor de

(1) Peccatum opponitur bono creato, quod duplex est, honestum scil. et delectabile, privat enim honestate morali et meretur pœnam vel privationem beatitudinis.

peccato commisso, sed cujus vis talis est ut, si occurreret memoria peccati commissi, efficaciter induceret ad formalem contritionem eliciendam ; adeoque aliquo modo *implicite* continet eam, scilicet in potentia seu virtute sua, ejusque efficaciam participat.

Sint duo exempla contritionis virtualis, unum perfectæ, alterum imperfectæ.

α) Contingere potest ut peccator actum perfectæ charitatis eliciat, quin tamen cogitet de suo peccato mortali. Porro, amat Deum tanquam supremum bonum, cujus glorificationis gratia vult esse omnia sua et quidquid in se perfectionis ac beatitudinis esse potest (1), adeoque ita circa peccatum mortale quod avertit a Deo fine ultimo affectus est ut, occurrente memoria offensæ commissæ, necessario detestetur eam et doleat. Charitatis itaque actus est *virtualis* quædam contritio perfecta ; propter voluntatem seu votum detestationis et doloris quod continet, supplet formalem contritionem in ratione medii necessarii ad justificationem (2) ; imo expellit peccatum mortale, quia est ultima et sufficiens ad justificationem dispositio.

β) Martyrium justificat peccatorem, supposita contritione imperfecta mortalium.

Rursus autem contingere potest ut martyr ad peccatum suum mortale non advertat. Si tamen propter amorem suæ beatitudinis, vel propter metum pœnarum, ita affectus est circa peccata mortalia ut ea detestetur et proinde doleret si memoriam haberet peccati mortalis a se commissi, *virtualem* contritionem imperfectam habet, quæ formalem supplet in ordine ad justificationem, quam martyrium operatur quasi ex opere operato.

Nota hanc distinctionem inter formalem et virtualem

---

(1) Cfr Billot, *De virtutibus infusis*, p. 384, Romæ, 1901.

(2) Supplet quoque sacramentum pœnitentiæ, quod in voto continet ; manet tamen obligatio recurrendi postea ad sacramentalem absolutionem.

contritionem suum habere momentum in tractatu de pœnitentia. Nimirum, contritio duplici titulo requiritur in sacramento pœnitentiæ, 1) tanquam pars constitutiva signi sacramentalis, 2) tanquam dispositio ad fructuositatem, seu, uti aiunt, tanquam removens prohibens. Atqui quatenus ingreditur constitutionem signi, postulatur ut contritio sit formalis, quia dolor, qua talis, manifestari debet; quatenus vero postulatur tanquam removens prohibens, sufficit ut contritio sit virtualis.

b) Alio modo, contritio nonnunquam dicitur *virtualis* per oppositionem ad *habitualem* et *actualem*. Auctores tunc virtualem vocant contritionem, quæ olim elicita, adhuc remanet actuosa, ita ut pergat influxum exercere in actibus nostris; quodsi nullum jam influxum habeat, sed tamen non fuit retractata, eam vocant *habitualem*. Actualis est si nunc elicitur.

Hæc distinctio quoque usu venit in tractatu de pœnitentia. Nam, ad constitutionem signi sacramentalis postulatur contritio quæ actualis sit vel saltem virtualis, ut momento confessionis formalis dolor animi se manifestare queat. Tanquam dispositio ad fructuositatem, sufficit autem contritio habitualis, quæ nimirum olim habita est et interim non fuit retractata.

V. Coucke.

IV.

De remissione peccatorum mortalium.

Q. *Num potest unum peccatum mortale remitti sine alio? Vindica responsum.*

R. — *Negative*, saltem in præsenti ordine gratiæ. Etenim:

1/ Nullum peccatum, in præsenti ordine providentiæ, remittitur sine gratiæ sanctificantis infusione. Atqui, gratia sanctificans nequit informare peccatorem, cujusvis peccati mortalis reum. Ergo, unum peccatum mortale nequit remitti sine alio.

Major statuit aliquod factum. Deum nempe remittere offensam eo quod hominem non repellit ab effectu suæ dilectionis in nobis, scil. a gratia sanctificante. Quod pulchre exponit s. Thomas hoc modo : « Offensa . . . non remittitur alicui, nisi per hoc quod animus offensi pacatur offendenti ; et ideo secundum hoc peccatum nobis remitti dicitur, quod Deus nobis pacatur, quæ quidem pax consistit in dilectione, qua Deus diligit nos : dilectio autem Dei, quantum est ex parte actus divini, est æterna, et immutabilis ; sed quantum ad effectum, quem nobis imprimit, quandoque interrumpitur ; prout scilicet ab Ipso quandoque deficimus, et quandoque iterum recuperamus. Effectus autem divinæ dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita æterna, a qua peccatum mortale excludit ; et ideo non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ » (1).

Ratio *Minoris* est quod omne peccatum mortale contrariatur gratiæ. Per peccatum enim, quod est voluntaria aversio a Deo fine ultimo supernaturali, dignus est homo damnatione perpetua, per gratiam vero dignus beatitudine æterna ; per illud est inimicus, per hanc vero amicus Dei. Atqui hæc omnia sunt uti patet incompossibilia.

Hoc est primum argumentum, quod s. Thomas hoc modo exprimit : « Peccatum remittitur, in quantum tollitur Dei offensa per gratiam ; unde in 2. habitum est, quod nullum peccatum potest remitti sine gratia ; omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ, et excludit eam ; unde impossibile est, quod unum peccatum sine alio remittatur » (2).

2/ Omne peccatum mortale remittitur per pœnitentiam sive ex opere operantis, si pœnitentia informatur charitate, sive ex opere operato. Atqui, qui unum peccatum

(1) S. Thomas, *Sum. theol.*, I. II, q. 113, a. 2, c.
(2) *Ibidem*, III, q. 86, a. 3, c.

mortale sincere detestatur, eo ipso virtualiter seu implicite omnia sua peccata mortalia detestatur. Ergo, omnia peccata mortalia simul per pœnitentiam remittuntur.

Advertendum est per pœnitentiam odio haberi peccatum prout est offensa Dei. Jamvero offensa, seu id propter quod Deus repellit peccatorem a sua dilectione, eadem est in omni peccato mortali, nimirum aversio voluntaria a Deo fine ultimo (3). Qui igitur unum peccatum mortale detestatur, ut est offensa Dei, implicite omnia peccata mortalia odio habet.

Id est secundum argumentum s. Thomæ : « Peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum ; quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus : ubi autem est eadem ratio, et idem effectus ; unde non potest esse vere pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, et non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ), sequeretur, quod de omnibus peccatis pœniteret.

Unde sequitur, quod impossibile sit, unum peccatum per pœnitentiam remitti sine alio » (2).

3/ Addit s. Thomas tertium aliquod argumentum : « quia hoc esset contra perfectionem misericordiæ Dei, cujus perfecta sunt opera, ut dicitur *Deuteron*, 32., unde cujus miseretur, totaliter miseretur » (3).

Nota. In alio ordine Providentiæ, in quo remissio peccati mortalis non fieret per intrinsecam sanctifica-

---

(1) In omni peccato mortali habetur conversio ad bonum commutabile et aversio a bono incommutabili. Jamvero uti ait s. Thomas : « peccata, quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia : et ex hac parte habent rationem offensæ, quam oportet per pœnitentiam tolli » (*Ibidem*, ad 4m).

(2) *Ibidem*.

(3) *Ibidem*.

tionem et restitutionem amicitiæ, unum peccatum posset, juxta quosdam, remitti sine alio videlicet quoad reatum pœnæ ; quatenus Deus posset absolute loquendo remittere pœnam pro uno peccato debitam, manente tamen pœna in quantum pro aliis peccatis debetur.

V. Coucke.

V.

De cessatione indulgentiarum juxta can. 924, § 2 (1).

Q. *Paucis explica can. 924, § 2 : « Indulgentiæ coronis, aliisve rebus adnexæ tunc tantum cessant, cum coronæ, aliæve res prorsus desinant esse, vel vendantur ».*

R. — *Sub antiqua disciplina*, omnes indulgentiæ objectis piis adnexæ cessare docebantur hinc quando hæc ipsa objecta substantialiter mutabantur sive quoad materiam, sive quoad formam (2), inde quando in iis tradendis, aliquid, quocumque titulo sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynæ requirebatur, vel accipie-

(1) Cfr Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 403 ss., n. 843 ss., cum emendatione apposita p. 585 ; F. Capello, S. J., *De Sacramentis*, vol. II, pars I, *De pœnitentia*, p. 835 ss., n. 981 ss. ; Vermeersch-Creusen, *Epitome juris canonici*, t. II, p. 119 sq., n. 208 ; *Tractatus de indulgentiis*, Theologia Mechliniensis, p. 81 sq. ; P. Hubertus, *Leer en praktijk der aflaten*, p. 41 sq. ; *Periodica de re canonica et morali*, t. X, p. (22) ss ; *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XXIII (1923), p. 76 ss. Vide quæ supra scripsimus de indulgentiis realibus, hoc tomo, p. 121 ss.

(2) Ita communiter docebant auctores. Cfr Mocchegiani, *Collectio indulgentiarum*, p. 288 ss., n. 658 ss., qui citat Theodorum a Spiritu sancto, *Tractatus dogmatico-moralis de indulgentiis*, t. II, p. 230. Similis locutio reperitur in duobus decretis S. C. Ind., 16 dec. 1760, *Decr. auth.*, n. 223, circa renovandas cruces viæ crucis, ubi distinguendo respondetur prout cruces renoventur et mutentur *salva substantia* aut contrà *non salva substantia ;* et 10 jan. 1889, apud Prinzivalli, *Resolutiones*, n. 482, circa coronas precatorias, ubi respondetur non cessare indulgentias si rumpatur filum etc. « quia coronæ eædem perseverant quoad *formam moralem* ».

batur (1). Præterea quoad indulgentias *apostolicas* vigebat decretum Alexandri VII, 6 februarii 1657, a singulis summis pontificibus usque ad Benedictum XV inclusive renovatum, expresse declarans dictas indulgentias piis rebus adnexas « non transire personam illorum pro quibus hujusmodi res benedictæ fuerint, vel illorum, quibus ab istis prima vice fuerint distributæ atque ne pariter hæ res commodari vel precario aliis tradi possint indulgentias communicandi causa ». Quæ regula deinde per multas declarationes S. C. Indulgentiarum et ad alias indulgentias translata est, ita ut non modo indulgentiæ apostolicæ, sed et omnes generatim indulgentiæ reales tamquam simul personales haberentur (2).

Inde autem *a novo codice*, juxta canonem scilicet in quæstione citatum, et juxta declarationem s. Pœnitentiariæ, 18 februarii 1921 (3), indulgentiæ apostolicæ haud secus ac reliquæ indulgentiæ objectis devotionalibus adnexæ, dicendæ sunt pure reales, ac duplici tantum ex capite cessant, nimirum si res quibus adnexæ sunt vel 1° prorsus desinant esse, vel 2° vendantur. Has jam duas causas cessationis indulgentiarum successive paucis explicabimus.

I *Indulgentiæ coronis, aliisve rebus adnexæ cessant cum coronæ aliæve res* **prorsus desinant esse.**

Hæc locutio absoluta, qualem hucusque in nullo decretorum anteriorum circa indulgentias reperire potui-

---

(1) Cfr decr. S. C. Ind., 16 julii 1887, apud *Acta s. Sedis*, t. XX, p. 63.

(2) Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 289 ss.; Stein, *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, p. 43. — Unde quadruplici titulo indulgentiæ reales amitti antea docebantur, nimirum: 1° si pia objecta substantialiter mutabantur; 2° si aliquid quocumque titulo pro iis requirebatur vel accipiebatur; 3° si, semel in proprium usum tradita vel accepta, alteri in proprietatem tradebantur; 4° si a proprietario alteri commodabantur, cum intentione communicandi indulgentias.

(3) Respondit nimirum s. Pœnitentiaria, per can. 924, § 2 abrogatum esse decretum Alexandri VII de quo supra in textu. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXI (1921), p. 252 et t. XXVII (1927), p. 290.

mus (1), juxta vetus quidem jus interpretanda est, uti auctores omnes faciunt, ampliorem tamen, ut videtur, solutionem in casibus dubiis permittit. Inde concludes, exempli gratia, coronas et rosaria non amittere indulgentias si rumpatur funiculus seu catenula, aut si pauci globuli rosarii [4 vel 5] perdantur (2); item si catenula tota renovetur, etiamsi, ut communius docent, globuli interea in confusum acervum commisceantur; nam indulgentiæ non applicantur catenulæ, sed globulis. Sane, quamdiu coronæ forma est destructa, indulgentiæ suspenduntur, sed restituta corona ex globulis benedictis, indulgentiæ redintegrantur: et revera, non prorsus desinit esse corona quæ mox ex iisdem granis reficitur (3). Quodsi rosarii supersit tantum particula quædam minor, quæ rosarium absolute dici nequeat, sane cessant indulgentiæ rosarii quum rosarium jam prorsus esse desiit (4). Similiter dicendum est de indulgentiis adnexis crucibus, imagini Christi crucifixi, parvis statuis, numismatibus, eas nimirum cessare quando hæc objecta ita pereunt, franguntur, deteriorantur, ut prorsus desinant esse cruces, crucifixi, statuæ aut imagines sanctorum.

II *Cessant indulgentiæ rebus piis adnexæ cum hæ res* **venduntur.**

Omnis igitur et sola venditio, seu contractus onerosus

---

(1) Similis locutio occurrit can. 75 de privilegiis realibus universim: « Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum ».

(2) Cfr decr. S. C. Ind. 10 jan. 1839, *l. c.* — Globuli autem non benedicti qui substituuntur granis deperditis, censentur ea accessione benedicti, ita ut omnes possent, hoc modo, absque detrimento indulgentiarum successive mutari. Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 289; Cappello, *o. c.*, p. 835; *Periodica*, *l. c.*, p. (23). Similiter diximus de crucibus viæ crucis apud *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 419 sq.

(3) Cfr *Periodica*, *l. c.*, p. (23).

(4) Addit autem Cappello, *l. c.*, 6°: « Si plerique globuli coronæ amittuntur, indulgentiæ *coronæ* cessant, at globuli qui supersunt adhuc servant indulgentias quæ ipsis immediate adnexæ sunt: quædam enim indulgentiæ adnexæ censentur coronæ qua tali; quædam, imo pleræque, globulis ipsis ». Quod tamen quomodo sit intelligendum non bene perspicimus. An v. g. qui particulam tantum rosarii servavit, posset iudulgentias crucigerorum in ea lucrari?

emptio-venditio, quo unus se obligat ad rem indulgentiis ditatam in dominium tradendam et alter ille ad determinatum pretium solvendum, tollit a re vendita omnes indulgentias, sive pretium rei augeatur ratione indulgentiarum adnexarum, quod esset insuper peccatum simoniæ, sive pretium tantum usuale ipsius objecti exigatur (1). Attamen cruces, coronæ etc. emptæ indulgentias non amittunt quotiescumque translatio proprietatis per contractum emptionis jam ante indulgentiarum adnexionem facta est, quamvis pretium tantum postea solvatur, ut v. g. « si quis eas (cruces, coronas, etc.) emens, ipsi venditori, earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus pretium expensasque transmissionis in ipso actu quo res illæ jam benedictæ sibi tradentur » (2). Neque perduntur indulgentiæ eo quod quis rem indulgentiatam opifici restaurandam tradit ac pretium pro opere præstito solvit (3).

Ex dictis concludes indulgentias objectis piis adnexas manere si hæc absque venditione ab uno possesore in alium transeant, atque a novo possessore obtineri posse, modo hic conditiones præscriptas adimpleat. Unde jam indulgentiæ acquiri possunt ope objectorum piorum quæ quis aut dono, vel hereditate accepit, aut ab altero commodavit, etiam pretio quodam aut munusculo præstito, aut invenit, aut casu vel mutua gratuita donatione permutavit (4). A. LEGRAND.

---

(1) Apud *Nederlandsche katholieke stemmen, t. c.*, p. 76 ss., merito, ut videtur, contenditur venditioni æquiparandam esse ***permutationem stricto sensu sumptam***, quæ scilicet est contractus onerosus in quo pro re indulgentiata non pretium, sed alia res tradenda promittitur, adeoque et per talem permutationem, quamquam in can. 924, § 2 expresse non nominatur, cessare indulgentias.

(2) Ita jam sub antiquo jure statutum erat, ut videre est in decr. S. C. Ind., 10 julii 1896, ad I, apud *Acta s. Sedis*, t. XXIX, p. 320.

(3) Ctr BERINGER-STEINEN, *o. c.*, p. 407. Casus esset si v. g. aliquis rosarium opifici traderet ad catenam renovandam.

(4) Inde deduces rosariis, crucibus, crucifixis, numismatibus quæ religiosi singulis annis invicem commutant, adnexas manere indulgentias suas, ac transire in novum possessorem.

VI.

De librorum prohibitione.

Q. *Legere ac retinere libros prohibitos sine licentia legitimi superioris non licet. — Determina : 1°/ utrum hæc licentia aliquando præsumi possit ; 2°/ utrum ille qui moraliter certus est nullum sibi imminere perversionis periculum possit illos legere absque licentia ? — Responsis adde rationem.*

R. — Ut supra (1) statuimus *principium generale* est nemini licere scripta prohibita legere aut retinere, nisi obtenta fuerit licentia legitimi superioris, illius nempe qui prohibitionem edixit, vel ipsius superioris aut delegati. Lex enim lectionem pravorum scriptorum prohibens non est absoluta sed conditionata, seu prohibet sub conditione, ne scilicet lectio fiat sine superioris debita licentia. Ideoque lex non est simpliciter : « *ne legas* », sed « *ne legas sine licentia seu facultate* ».

Cum vero res ita sit, statim exsurgit duplex quæstio, quam in præsenti responso solvere intendimus : primo, utrum unquam detur locus licentiæ præsumptæ ; secundo, utrum in specie liceat agere sine obtenta prævia licentia, casu quo quis moraliter certus sit nullum sibi imminere periculum pro fide vel moribus. Et ideo :

1/ An licentia legendi libros prohibitos præsumi potest ? Ut huic primæ quæstioni apte respondeatur, oportet quædam notiones præmittantur, tum de natura *licentiæ*, tum de ejus differentia cum notione valde connexa *dispensationis*.

Licentia autem definitur facultas facta secundum legem ; conditio, qua posita, actus ex ipsa lege permittitur. *Dispensatio* vero est legis relaxatio in casu particulari. Hæc ergo est contra legem vel vulnus legis, quatenus

---

(1) Cfr supra, p. 293 s.

eximit ab obligatione legis, dum illa sit secundum legem seu facultas per quam lex observatur.

Dispensatio supponit actionem absolute prohibitam et ob eam rationem malam, dum licentia locum habet quando lex aliquam rem non absolute sed sub conditione prohibet, ne scilicet fiat sine licentia superioris.

Atque ita necessitas licentiæ imposita esse intelligitur, ut, nisi formalis et expressa exigatur, licentia præsumi possit, id est satis esse censetur ut dependenter a superiore agas : quæ dependentia servatur, si, secundum prudentem mentis æstimationem, superior rem concessurus sit.

Dispensatio autem præsumi nequit, quia est actus positivus jurisdictionis, et præsumptio effectum causalem non supplet (1).

Hisce itaque prænotatis ad 1m respondetur distinguendo facultatem seu licentiam *generalem* inter et *actualem* seu *singularem*.

a. *Generalis* facultas seu licentia legendi libros prohibitos numquam præsumi potest, sed est semper formaliter petenda. Lex enim can. 1398 expressa eam universaliter facit necessariam. Nec incommodum prætextari potest ad sese eximendum ab obligatione petendi veniam, quamdiu enim licentiam petendi copia habetur, incommodum quo a lege excuseris allegari nequit.

b. *Specialis* vero ac *actualis* exceptio admittitur a

---

(1) Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici*², t. I, p. 103; *Collat Brugen.*, t. XII, p. 760. Hanc differentiam optime ostendit Suarezius dicens : « Quo modo dicunt communiter auctores non agere contra paupertatem religiosum dantem aliquid ex voluntate præsumpta superioris, quando non potest facile obtinere licentiam expressam, quod tamen in dispensatione non admittimus ; et ratio differentiæ est quia ibi actio non est simpliciter prohibita, sed solum ut fiat absque superioris voluntate, quæ conditio extenditur ad voluntatem præsumptam, ex communi usu et prudenti ratione. Hic autem, actio supponitur absolute prohibita et ob eam rationem mala, et ideo de præsenti necessaria est aliqua voluntas quæ prohibitionem et malitiam auferat.»

nonnullis auctoribus, et merito quidem, ita ut illa licentia aliquando præsumi possit, modo agatur *primo* de speciali quodam casu urgentis necessitatis aut gravis utilitatis; *secundo* de casu quo recursus ad superiorem non pateat (1).

Quæ duplex conditio brevi explicatione illustratur:

α) Casus *urgentis necessitatis* præcipue verificatur quando quis *ex assumpto officio*, morali necessitate premitur legendi quoddam opus damnatum. In hujusmodi necessitate versari possunt: judex et advocatus in forensi controversia pro instructione facienda circa libros obscenos; scriptor diarii ad prompte respondendum; persona cui specialiter, ex can. 1397 competit facienda denuntiatio, ad certum librum deferendum; adolescens qui ad audiendas prælectiones quas licite frequentat, vel ad periculum faciendum in re philosophica vel in litteris, cogitur adhibere textum non emendatum, etc. « His enim casibus, ait Vermeersch, licentia legendi continetur ipsa facultate exercendi talis officii; vel finis legis potest dici *contrarie* cessare et locus esse *epikeiæ*. Contrarie enim cessat, cum ipsum bonum commune postulat ut legis vinculum in casu particulari auferatur ».

Casus *gravis utilitatis* dari potest v. g. occasione disputationis cum hæretico, si, ad ipsum convertendum, opus sit ostendere in auctore hæretico contradictionem et detur spes fructus, contrarie enim cessat finis legis, si gravis utilitas postulaverit ut facias aliquid per se prohibitum, nec copia sit adeundi superiorem pro licentia (2).

β) Insuper oportet sit casus quo recursus non pateat ad superiorem. Notandum est omnino duplicem conditionem esse necessariam.

Recursus vero non patet ad superiorem vel quia agitur de libris pro quibus non conceditur vel non solet concedi

---

(1) Cfr A. De Meester, *Compendium juris canonici*, t. III, p. 299.
(2) Cfr A. Vermeersch, *De prohibitione librorum*, p. 113.

facultas, uti sunt libri obsceni, vel quia aditus ad superiorem in casu revera sit impossibilis sive moraliter sive physice.

Qua de causa merito observant plures, hodie vix locum dari licentiæ præsumptæ, tum quia benigniores factæ sunt regulæ Indicis, tum quia amplioribus hodie facultatibus Ordinarii sunt instructi atque recursus ad ipsos admodum facilis est (1).

2/ Cum itaque statutæ sint conditiones requisitæ ut quis legitime præsumat licentiam legendi scripta prohibita, remanet nobis ut alteri quæstioni responsum tradamus : utrum nempe qui moraliter certus est nullum sibi imminere perversionis periculum possit legere absque licentia libros proscriptos.

Ex supradictis quidem responsum dandum jam apparet ; atvero propter controversiam de speciali hac quæstione inter auctores motam, per modum corrollarii hanc alteram solutionem adjungimus.

Sententia communissima ut indubium tenet hoc non licere. Duplex autem argumentum affertur ad illam sententiam stabiliendam : alterum ex natura legis lectionem pravorum scriptorum prohibentis desumptum ; alterum ex absentia cessationis finis legis ; quo secundo argumento ostenditur patronis benignioris sententiæ, ipsos falso concludere ad legis cessationem ex prætensa cessatione finis legis. Duplex illud argumentum sic evolvi potest :

a) Lex pravorum scriptorum lectionem prohibens est *lex fundata in præsumptione periculi universalis*. Hujusmodi autem lex, juxta unanimem fere theologorum ac canonistarum sententiam, non cessat etsi istud periculum in particulari non adsit, modo subsistat periculum in communi seu respectu totius communitatis.

b) Lex pravorum scriptorum lectionem prohibens non

---

(1) Cfr A. De Meester, *l. c.*

potest dici cessare ex eo quod finis legis in casu prædicto cessaverit. Nam, quamvis finis a legislatore intentus quodammodo obtineatur, ex eo quod adsit moralis certitudo nullum perversionis periculum imminere, tamen non cessat legis finis *adæquate*. Nam remotio periculi perversionis non est *solus* finis a legislatore intentus. Nam insuper intendit nostra benigna mater Ecclesia ut non detur ansa hæreticis aut aliis improbis scriptoribus perniciosa typis demandandi, nec nonut ipsi libri noxii destruantur. Hæ vero rationes remanent, etiamsi lectores nihil mali sibi timeant ab ejusmodi librorum lectione.

Cui duplici argumento per modum confirmationis addi potest sequens consideratio : « cum in Indicem ferantur libri certi argumenti ob neglectam præviæ censuræ solemnitatem (cf. can. 1399, 5°), facile de pluribus constare posset eos in se innocuos esse.

Num illos passim legi posse existimabis, et sic enervabis saluberrimam de librorum prohibitione disciplinam » ? (1).

J. Brys.

(1) Cfr A. De Meester, *l. c.*

Acta SS. Congregationum

E Supr. S. Congr. S. Officii.

I.

DECRETUM

DAMNATUR OPUS « " L'ACTION FRANÇAISE ,, ET LE VATICAN » (1).

Cum ad hanc Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii delatum fuerit opus, cui titulus. *Les pièces d'un procès — « " L'Action Française ,, et le Vatican » — Préface de Charles Maurras et Léon Daudet*, iussu Ssmi D. N. Pii Papæ XI hoc præsenti decreto idem opus proscribitur, damnatur atque in Indicem librorum prohibitorum inseritur.

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 19 septembris 1927.

Aloisius Castellano, *Supremæ S. C. S. Officii Notarius.*

II.

DUBIUM.

DE CONVENTIBUS (QUOS DICUNT) AD PROCURANDAM OMNIUM CHRISTIANORUM UNITATEM (2).

Occasione conventus, qui diebus 3-21 proximi mensis augusti habebitur Lausonii in Helvetia, propositum est Supremæ Sacræ Congregationi S. Officii dubium :

« An liceat catholicis interesse vel favere acatholicorum conventibus, cœtibus, concionibus, aut societatibus quæ eo spectant ut omnes christianum nomen utcumque sibi vindicantes uno religionis fœdere consocientur ? »

In Congregatione Generali, feria IV, die 6 julii 1927, Emi ac Revmi Domini Cardinales in rebus fidei et

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 347.

(2) *Ibid.*, XIX (1927), p. 278.

morum Inquisitores Generales respondendum mandarunt :

« *Negative*, atque standum omnino decreto ab hac ipsa Suprema Sacra Congregatione die 4 julii 1919 edito *De participatione catholicorum societati* " Ad procurandam christianitatis unitatem ,, ».

Ssmus Dominus Noster D. Pius div. Prov. Pp. XI sequenti feria V, die 7 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit et publicari iussit.

Datum Romæ, ex Aedibus S. Officii, die 8 julii 1927.

Aloisius Castellano,
L ✝ S. *Supremæ S. C. S. Off. Notarius.*

E S. Congr. Rituum

I.

URBIS ET ORBIS (1)

Ex quo cælitum honores Sanctæ Teresiæ a Iesu Infante, Virgini, Apostolica Sedes, suo supremo iudicio, anno millesimo nongentesimo vigesimo tertio, tribuendos esse decrevit, magna erga beatam Virginem ubique invaluit devotio ; quæ, innumeris beneficiis miraculisque, veluti rosarum imbre, fœcundata, in dies magis ac magis mirifice crebrescit. Ea de causa, complures Sacrorum Antistites, imo vel ipsi Romanæ Ecclesiæ Purpurati Patres magnopere sibi in votis esse pandiderunt, ut Sanctæ Teresiæ a Iesu Infante honor et cultus, per Officium et Missam, a Suprema Auctoritate, in toto catholico orbe decernatur : quod postulatum Summo Pontifici Pio Papæ XI suaviter arrisit. Quare ad iuris tramitem et ad normam Decreti 20 februarii 1926 concinnatum Officium et Missam, prouti in superiori exemplari prostat, per Eminentissimum Dominum Cardinalem Sacræ Rituum Congregationi Præfectum una

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIX (1927), p. 288.

cum R. P. D. Sanctæ Fidei Promotore generali, diligenter revisum, ab eodem Cardinali subsignata die Sanctissimo Domino fuit exhibitum, simulque oblata supplicatio ut festum S. Teresiæ a Iesu Infante, Virginis, ad universam extenderetur Ecclesiam. Sanctitas vero Sua, supradictum Officium cum Missa in omnibus approbare dignata est, mandavitque ut ab utroque Clero, in universa Ecclesia, die 3 octobris, sub ritu duplici minori, festum S. Teresiæ a Iesu Infante, Virginis, quotannis recolatur : servatis de cetero rubricis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 13 julii 1927.

Præcedit apud *Acta* officium recitandum, die 3 octobris, quod est de *Communi Virginis* tantum, ritu duplici, cum oratione propria et lectionibus historicis secundi nocturni pariter propriis ; missa vero *Dilexisti* sumitur de *Communi Virginum*, præter orationem, rursus propriam, quæ sequitur :

Oratio

Domine, qui dixisti : nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum : da nobis, quæsumus ; ita beatæ Teresiæ Virginis in humilitate et simplicitate cordis vestigia sectari, ut præmia consequamur æterna : Qui vivis.

Adnotanda

Diœcesi Brugensi idem festum concessum jam erat rescripto 11 februari 1927. Verum, in nostra diœcesi, die 3 octobris agitur ritu semiduplici festum *s. Piati* martyris, qui primis Flandriæ apostolis annumeratur. Ejus dies natalis est 1ª octobris, sed illa die celebrandum nobis est festum s. Bavonis. Debuisset ergo festum semiduplex s. Piati, die 3ª octobris, simplificari ad solam commemorationem in officio et missa s. Teresiæ.

Ideo petiit et obtinuit Illᵉ Episcopus Brugensis ut festum s. Piati posset fixe reponi, et quidem in die 9 octobris. Hac enim die celebratur ritu semiduplici festum ss. Dionysii et Sociorum. Hi autem martyres juxta traditionem

dicuntur a Roma missi in Galliam, eodem tempore quo etiam ab Urbe ad nostras provincias destinatus est s. Piatus. Non immerito ergo eadem die recolitur eorum memoria. Et prævalet festum s. Piati, tum quia stricto sensu proprium est nostræ diœcesi, tum quia ex novo S. R. Congregationis rescripto evectum est ad ritum duplicis. Die ergo 9 octobris celebrandum erit festum s Piati duplex, cum commemoratione ss. Dionysii et Sociorum, semiduplici simplificati.

C. Callewaert.

II.

DUBIUM (1)

Sacræ Rituum Congregationi propositum fuit sequens dubium :

« An liceat Missam cum cantu vel lectam celebrare coram Ssmo Sacramento velato vel in pyxide exposito, intra vel extra tabernaculum ? Et quatenus Negative :

« Utrum huiusmodi usus saltem tolerari possit ? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit : « Negative ad utrumque ».

Hac nacta occasione ipsa Sacra Rituum Congregatio decreta N. 3448, *Societatis Iesu*, 11 maii 1878, et N. 4353, *Marianopolitana*, 17 aprilis 1919, circa Missam et sacram Communionem in Altari expositionis Ssmi Sacramenti, adhuc in suo robore manere declarat ; eorumque observantia a Revmis locorum Ordinariis peculiari studio curanda est.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 27 julii 1927.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,

S. R. C. Præfectus.

L. † S. Angelus Mariani, *Secretarius.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis* XIX, p. 289.

Adnotanda

Præsens decretum non est datum occasionaliter, ad petitionem particularem, sed ab ipsa S. Congregatione inscribitur « Dubium » sine addito : induit ergo indolem magis generalem et eo majoris est momenti quod S. Congregatio ultra terminos ipsius Dubii, proprio motu declarationem et monitum addit.

Expositio SSi Sacramenti distinguitur duplex : altera est publica seu solemnis quæ fit in aperto ostensorio ; altera privata quæ fit in pyxide aut ciborio clauso et velato.

De **solemni** expositione duplici decreto, n. 3448 *Societatis Jesu*, 11 maii 1878 et n. 4353, *Marianopolitana*, 17 aprilis 1919, declaratum fuit : ad altare in quo solemniter est expositum SS. Sacramentum « non licere missam celebrare sine necessitate, vel gravi causa vel de speciali indulto ». Nitide ergo indicatur *regula* et determinantur *exceptiones* (1).

S. Congregatio licet non interrogata, hæc duo decreta « in suo robore manere declarat ; eorumque observantia a Revmis locorum Ordinariis peculiari studio curanda est ». Inculcat ergo non nimis facile concedendas esse exceptiones.

Sed hæc decreta non tangebant directe expositionem **privatam**. Hanc materiam nunc directe regit novum decretum, quod statuit : ad altare ubi SS. Sacramentum velatum seu private exponitur missa sive cum cantu sive lecta *nec licet, nec tolerari potest*. Pro expositione ergo privata statuitur *regula* prohibens missam, *sine exceptione*.

Ratio discriminis hæc esse videtur. Ad expositionem *solemnem* requiritur semper causa justa et gravis præsertim publica, et adest interdum necessitas, puta in Oratione XL Horarum aut in Adoratione perpetua. Et non

---

(1) Hæc decreta explicavimus exponendo simul evolutionem historicam expositionis, ap. *Collat. Brugen.*, t. XXII (1922), p. 325-331.

ægre concipitur casus quo simul adest necessitas vel gravis ratio celebrandi missam, quæ ad aliud altare celebrari aut nullo modo aut minus bene potest. Missa ideo coram SS. Sacramento *solemniter* exposito non potest prohiberi sine exceptione.

Non ita pro expositione privata. Sicut enim haec permittitur ex qualibet justa causa, sine licentia episcopi, simili etiam ratione omitti potest. Et ideo jure merito sine exceptione prohibet S. Congregatio missam ad altare expositionis privatæ, ut attentio et devotio tendat in ritualem oblationem augustissimi sacrificii, quod sane longe præcipuum et centralem locum occupat in cultu eucharistico (1).

Merito ergo in *Statutis diœceseos Brugensis* nullimode supponitur expositionem privatam fieri infra missam, sed permittitur ut « benedictio cum sacra pyxide, sine diuturniori expositione SS. Sacramenti, dari possit *post* primam aut ultimam diei missam... » (n. 169).

Publicæ autem expositiones permittuntur quædam (n. 171). Sed sapienti discretione addit Ill. Episcopus : « Quum tamen frequenti expositioni SS. Sacramenti, præsertim tempore missæ, non faveant decreta, optamus ut, populo hac de re monito, expositio generatim tantum fiat *post missam*, ad dandam benedictionem » (n. 171).

C. Callewaert.

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXII (1922), p. 328 ss.

De Laudibus matutinis.

Origo.

Quæstiones de origine et primitiva ordinatione ac posteriori evolutione horarum canonicarum intricatissimæ sunt. Ex quibusnam exercitiis Laudes officii hodierni sint ortæ nec omnes conveniunt nec clare liquet.

Sine dubio pertinent Laudes ad antiquum cyclum « nocturnum », ex quo ortæ sunt vel quocum certe connexionem habebant. Primitiva enim vigilia dominicalis, cujus exemplum habemus in vigilia Troade circa a. 58 celebrata (1) et in qua commemorebant « cœnam dominicam » de qua agit s. Paulus in epistola I ad Corinthios (XI, 18 ss), videtur fuisse vigilia plena (παννυχίς). Vespere enim instituebant cœnam charitatis seu agapen, ad frangendum autem panem Corporis Christi exspectabant usque ad horam qua Dominus resurrexerat. Interea vero, morem gerentes frequenti præcepto Domini, vigilabant, orabant, audiebant doctrinam apostolorum et spiritualium charismate donatorum et « loquebantur sibimetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantes et psallentes in cordibus suis Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo Patri » (2).

Hæc vigilia plena, ut patet, solemnius celebrabatur recurrente illa dominica quæ erat anniversaria resurrectionis Domini (3), et illa die, ob cæremonias baptismales,

---

(1) Describitur ap. *Actus Apost.*, XX, 7-12.

(2) *Ephes.*, V, 18-20.

(3) Cfr C. CALLEWAERT, *La durée et le caractère du carême ancien dans l'Église latine*, Bruges, 1920, p. 10. Ex his apparet nos non consentire illis (v. g. P. BATIFFOL, *Histoire du Bréviaire*, 1911, p. 2 ss.) qui censent vigiliam dominicalem ortam esse ex vigilia paschali, quam s. Augustinus vocat « matrem omnium sanctarum vigiliarum... in qua totus mundus vigilat » *(Sermo CCXIX)*. Contrà, dominicalis vigilia videtur nobis primitiva, ex qua per solemnizationem orta est vigilia paschalis.

per multa sæcula perseveravit. Item servata est παννυχίς in aliis quibusdam dominicis et festis : in nocte Pentecostes in qua — sicut in nocte Paschatis — conferebatur baptismus, in anniversariis martyrum, et etiam Romæ in dominicis Quatuor Temporum. Ideo dedebant christiani « abnoctare » ut ait Tertullianus (1).

In ceteris autem dominicarum noctibus accurrebant tantum circa galli cantum ad conventus liturgicos, quos Tertullianus « nocturnas convocationes » appellat (1), et in his celebrabant officium *nocturnum* et etiam *matutinum* (seu Laudes) ; vespere autem præcedente quasi incipiebant vigiliam per officium *vespertinum* quod ob accensas solemniter lampades, « lucernare » vocabant. Et ita, aiunt plures (2), ex scissione antiquæ vigiliæ plenæ, ortæ sunt tres Horæ antiquissimæ et maxime solemnes : Nocturnum officium (quod hodie Matutinum dicimus), Laudes matutinæ et Vesperæ.

Sed inde non explicatur quomodo separatæ sint Laudes ab officio Nocturno. Et tamen sæculis II, III et IV videmus officia matutinum et vespertinum frequentius quam horas nocturnas celebrari, sæpius a scriptoribus commemorari et pluribus motivis specialibus laudari ac vindicari.

Jam enim sæculo II agunt scriptores præsertim de duplici conventu liturgico distincto : matutino et vespertino.

Teste Plinio Juniore, circa a. 112, christiani erant « soliti stato die ante lucem convenire » et « carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem » (Epist. 97). In hoc conventu quem Tertullianus vocat « cœtum antelucanum » (3), ad quem « nocturnis convocationibus si ita oportuerit » (4) conveniebant, celebrabant Eucharistiam seu missæ sacrificium. Sed ante et infra sacrificium instituebantur orationes, cantus, lectiones et exhortationes, quæ sunt elementa orationis canonicæ.

---

(1) Tertull., *Ad uxorem*, II, 4.
(2) P. Batiffol, *H. du Bréviaire*, 3e ed., 1911, p. 4.
(3) Tertull., *De corona*, 1.
(4) Tertull., *Ad uxorem*, II, 4.

Item vespere identidem conveniebant « ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium » ut ait Plinius (l. c.), seu ad celebrandam agapen, quam describit Tertullianus in *Apologetico*, c. 39, commemorans orationem ante et post cœnam, lumina accensa, et cantus qui in honorem Dei « de scripturis sanctis vel de proprio ingenio » depromebantur.

Ex his ergo habemus primitivas *Laudes et Vesperas publicas certis diebus* celebratas cum missa aut agape.

Ceteris etiam diebus sine dubio agebant christiani orationes vespertinas et matutinas. Initium enim et finis diei sunt momenta quibus homo religiosus quasi sponte mentem ad Deum erigit. Ita fit universim in omni religione. Et signanter apud Judæos hæc momenta sanctificabantur sacrificiis matutino et vespertino, adeo ut nonnulli censeant ex horum influxu ortas esse nostras Laudes et Vesperas. Sed ritus judaicus certe nec unica est nec forte præcipua ratio, quum a scriptoribus primitivis rarius allegetur et aliquandiu in Ecclesia primitiva viguerit potius oppositio contra usus judaicos.

Hæ preces matutinæ et vespertinæ instantius quam ceteræ orationes diei commendantur et exhibentur quasi sponte et universim et necessario observatæ. « Ad ortum matutinum habentur preces » ait Clemens alexandrinus (1). « Mane orandum est ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur » addit s. Cyprianus (2). « Ceterum omni die quis dubitet prosternere se vel prima saltem oratione qua lucem ingredimur » ait Tertullianus (3), qui has preces habet ut « orationes legitimas quæ sine ulla admonitione debentur ingressu lucis et noctis » (4).

Quotidie ergo *saltem private* fiebant preces matutinæ.

---

(1) Clemens alexand., *Stromata*, vii, 7.
(2) S. Cyprianus, *De oratione*, 35.
(3) Tertullianus, *De oratione*, 35.
(4) Id., *De oratione*, 25.

Sed videntur sæpe etiam *publice factæ* fuisse. Tertullianus enim de oratione matutina, textu supra citato, agit ubi tractat de genuflexione quæ observanda erat in officiis publicis. Et Clemens alexandrinus supponit consuetum esse quod « quis *ex ecclesia* verbi gratia aut ex foro *mane* redeat » (1).

Et hoc habemus nunc luculenter confirmatum, pro ecclesia Romana, ex *Traditione apostolica*, quam s. Hippolytus (circa 220) scripsit et quam H. Connoly ostendit esse servatam in Didascalia Ægyptiaca (2). Præter orationes privatas diversis diei et noctis horis, debent quotidie mane congregari diaconi et presbyteri cum episcopo : debent instruere congregationem et orare antequam ad opus diei accedant (p. 191). Fideles enixe invitantur ad instructionem et orationem in ecclesia : si autem non detur instructio, domi legant s. Scripturam (p. 191 s. ; 181). Die vero sabbati et dominica et quando episcopus voluerit, celebrabitur missa et communio (p. 186 s.)

* * *

Sæculo autem IV, auctis clero et populo christiano, multiplicatis ecclesiis et orta vita monastica, inducta est notabilis mutatio in vita Ecclesiæ et notatim in officio. Jam incipiunt universim Laudes quotidie celebrari publice tum a monachis, tum a clero sæculari et quidem cum concursu populi.

Eucheria in *Peregrinatione ad loca sancta* circa a. 385 describit ordinem diversarum Horarum officii divini in *ecclesiis Jerusalem*. Si attente hanc descriptionem legamus, valde notabile apparet discrimen inter officium nocturno-matutinum diei dominicæ et officium ceterarum dierum.

Per hebdomadam enim officium proprie nocturnum

---

(1) Clemens alex., Pædagogus, II, 10.

(2) H. Connolly, *The so-called Egyptian Order Church and derived documents*, Cambridge, 1916.

minus solemniter agitur. Ante pullorum seu galli cantum aperiuntur omnia ostia ecclesiæ Resurrectionis seu Anastasis et descendunt monachi et virgines et aliqui laici ferventiores « qui volunt maturius vigilare ». Et dicuntur hymni et psalmi respondentur, similiter et antiphonæ. Et singulis diebus adsunt per vices duo vel tres presbyteri qui post singulos psalmos dicunt orationem. Sed absunt multitudo fidelium et episcopus cum clero. Hoc officium videtur respondere nostro matutino.

Ubi autem « cœperit lucescere, tunc incipiunt matutinos ymnos [seu psalmos] dicere », qui videntur esse psalmi determinati. « Ecce et supervenit episcopus cum clero et statim ingreditur intro speluncam [sacri sepulchri] et de intro cancellos primum dicit orationem pro omnibus ; commemorat etiam ipse nomina quorum vult » (ex quo usu originem dicunt nostræ « preces » ad Laudes feriales) « et sic benedicit cathecumenos [quos dimittit]. Item dicit orationem et benedicit fideles ». Et dum exit episcopus singuli ejus manum osculantur et ab eo benedicuntur et dimittuntur « jam luce » facta.

Die autem dominica ante galli cantum accurrit ingens multitudo « ad vigilias ». Quum ostia ecclesiæ maneant clausa, foris pendentibus luminaribus, dicuntur psalmi et antiphonæ et, post singulos psalmos, a quibusdam presbyteris aut diaconis orationes.

« Mox autem ut primus pullus cantaverit » accedit episcopus ad speluncam et apertis januis ingreditur omnis multitudo ecclesiam « ubi jam luminaria infinita lucent ».

Cantantur tres psalmi « et respondent omnes » et post singulos psalmos recitatur oratio prima a presbytero, dein a diacono et post tertium psalmum a clerico : et « fit commemoratio omnium » seu preces, ut supra. « Et ecce etiam thymiataria inferuntur intro spelunca Anastasis, ut tota basilica Anastasis repleatur odoribus » incensi. Dein episcopus legit in evangelio « resurrectionem Domini », ita ut populus moveatur ad « rugitus » et « lacrymas ». Et exiens episcopus « ducitur cum ymnis ad Crucem [sacellum Crucis] et omnis populus cum illo. Ibi denuo dicitur unus psalmus et fit oratio. Item benedicit fideles et fit missa » h. e. dimittuntur fideles qui exeuntis episcopi manum osculantur.

Postea redeunt ad Anastasim monachi et quidam laici,

qui recitant psalmos cum orationibus « usque ad lucem » (1).

In hac descriptione distinguere licet officium quod *monachorum* est, quod præsidibus paucis presbyteris aut diaconis modo minus determinato peragitur; et officium *vere publicum*, quod solemnius cum psalmis et cæremoniis magis fixis celebratur ab episcopo et toto clero et ad quod accurrit communitas fidelium. Hoc officium per hebdomadam respondet nostris Laudibus et die dominica videtur esse continuatio antiquæ vigiliæ dominicalis quæ respondet nostro officio nocturno et matutino. Hoc officium dominicale ita agitur ut pars ex qua ortæ sunt Laudes nostræ majori solemnitate celebretur, sicut ceterum posteriori tempore semper factum est.

Etiam *in Occidente* passim occurrunt testimonia quibus elucet Laudes matutinas similiter celebrari in Africa, Hispania, Italia et Gallia. Narrat enim s. Augustinus matrem solere « bis in die, mane et vespere ad ecclesiam tuam sine ulla intermissione venire... ut te (Deus) audiret in tuis sermonibus et tu illam in suis orationibus » (2). S. Ambrosius hortatur : « mane festina et ad ecclesiam defer primitias pii voti » (3). Oportet « prævenire lucem... Hymni dicuntur... psalmi canuntur » (4). Uranius narrans exitum s. Paulini testatur quod « matutinum ex more et ordine celebravit » (5). S. Hilarius generali modo commemorat « matutinorum et vespertinorum hymnorum delectationes... Dies in orationibus Dei inchoatur, dies in hymnis Dei clauditur » (6). Et Cassianus agit de « matutina hac solemnitate, quæ expletis nocturnis psalmis et orationibus, post modicum

---

(1) *S. Silviæ Peregrinatio*, n. 24, ed. P. Geyer, *Itinera Hierosolymitana*, ap. *Corpus scriptor. eccles. latin.*, Vindobonæ, t. XXXVIII, p. 71 ss.

(2) *Confessionum* libr. v, c. 9.

(3) *Expositio in ps. 118, Sermo 19*, n. 32.

(4) *De Elia et jejunio*, xv, 55.

(5) *Epistola de morte s. Paulini*, 4.

(6) *Commentar. in psalm.* lxiv, 9.

temporis intervallum solet in Galliæ monasteriis celebrari » (1). « Denique per Italiam, ait idem, hodieque consummatis matutinalibus hymnis, quinquagesimus psalmus in universis ecclesiis canitur » (2).

Hæc testimonia pro sæculis subsequentibus ex scriptoribus et conciliis multiplicari facillime possent. Ex quibus constat *Laudes quotidie publice* celebratas fuisse in ecclesiis tam sæcularibus quam regularibus.

(Continuabitur). C. Callewaert.



(1) *De institutis cœnobiorum*, III, 4.
(2) *Ibid.*, III, 6.

Consultationes.

I.

Q. *In mea parœcia, Deo favente, plures exstant confraternitates valde florescentes, ita ut singulis annis magnam pecuniæ summam ex annua membrorum cotisatione colligamus.*

Quæritur quisnam usus hujus pecuniæ possit vel debeat fieri?

R. Eleemosynæ quæ a membris confraternitatum per modum annuæ cotisationis traduntur aut a ministris colliguntur, *præprimis* ac *primarie* servire debent ad standum obligationibus confraternitatis seu associationis.

Hae autem obligationes regula generali indicantur in ipsius confraternitatis statutis, quæ — quod non inutiliter notatur ac in mentem sacerdotum revocatur — pro omni pia associatione vel confraternitate haberi *debent* (1).

Regula generali hujusmodi statuta comprehendunt obligationem curandi ut singulis mensibus semel vel bis augustissimum Missæ sacrificium pro membris confraternitatis offeratur, ut festum patroni quadam solemnitate celebretur, ut una vel duæ missæ aut anniversarium celebretur in refrigerium animæ uniuscujusque membri e vita decedentis, et ita porro. Pro his ergo confraternitatis obligationibus satisfaciendis imprimis servire debent confraternitatis pecuniæ.

Superfluæ autem propter *fines connexos* scopo confraternitatis vel piæ associationis adhiberi possunt. Talem enim esse oblatorum voluntatem merito præsumitur. Plures fines connexi hujus generis exemplative enumerari pos-

(1) Cfr can. 689, §, 1 : « Quælibet associatio sua statuta habeat, a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci examinata et probata » cui canoni addit Conc. Mechl. IV in decr. 176 : « Quum quælibet ecclesiastica associatio sua statuta, a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci approbata et examinata habere debeat, singuli rectores quamprimum curent ut, si quæ statutis careat, ea conficiantur, si vero statutis non approbatis utatur, approbatio obtineatur ».

sunt, ita ut superfluæ pecuniæ pro ipsis erogari possint, utputa : propter cultum exhibendum sancto in cujus honorem erecta est confraternitas ; pro missis vel laudibus vespertinis celebrandis ; pro candelis accendendis in ejus honorem ; pro statua ejus ornanda vel reparanda ; pro ornanda parte ecclesiæ vel altaris in qua statua ejus asservatur ; pro emendis paramentis sacris, v. g. vexilla confraternitatis vel vestitu pro processione ; pro solvendis prædicatoribus accersitis occasione festi confraternitatis, etc.

Superfluæ autem *pecuniæ non* possunt erogari in *alios pios usus* nisi de licentia Episcopi, i. e. ad fines non connexos cum scopo associationis uti ad opus scholare, ad pauperes sublevandos, ad tyrones sacerdotii sustentandos, etc. numquam possunt adhiberi nisi prævie obtenta fuerit licentia Ordinarii. Ratio est quia Episcopi est invigilare de recto usu omnium bonorum ecclesiasticorum suæ diœceseos. Episcopus autem consensum hunc non præbebit nisi constet de consensu membrorum confraternitatis : qui consensus facile obtineri poterit, puta occasione perceptionis annuæ cotisationis, vel imo præsumi poterit si manifestis verbis res e suggestu fuerit proclamata, vel in conventu ipsius confraternitatis fuerit exposita.

Superfluæ autem pecuniæ *numquam* inservire possunt ad usus *mere* profanos. J. Brys.

II.

Q. *An post edita nova Statuta Diœcesis Brugensis adhuc dicenda est consueta imperata* Pro Papa ?

R. *Negative.* Intendunt enim Statuta (n. 174) « præcavere dubia ». Et hunc in finem determinatur quænam imperata communiter injungatur (1). Jamvero non præscribitur collecta *Pro Papa.*

(1) Ut alicui leviter dubitanti occurramus, notamus orationem *Deus cui omne cor patet*, dicendam esse quando collecta de Spiritu sancto præscribitur non solum pro clericis ordinandis, sed etiam pro sacerdotibus qui exercitiis spiritualibus incumbunt.

Dubium forte moveri posset ex usu recepto, sed quæstio dirimenda ex *novo* textu qui hanc materiam regit. Et ad omne dubium tollendum declaravit Ill. Dom. Episcopus collectam *Pro Papa* jam non præscribi. Ceterum in omni missa, in canone, oramus specialiter pro Papa.

III.

Q. *An* Ave Maria *in Laudibus Vespertinis cantari debet, quando Litaniæ Lauretanæ pro secundo motteto fuerunt cantatæ ?*

R. Affirmative. Statuta enim, n. 170, in priori parte determinant quid sit *cantandum in corpore Laudum :* primum motettum in honorem SS. Sacramenti, secundum in honorem B. Mariæ Virg. et pro adjunctis tertium aut et quartum motettum sive ab Ordinario præscriptum sive libere adjunctum. Deinde in altera parte accurate definiunt quid sit recitandum (aut cantandum) *in appendice Laudum,* « *post cantus* » scilicet.

Et in hac altera statuitur sub d/ : « ceteris diebus recitentur Litaniæ Lauretanæ vel cantetur *Ave Maria*. Nunquam tamen eædem Litaniæ jam cantatæ repetantur ». Ex quibus verbis evidenter elucet rectorem ecclesiæ generatim ad absolvendas Laudes posse eligere vel recitationem Litaniarum vel cantum *Ave Maria ;* si autem in corpore Laudum jam pro secundo motetto cantatæ fuerint Litaniæ, repeti non possunt in fine : remanet ergo *Ave Maria* debere cantari. Pari modo si *Ave Maria* fuisset cantatum pro secundo motetto, deberent in fine recitari Litaniæ.

IV.

Q. *Statuta Diœcesis Brugensis, n. 170 statuunt :* « Nunquam duæ Litaniæ diversæ recitari debent in iisdem Laudibus Vespertinis ». *Quid ergo faciendum in festo Christi Regis, in prima feria VI mensis octobris et mensis martii ?*

R. Statutum illud auctoritate episcopali datum simultaneam recitationem Litaniarum tantummodo prohibet, ut patet, in quantum Litaniæ auctoritate episcopali injunguntur, non vero in quantum auctoritate suprema S. Sedis præscribuntur. Inde apparet responsum ad diversa quæsita :

1/ Vi Litterarum Leonis XIII, *Quamquam pluries*, 15 aug. 1889, et Epistolarum pastoralium Ill. D. Faict, diei 24 sept. 1889, ac Ill. D. Waffelaert diei 21 sept. 1897 debent Litaniæ Lauretanæ cum Rosario et oratione ad s. Joseph, infra missam vel (melius) infra Laudes Vespertinas, quotidie recitari a die 1ª octobris ad diem 2ᵐ novembris inclusive.

Decreto S. Rituum Congregationis diei 28 aprilis 1926, debent Litaniæ de Sacro Corde Jesu et consecratio generis humani recitari in festo Christi Regis, quod celebratur ultima Dominica octobris.

Si utraque hæc exercitia peragantur infra Laudes Vespertinas, ambæ Litaniæ sunt recitandæ, quia ambæ injunguntur auctoritate S. Sedis.

2/ « In prima feria VI cujusvis mensis, Litaniæ de SS. Corde Jesu » recitandæ sunt ex auctoritate Ordinarii Brugensis (*Stat.*, n. 170). Quum autem in mense octobri jam recitari debeant Litaniæ Lauretanæ ex præscripto S. Sedes, omittendæ sunt Litaniæ de SS. Corde (1).

3/ In prima feria VI mensis martii occurrunt simul Litaniæ de SS. Corde et Litaniæ s. Joseph. Quum utræque ab Ordinario Brugensi sint præscriptæ, licet rursus applicare præceptum magis generale : non duæ Litaniæ recitandæ. Et quum Ordinarius ipse non determinet quænam sint omittendæ, rector ecclesiæ proprio marte eligere potest.

C. Callewaert.

---

(1) Idem statuendum pro mense novembri si feria VI occurrat in 1ª aut 2ª die mensis.

Notæ bibliographicæ

Pègues, Th. (O. P.). *Commentaire français littéral de la Somme théologique de saint Thomas*. T. XVI. *La rédemption*. Paris, Téqui, 1926. — Gr. in 8, VIII-718 p.

Nous sommes heureux de pouvoir présenter à nos lecteurs ce t. XVI du magistral commentaire du T. R. P. Pègues. Sous ce titre, *La rédemption*, il comprend les questions 27 à 59 de la troisième partie de la Somme théologique et expose les mystères de la vie du Christ; dans le tome précédent intitulé *Le Rédempteur*, il est traité de la personne du Christ (1); ces deux volumes se complètent par conséquent et forment ensemble tout un traité de Verbo incarnato, comme diront les uns, ou de Deo redemptore, ainsi que diront les autres, où il serait question non seulement de l'Incarnation, mais encore de l'œuvre rédemptrice du Verbe, qui s'est fait chair pour racheter le genre humain. Il est à remarquer cependant que s. Thomas, n'ayant pas la même division en traités nettement distincts, que nous avons maintenant en théologie, traite de l'œuvre rédemptrice dans toute son ampleur; au fond depuis la question 27e à la question 59e, il commente longuement, selon la méthodes scolastique, le texte du symbole de la foi, depuis les paroles « qui conceptus est de Spiritu sancto », jusqu'à : « sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos ». La dernière question expose le pouvoir judiciaire du Christ; les premières questions considèrent la sanctification de la Vierge Marie, la virginité de la Mère de Dieu, les épousailles et l'annonciation de la bienheureuse Vierge; ensuite il est question de la conception de Jésus, de sa nativité, de sa manifestation et de sa circoncision; de son baptême et de sa tentation au désert, de son mode de vie, de sa doctrine et de ses miracles; enfin de sa transfiguration, passion, résurrection, ascension et glorification au ciel.

Nous avons exposé jadis (2) le *but* que le T. R. P. Pègues se propose en publiant ce commentaire français littéral : il veut notamment faciliter l'étude de la Somme dont le texte latin, et surtout la méthode et le style, auxquels beaucoup de lecteurs modernes ne furent plus initiés, peuvent aisément rebuter les meilleures volontés. L'A. veut donner avant tout la doctrine de s. Thomas, expliquée au besoin par s. Thomas lui-même en d'autres endroits de ses œuvres; son

(1) Voir compte-rendu dans *Collat. Brugen.*, XXIV (1924), p. 436.
(2) *Ibidem*, XXII (1922), p. 95 s.

commentaire vise également à souligner de temps en temps la pensée du maître ; il met en relief la connexion qui existe entre les différentes questions ; il résume par-ci par-là l'enseignement du s. docteur ; parfois il insiste sur l'actualité de l'une ou de l'autre solution proposée déjà par le Docteur angélique. Ainsi nous avons suffisamment indiqué de nouveau la *méthode* de l'A., que nous avons longuement analysée dans ce même compte-rendu. Rappelons encore que le savant dominicain, en insérant parfois des vues qui lui sont personnelles, excite bien à propos l'attention du lecteur, et oblige celui-ci à reprendre le texte du s. docteur, de sorte qu'à l'aide du commentaire littéral, non seulement on lit plus facilement s, Thomas, mais on apprend en même temps à voir bien des choses, et surtout la forte systématisation qui caractérise l'œuvre de l'Aquinate. Inutile sans doute de répéter encore les éloges si souvent décernés et à juste titre à l'œuvre du T. R. P. Pègues ; la grande valeur de son commentaire est universellement reconnue ; nous pouvons par conséquent nous contenter de le recommander vivement à tous ceux qui, suivant les directives du S. Siège, désirent étudier de plus près l'œuvre qui, selon la parole de S. S. Pie X, est en théologie l'œuvre royale.

Hontheim, J. (S. J.). *Theodicea sive theologia naturalis.* Friburgi Brisgoriæ, Herder, 1927. — In 8, VIII-324 p. — Pr. 5,60 Mk.

Præsens volumen, quod prodiit uti pars quinta in *Cursu philosophico ad usum scholarum,* quem edunt philosophiæ professores S. J. plures, dividitur in partes quinque : prima habet demonstrationis existentiæ Dei præparationem ; secunda proponit argumenta pro existentia Dei numero undecim ; tertia tractat de attributis esse divini ; quarta de attributis operationis divinæ ; quinta tandem agit de origine rerum a Deo, de earum conservatione, de concursu et providentia divina. In hac ultima parte rejicit A. omnem prædeterminationem physicam, præsertim ad actum liberum. Hæc omnia breviter plerumque et luculenter exponuntur ; multa bene ac solide probantur simul ac a difficultatibus vindicantur ; principia porro rationis, quæ in tali doctrina sola veniunt attendenda, depromuntur ex sana philosophia humani sensus communis, quæ præeunte s. Thoma, Doctore communi, tanquam philosophia perennis a sæculis in scholis catholicis excolitur.

Multa disputare non juvat, itaque omissa controversia sæculari de motione divina, hæc pauca notamus. Imprimis sat mirum videtur tot proferri argumenta pro existentia Dei, dum Angelicus unum adstruit, utique quinque viis evolvendum. Designantur etiam argumenta nominibus, quæ haud paucis alumnis sane non erunt aperta : ita v. g. quartum, quod ex contingentia rerum desumitur, appellatur argumentum tychologicum ; quintum, ex gradibus entium, dicitur climacologicum ; sextum, ex multimoda mutua rerum mundanarum communione, henologicum nuncupatur. Quod valorem attinet argumentorum : tertium, quod dicitur chronogonicum, multis videbitur excedere

ambitum demonstrationis existentiæ divinæ, quippe quæ a quæstione de creatione ab æterno separari potest et melius separatur; objicient alioquin doctrinam s. Thomæ, in Summa theologica, I, q. 46, a. 2, c., ubi concludit : « Unde mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile [ratione], vel scibile. Et hoc est utile ut consideretur, ne forte aliquis quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere quæ fidei sunt ». Nonum argumentum, quod appellatur, eudæmonologicum et habetur ex naturali desiderio beatitudinis, iterum non omnibus apparebit apodicticum. Decimum vero, ex obligatione legis moralis, a multis dicetur mera petitio principii. Undecimum denique, quod ex communi persuasione gentium desumitur, haberi potest tanquam probabile atque confirmativum, sed per se solum non est peremptorium. Hæc omnia non uno censu adeoque habenda sunt.

Opus præsens, nitide typis excusum, non tantum philosophis, sed et theologis multam utilitatem afferre natum est, quoniam in theologia stricte dicta, quamquam in revelatione nititur, adhuc bene multa, præsertim in tractatu de Deo et de creatione, ratione disputantur scholastice, sive ad doctrinam revelatam, quantum fieri potest, explanandam, sive ad difficultates dissolvendas, quæ ex male intellecta veritate revelata sæpius exoriuntur.

Philips, G. *La raison d'être du mal d'après saint Augustin.* Louvain, Museum lessianum, 1927. — In 8, 241 p. — Pr. 20 fr.

La présente étude, que publie la Section théologique du Museum lessinianum, a valu à son auteur le titre de Maître agrégé en théologie de l'Université grégorienne de Rome. L'A. dans une courte introduction rappelle l'importance de la question qu'il traite et qui préoccupa de tout temps l'esprit des hommes; il dit également son but : dans presque tous ses livres, hormis ses écrits historiques contre les Donatistes, saint Augustin, qui durant dix-neuf ans lutta contre les manichéens, touche à ce troublant problème du mal et de son origine; nulle part cependant il n'en donne lui-même une synthèse; l'A. dès lors se propose de réunir en un tout les éléments épars, en montrant en même temps comment l'idée du saint docteur évolua selon une seule et même ligne droite, et quelle clarté cette géniale intelligence a répandue sur tous les aspects de ce problème ardu, à la plus grande gloire de la bonté divine.

Disons immédiatement que l'A. a pleinement réalisé cette intention. Après une brève étude du but de la création et de la raison d'être du mal dans la nature, il aborde le problème plus complexe du pourquoi de notre libre arbitre; il recherche ensuite pourquoi Dieu permet le péché et comment il veut le mal du châtiment temporel; pourquoi il omet parfois de punir le pécheur et comment il permet la faute et la

peine éternelle ; un dernier chapitre étudie le pourquoi du péché des anges.

Gardant le juste milieu entre deux erreurs extrêmes, le manichéisme et le pélagianisme, saint Augustin « ne voulut pas plus invoquer le principe absolu du mal, qu'il n'accepta de ramener à Dieu les fautes et les peines de la vie humaine, mais il prétendit trouver dans le grand péché du paradis terrestre et dans ceux qui l'ont suivi, la cause de tous les maux des hommes » (p. 225). La véritable originalité du docteur d'Hippone consiste dans l'insistance particulière qu'il met à démontrer que tout est ordonné, jusqu'à la damnation des réprouvés, pour le plus grand bien des élus. Sa doctrine austère ne décourage cependant pas la bonne volonté ; elle éclaire l'intelligence et raffermit le cœur, car tout en appuyant sur l'humilité, qui nous fait descendre au fond de notre perversité, saint Augustin prêche cependant avec toute son âme l'inénarrable charité divine, qui nous fait monter aux fécondes miséricordes du Seigneur, qui a tout ordonné pour le bien de ses élus. H. Lamiroy.

Kortleitner, F. X. (O. Praem). *Quæstiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore ætate propositæ.* Abbatia de Tongerloo, 1925. — Maj. in 8, 95 p. — Pr. 10 fr.

De religione populari Israëlitarum (Commentationes biblicæ, I). Œniponte, Rauch, 1927. — In-8, 61 p. — Pr. 1 Mk.

De judæorum in Elephantine-Syene colonia ejusque rationibus cum vetere testamento intercedentibus (Comm. bibl. II). — In 8, 59 p. — Pr. 1 Mk.

In epilogo primi libri proclamat auctor « quam arcte vetus testamentum cum historia religionum comparativa cohæreat » et addit « quare catholici quoque interpretes sacrarum litterarum summo studio progressus ejus prosequuntur » ; non dicit auctor utrum exegetæ catholici, qui hisce rebus student, numerosi an pauci sint ; revera sunt æquo pauciores, quod absque dubio dolendum est cum ex hac potissimum parte jam impugnetur nostra religio. Indolem enim supernaturalem religionis patriarchalis, mosaïcæ et christianæ negant religionistæ cum dicant singula harum religionum constitutiva etiam in aliis religionibus occurrere ibique sicut in vera religione ex sola evolutione, omnium viventium norma, profluisse. P. Kortleitner ex illis rarioribus est catholicis qui ab initio periculo obstiterunt et qui serio factorum et documentorum studio plura religionistarum argumenta enervare potuerunt.

Primus liber proponit quæstiones quasdam de religione veteris testamenti, sed præcise quæstiones hodiedum in controversiis essentiales ; inter has veniunt origo monotheïsmi Israël, attributa Jahve,

cultus Jahve absque imaginibus, relationes legum Pentateuchi cum legibus vicinarum gentium, historia patriarcharum, opiniones eschatologicæ, influxus philosophiæ græcæ in libros sapientiales. Miramur quam systematice auctor varias explicationes componat et quanta eruditione quæstiones solvat.

Ductus eodem spiritu apostolatus veritatis, auctor secundum opusculum conscripsit ut confunderet religionistas, qui ex neglecta fundamentali quadam distinctione, non perspexerunt genuinam indolem religionis jahvisticæ; notum est enim ex perdurante influxu Wellhausen scholam hanc contendere religionem Israël ante periodum prophetarum-scriptorum nihil differre a religionibus ceterarum gentium semiticarum; primo sub influxu prophetarum pervenisset ad monotheïsmum moralem.

Distinctio quam negligunt religionistæ est inter religionem legitimam et illegitimam, etiam popularem dictam. Religio legitima est Jahvismus, quem admittebant jam patriarchæ et qui absque substantiali mutatione per totum vetus testamentum perseveravit; revera abusus multi, teste s. Scriptura, grassaverunt sed isti abusus semper a fidelibus jahvistis vituperabantur nec unquam religionem ingressi sunt; immerito proin de evolutione in ipsa religione quæstio movetur cum extra illam illæ aberrationes versentur.

Hanc thesim solide explicat et probat auctor; at, ni fallimur, mensuram paululum excedit ubi de immutabilitate conceptus naturæ Jahve; agnoscenda est enim apud judæos evolutio quædam in intelligentia naturæ et attributorum Dei, eo præcise modo quo nos admittimus evolutionem dogmatum in novo testamento; adde in vetere testamento progressum revelationis distributum esse per longius tempus quam in novo. Ita negari non potest sic dicta attributa moralia Dei, signanter bonitatem, sanctitatem et curam de sanctitate morali apud homines, melius fuisse perspecta inde a captivitate babylonica, licet antea implicite fuerint agnita.

Tertium opusculum exhibet dissertationem de religione coloniæ judæo-aramæorum in insula Elephantine et in oppido Syene sæc. VI et V a. Chr.; sed prius agendum erat de illis quæ circa hanc coloniam comperta sunt.

Incipit auctor a mutuis relationibus inter judæos et ægyptios; dolemus hic nullum occurrere verbum de nuper detecto opere Amen-emope, cujus affinitas cum libro Proverbiorum habitudinem inter utramque gentem nova luce illustrat.

Narratur breviter inventio documentorum ut statim de statu coloniæ judicium feratur; non dubitat auctor quin coloni fuerint milites judæi, licet etiam inter se lingua aramaïca uterentur; eos coluisse Jahve dicit sed etiam, ordine tamen secundario, alia numina; admittit juxta fidem documentorum templum eorum jam exstitisse tempore invasionis Cambysis a. 525 sed ejus initia accuratius statuere recusat; addit dein varia de vita sociali colonorum.

Aequo brevius forsan absolvitur quæstio magis ad religionem faciens, np. modus quo existentia templi Elephantine componatur cum lege

unitatis sanctuarii ; non videntur enim principes judæorum Palestinæ hoc templum habere ut schismaticum. Auctor sequitur solutionem jamdiu ab ex. VAN HOONACKER propugnatam, juxta quam sanctuariorum multitudo unice fuisset prohibita in terra Chanaan, ut revera dicit *Deut.*, XII, 2-18 ; sed, nostro sensu, professor Lovaniensis rem plenius conficit ubi addit juxta antiquissimam traditionem sacrificium cruentum omne prohiberi extra terram Chanaan ; ita enim explicatur quomodo a Jerusalem nuntiatum sit templum Elephantine utique restaurari posse sed cruenta sacrificia non licere.

Hæc tria opera percurrendo concludere oportet utilissima illa esse et optima ad veteris testamenti meliorem intellectum et opportunam apologiam.

Gabriel, J. *Zorobabel.* Ein Beitrag zur Geschichte der Juden in der ersten Zeit nach dem Exil. Wien, Mayer, 1927. — In 8, XIX-151 p.

Peculiari favore gaudet jam ab aliquot annis studium restaurationis judaïcæ post exsilium ; in hac enim periodo apparet populus Israël sub illa forma, quam Christus et oriens christianismus post quinque sæcula obviam habebunt. In hac historia elegit auctor principem primi reditus, Zorobabel, germen David et spem renascentis nationis.

Novam lucubrationem hac de periodo, de cujus studio præsertim ex. A. VAN HOONACKER meritus est, utilem ducit auctor præprimis ut respondeat recentioribus oppugnationibus historicitatis narrationis biblicæ et ut refutet insufficientes quasdam explicationes. Revera sapienti discretione librat varias hypotheses, solida eruditione plures theorias refutat et sagaces novas quasdam hypotheses suggerit. Refutationis necessitas causa sit cur auctor elegerit expositionem polemicam, lectori sat ingratam ; at, ni fallimur, modus hic expositionis quandoque nocet solidæ probationi : ita, quod spectat thesim capitalem totius libri, np. identificationem Zorobabel et Sassabasar quam auctor admittit, fatemur longas disputationes non præ se ferre vim illam persuasivam, quæ effulget e brevi sed solida probatione VAN HOONACKER apud *Les douze petits prophètes*, p. 541.

Ut a quæstionibus minoribus abstineamus, ut sunt etymus nominis, genealogia et discessus Zorobabel, unum tamen notamus quod nullatenus nobis probatum apparet, scil. narrationem *I Esd.*, IV, 6-23 de restitutione murorum civitatis sub Xerxe et Artaxerxe referendam esse ad administrationem Zorobabel : nomina regum ibi deberent designare Cyrum. Obvia omnino explicatio est pericopam hanc extra suum locum inseri.

Egregius ceterum hic liber est et sincere speramus auctorem studia de restauratione esse prosecuturum. M. DE JONGHE.

Minnaers, W. *Godsdienstige Methodeleer met synoptische tafels der lessen van den Mechelschen Catechismus en zijn verband met de Gewijde Geschiedenis en de Liturgie.* —

Lier, Van In, 1923. — In 8, 280 bl. — Pr. 9 fr. (De Methodeleer zonder de synoptische tafels : 6,25 fr.)

Na eenige beknopte grondbeginselen over christelijke opvoeding in 't algemeen, (1e deel) geeft Schr. ons hier een meer uitgebreide Methodeleer over 't zeer belangrijk godsdienstig onderwijs (2e deel). Hij behandelt nl. in vijf opeenvolgende hoofdstukken het programma, de voornaamste methoden, de taak des onderwijzers bij het aanleeren van de gebeden, de gewijde Geschiedenis, den Catechismus, de Liturgie en de Kerkelijke Geschiedenis.

Telkens voegt hij bij de theorie praktische toepassingen en voorbeelden, aangepast op al de graden van het lager onderwijs.

Na een kort Aanhangsel waarin enkele nuttige landkaartjes den onderwijzer zullen dienstig zijn tot graphische voorstelling der missiereizen van den Zaligmaker en van den h. Paulus, volgen ten slotte 25 schematische tafeltjes volgens de 25 lessen van den Mechelschen Catechismus.

Dit boek zal ongetwijfeld dienst bewijzen aan degenen voor wien het geschreven werd, naar de opgave van den titel : « ten gebruike van Normalisten, Onderwijzers en Onderwijzeressen, alsmede van de Parochiale Geestelijkheid met het Godsdienstonderwijs belast ».

Et. Willems.

Muckermann, H. *Neues Leben.* Ethisch religiöse Darlegungen. II Buch : Die Botschaft vom Gottesreich. Freiburg i. Br., Herder, 1925. — In 8, 92 S. — Pr. 2,20 Mk.

Schrijver onderscheidt in de boodschap van God 's rijk een dubbel bestanddeel, 't eene theoretisch, de leering der kristelijke ethiek, bevat in de boodschap des woords op den berg der Zaligheden, 't andere praktisch, de praktische beleving van die leer tot aan den heldenmoed, de boodschap van de daad op den berg van 't lijden. Tusschen die dubbele boodschap legt de liefdewet een nauw verband ; voor wie die wet beleeft wordt 't kruis een bron van zaligheid.

Dederichs, W. *Predigt-Gedanken.* Freiburg i. Br., Herder, 1926. — In 8, XI-104 S. — Pr. 2,30 Mk.

Schetsen van korte aanspraken voor alle zon- en feestdagen van 't kerkelijk jaar. Nuttig voor priesters die overlast van werk geen tijd vinden voor een langere voorbereiding, op voorwaarde nochtans dat zij zich de aangegeven stof toeeigenen door dagelijksche overweging.

A. Legrand.

Collationes Brugenses

Pretiosa quædam consilia in ordine ad Vitam mysticam.

Operæ pretium duximus, in gratiam dilecti Cleri et animarum illi concreditarum, quædam consilia exscribere alicujus Anonymi, qui discipulus fuisse videtur Beati Ruusbrochii vel s. Joannis a Cruce, vel certe alicujus Doctoris mystici optimæ notæ.

Sibi proponit ille breviter demonstrare quinam sint, in ordine tum ad purificationem animæ, tum ad ascensum positivum ad unionem cum Deo, aliqui actus præcipui in via illuminativa seu a proficientibus potissimum exercendi ; hos enim proficientes præprimis alloqui intendit, utpote jam accinctos ad unionem intimam cum Deo prosequendam.

I.

Quod primo purificationem animæ attinet, positis, utpote jam obtentis ex via purgativa, prærequisitis : nempe firma voluntate vitandi peccatum *omne deliberatum*, necnon regendi passiones seu affectus animi, eorumque motus inordinatos impugnandi, oportet ut hæc voluntas jam perfectius nunc in actum exeat.

Jamvero, totum hoc exercitium purgativum perfectius reducit Anonymus, nec immerito, ad exercitium mortificationis christianæ, quale describit hoc modo :

« Actus mortificationis maxime practicos et efficaciores ad sanctitatem, ait non tam eos esse quos quis voluntarie et ex professo quærit, quam potius eos quorum occasionem multiplicem reperit tum in tolerandis patienter,

imo cum amore et gaudio, rebus adversis a Deo immissis vel permissis ; tum maxime in implendis accurate suis muniis et obligationibus sui status, qua in re frequenter, quotidie et sponte occurrunt hujusmodi occasiones ».

Hæc nobis videntur recte et valde sapienter dicta. Et quod has alteras occasiones mortificationis attinet, adductis quibusdam exemplis dictum Anonymi rite confirmare et illustrare facile possumus.

Sic pro religiosis, et similiter pro alumnis seminarii vel collegii, verbo, pro omnibus qui sub regula vivunt, statim apparet non longe quærendas esse occasiones mortificationis, sed eas sponte et quotidie occurrere in observanda stricte regula et implendis obligationibus charitatis aliarumque virtutum vitæ communi propriarum. Hoc intelligebat plene s. Joannes Berchmans, dicens : Hæc mea maxima pœnitentia, vita communis.

Item, sacerdoti v. gr. ut rite et ferventer munia sua adimpleat, tum personalia, tum erga suæ curæ commissos et proximos generatim, sæpius et quasi continuo occurrunt occasiones mortificationis, sive omittendo quæ sibi præplacent, sive agendo quæ naturæ minus arrident.

Tandem pro omnibus idem valet, qui obligationes sui status perfecte implere satagant.

Præterea, hujusmodi mortificationes omne periculum singularitatis et vanæ forte complacentiæ removent, atque exercitio virtutum erga proximum aliarumque omnium maxime favent, adeoque ad sanctitatem acquirendam plurimum valent, ut reflectenti illico patet.

Dicamus ergo omnes cum s. Joanne Berchmans :

Hæc mea maxima pœnitentia (et mortificatio), vita communis, aut vita mea sacerdotalis : vita pastoris animarum, vita vicarii, vita professoris ; vita quævis ad quam me vocavit divina Providentia.

Obiter notemus quam necessarium sit per totam viam perfectionis exercitium mortificationis, quod commune fuit omnibus Sanctis, ut eorum vita demonstrat, et sine quo nullus unquam sanctus evasit.

II.

Quod positivum ascensum spectat ad unionem cum Deo, qui communi consensu per exercitium in dies perfectius virtutum theologalium efficitur, sic loquitur Anonymus, primo de fide :

« Præcelsa religionis mysteria : Dei Unius et Trini, Verbi incarnati, redemptionis per passionem et mortem ipsius Dei-Hominis, hujusque sacrificium quoque incruentum et vita Eucharistica ; necnon judicia Dei inscrutabilia occultamque Providentiam ; quæ singula olim pio studio et sanctis mediationibus considerasti, hæc omnia nunc in globo uno actu simplicis, puræ ac nudæ fidei agnoscere, et coram infinita illa ac immensa Dei majestate adorando prostatus teipsum in illa fide exinanire coneris.

Hujusmodi actu generali nudæ fidei et humillimæ adorationis fiet, ut anima tua attollatur supra terrestria et creata omnia, supra ratiocinium omnemque obscuritatem, atque supra et extra se rapiatur, jamque inhæreat tota soli Deo, supremæ Veritati ».

Nemo non sentiet, qui rem experiri voluerit, quam solidum sit ac salutare hujusmodi exercitium fidei, simulque actu facile.

Addamus obiter in hoc remedium inveniri efficacissimum adversus tentationes tam molestas contra fidem, quæ Deo permittente haud raro etiam Sanctos divexarunt post longam jam sanctissimam vitam.

Notemus hæc dicta Anonymi de pura ac nuda fide haud parum convenire cum iis quæ s. Joannes a Cruce fuse disserit de nocte obscura, activa et passiva, spiritus.

***

Secundo, aliquem actum spei proponit idem Anonymus : « quo anima supra omnia bona se convertat ad summum infinitumque bonum, ipsum Deum possidendum, quod quidem bonum cum sola Omnipotentia auxi-

liante attingi possit, sese anima huic Omnipotentiæ ex integro committat, valedicens et renuntians propriæ sollicitudini et providentiæ humanæ, seu Deo soli se suaque relinquens. Hujusmodi actu acquirit voluntas sanctam libertatem, sicut actu fidei, ut supra, eadem libertate potitur intellectus ; qua libertate ad divinam unionem intimiorem secure ac celeriter anima accedet.

***

Tertio tandem « charitas, ait idem Anonymus, quæ est ipsum vinculum unionis, sit et affectu ardentissima, et effectu seu efficacia universalis, quatenus imperet omnes actus cujuscumque virtutis. Hunc in finem, renovetur quotidie et imo sæpius de die intentio omnia operandi ex amore Dei.

O divina charitas quæ et actus ex objecto indifferentes sanctificat, et actus bonos omnes cujuscumque virtutis meliores et magis meritorios efficit, quæ tam ardua factu quam aspera et dura acceptu levia facit et amœna ».

Iucundum est advertere et nobis etiam ædificatione plenum, apud nostrates, simplices et pios fideles hoc modo solere loqui et agere : scilicet *ter liefde Gods.* Si quando affliguntur, sustinent ter liefde Gods. Si misericordiam faciunt proximo : ter liefde Gods. Si præcepti Dei vel Ecclesiæ impletio gravis et dura ipsis instat, implent, spretis incommodis : ter liefde Gods. Quidni et nos ita in omnibus loqueremur et ageremus ?

***

Hæc consilia pretiosa et actu facilia si sequamur brevi experiemur uberiorem Spiritus sancti gratiam, sentiemus Deum nobis præsentem, et divina sua charitate in omni activitate nostra atque in ipsa animæ nostræ substantia nobis unitum, ita ut quasi absorbeatur intellectus in divino lumine, et voluntas in divino amore. Ita reipsa contemplatio Sanctorum mysticorum fuit radius quidam repercutiens lumen divinæ visionis, et tota eorum vita

imitatio quædam æternæ vitæ, quæ perfecta participatio est ipsius vitæ Dei Unius et Trini, quemadmodum vita præsens supernaturalis est initialis participatio ejusdem vitæ Dei.

Rursum notare juvat ea quæ de fide, spe et charitate breviter scribit Anonymus, videri compendio referre quæ s. Joannes a Cruce fusius disserit tum de nocte obscura spiritus, ut supra jam notavimus, tum ulterius, quod de charitate dictum potissimum spectat, de præparanda unione transformante, quam pluribus in locis, sicut et B. Joannes Ruusbrouck et alii Doctores mystici, sublimius explicat.

† G.-J., Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis augusti-septembris propositas.

—

I.

De restauratione judaïca II.

Q. *Describe præcipua facta restaurationis cultus post captivitatem babylonicam.*

R. — **Occupatio Jerusalem.**

Ante mensem septimum primi anni Cyri, regis Babylonis, (1) migrantium turmæ ad ruinas Jerusalem pervenerunt atque in ipsa urbe et in suburbanis pagis tentoria collocaverunt vel in domibus partim adhuc exstantibus precarium domicilium elegerunt. Cum aliæ gentes in eodem territorio viverent, statim, ut videtur, facta est

---

(1) Restitutio altaris, de qua statim, locum habuit in mense septimo (*I Esdr.*, III, 1) et quidem, ut apparet e collato III, 8, primi anni reditus : cum autem ante III, 1 nulla reperiatur indicatio chronologica præter primum annum Cyri, regis Babylonis, merito conjicitur primum annum reditus fuisse simul primum annum Cyri. Quisnam hic annus fuit in æram nostram collatus ? « Si ponitur auctorem libri *Ezræ* (et *II Chr.*) annos regum numerasse more judaïco, nimirum a Nisan et quidem a primo die Nisan post accessionem ad thronum, ut factum est in Babylonia pro initio æræ Seleucidarum et ut consueverunt ætate regum persarum judæi e. gr. insulæ Elephantinæ ; atque deinde admittitur, quod probabile est, Cyrum expugnasse Babylonem inter mensem maium et decembrem a. 538 a. Chr., efficitur annum primum Cyri ex mente scriptoris sacri effluxisse a 1° Nisan 537 ad finem mensis Adar (martii) anni 536 », ita E. Ruffini, *Chronologia Veteris et Novi Testamenti*, Romæ, 1924, p. 51.

migrantium recensio (1) eorumque genealogiæ probatio. Probatio hæc speciali modo requirebatur pro sacerdotibus, qui de stirpe Aaron ortum ducere debebant ; de facto quidam se filios sacerdotum dicentes « quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio » (2) ; Zorobabel eis vetuit esum sacrificiorum donec surgeret sacerdos de eorum genealogia interrogans oraculum divinum (3).

Hæc ordinatio Zorobabel fiebat intuitu restaurationis cultus, sicut et statim facta collatio donorum pro templo (4). In hac restauratione paranda et postea perficienda, præter Zorobabel, præcipuas partes obtinebant « principes patrum » (5) et præprimis summus sacerdos Josue ; erat hic legitimus summus pontifex cum esset filius Josedec (6), filii Saraiæ, summi sacerdotis, quem babylonii in Reblatha trucidaverant (7).

Exstructio altaris holocaustorum.

Aedificatio templi sat longa postulabat præparatoria et judæi nimis detinebantur curis domesticis quam ut possent statim muros templi restituere ; nolebant tamen irestaurationem cultus in mora esse et paulo post reditum n prima die mensis septimi (16 vel 17 sept., 537) (8)

---

(1) Iste elenchus traditur in *I Esdr.*, II, sed forsan adauctus est nominibus quorumdam postea tantum reversorum, ut notavimus supra, p. 333.

(2) *I Esdr.*, II, 62.

(3) *Ibid.*, 63. Textus Vulgatæ non est accuratus ; prohibitio ibi tribuitur *Athersata*, juxta hebr. eam tulit *Tirschata* = dux (cfr supra, p. 333, n. 2) ; ultima pars versiculi vertenda est : donec surgeret sacerdos pro *Urim et Tummim*, i. e. ad interrogandum sortem sacram. De *Urim et Tummim* vide A. Van Hoonacker, *Le sacerdoce lévitique*, Louvain, 1899, p. 370 ss. et B. Santos Olivera, *Urim et Tummim*, apud period. *Verbum Domini*, VII (1927), p. 181 ss.

(4) *I Esdr.*, II, 68.

(5) *Ibid.*, 68 s. ; hi videntur constituere concilium seniorum, quod Zorobabel assistebat ; cfr J. Gabriel, *Zorobabel*, Wien, 1927, p. 100.

(6) *I Esdr.*, III, 2 ; *Agg.*, I, 1 ss.

(7) *I Par.*, IV, 12 ; *IV Reg.*, XXV, 19 ss.

(8) Mensis septimus erat præcise mensis magnarum festivitatum ;

« congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem. Et surrexit Josue, filius Josedec, et fratres ejus sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel et fratres ejus, et ædificaverunt altare Dei Israel ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei ; collocaverunt autem altare Dei super bases suas (1).... et obtulerunt super illud holocaustum Domino mane et vespere » (2).

Altari holocaustorum restituto, cultus ordinabatur ita ut deinceps juxta Moysi præcepta sacrificia offerrentur et a populo dies festivi suis temporibus celebrarentur ; in ipso septimo mense magna solemnitas tabernaculorum hac prima occasione cum ingenti jubilo et ardenti animo mediis in ruinis celebrata est (3).

Fundamenta templi jaciuntur ; exstructio interrumpitur.

Interea parabatur exstructio templi, quod licet non totaliter forsan destructum, ingentes tamen reparationes

---

prima die celebrabatur *festum clangoris* seu *tubarum* (*Lev.*, XXIII, 24 s. ; *Num.*, XXIX, 1) ; decima dies erat *dies magnæ expiationis* (*Lev.*, XVI, 29 ; XXIII, 27 ss. ; *Num.*, XXIX, 7 ss.) ; tandem a die decima quinta ad vigesimam primam celebrabatur *solemnitas tabernaculorum* (*Ex.*, XXIII, 16 ; *Lev.*, XXIII, 34).

(1) Scil. anteriores, *I Esdr.*, III, 1 s. ; quod sequitur in Vulgata non accurate vertit textum hebraïcum, qui ad litteram habet : *quia in terrore super eos a populis terrarum*. Hic textus certe corruptus modo valde simplici et obvio restituitur a VAN HOONACKER, *Zorobabel et le second temple*, apud period. *Le Muséon*, X (1891), p. 637 ; censet cl. auctor punctatores vocabulum aramaïcum pro hebraïco habuisse et ita textum corrupisse ; sensus primitivus fuisset : *collocaverunt altare super* proprias *bases suas*, *quia super illas* habebatur *bama* (altare excelsum idololatricum) exstructum *a populis terrarum* vicinarum ; « le second membre explique en effet comment après le retour on a pu élever l'autel des holocaustes sur *ses bases ;* celles-ci avaient été préservées grâce à l'érection d'une *bama* que les peuples d'alentour avaient élevée a la place de l'ancien autel. La démarche que font les samaritains auprès de Zorobabel, au ch. IV, 1 s., montre bien le culte ou la vénération que cette population mixte professait à l'égard du sanctuaire du Dieu du pays ».

(2) *I Esdr.*, III, 3.

(3) *Ibid.*, 4 ss.

et saltem partim nova fundamenta postulabat. Conducuntur operarii, ædificationis materiæ adducuntur et operi levitæ præponuntur. Tandem omnia parata sunt et in secundo mense anni secundi (april.-maii, 536) cum magna solemnitate prima fundamenta ponuntur ; sacerdotes parati tuba canunt, filii Asaph cum cymbalis psalmos davidicos cantant, exsultant reduces dum seniores, qui gloriam templi Salomonis viderant, comparantes humilitatem novæ structuræ, magna voce flebant (1).

Lætitia mox in dolorem mutata est ; « inimici Juda et Benjamin », prætendentes cultum ejusdem Dei Jahwe, partes petebant in templi ædificatione et cultu (2). Erant hi inimici samaritani seu filii colonorum, quos reges Assyriæ, signanter Assarhaddon (3), in territorium Israël advexerant, et quibus jahwismus quidam spurius fuerat prædicatus (4) ; diruto Jerusalem, partes regni Juda occupaverant ubi commiscebantur cum paucis judæis qui ibidem remanserant. Pericula communionis religiosæ cum illis gentibus duces communitatis exsulum haud ignorabant ; petitioni eorum simpliciter opposuerunt decretum Cyri solis judæis e captivitate reducibus favere (5).

Petitio samaritanorum hostilis forsan non erat, sed repulsi, jam vindictam molliebantur ; in auxilium advocato « populo terræ » (6) seu turba illa variarum gentium quæ ad Judæam confluxerant, ædificationem variis modis

---

(1) *Ibid.*, 8 ss. coll. *Agg.*, II, 3.

(2) *I Esdr.*, IV, 1 s.

(3) Vulg. : Assor Haddan, *I Esdr*, IV, 2 ; illæ deportationes Assarhaddon alibi in s. Scriptura non referuntur, eas cognoscimus e documentis profanis ; cfr GABRIEL, *o. c.*, p. 117.

(4) Cfr *IV Reg.*, XVII, 24 ss.

(5) *I Esdr.*, IV, 3,

(6) *Ibid.*, 4 ; de his gentibus postea agetur ubi de reformatione Nehemiæ et Esdræ. Samaritani aliique advenæ inviti videbant constitutionem communitatis judaïcæ, quæ cum noto judæorum rigorismo omnes extraneos excluderet.

turbabant; tandem a Cyro ipso prohibitionem operis obtinuerunt (1).

Aedificatio templi repetitur et absolvitur (2).

Cyro successit filius ejus Cambyses (529-522), rex crudelis qui religiones suorum subditorum spernebat (3); dum ipse regnum tenebat ædificationem templi judæi non attentaverunt, præsertim cum per Judæam frequentissime transirent exercitus Cambysis in Aegypto

---

(1) Mirum videri potest Cyrum ita sententiam mutasse; explicatio in hoc videtur reponenda quod ultimis annis vitæ suæ, de quibus omnia fere ignoramus, coregnavit cum filio suo Cambyse; ut statim notabimus Cambyses erga subditos populos aliter erat dispositus ac Cyrus.

(2) Statim notemus narrationem *I Esdr.*, IV, 6-23 extra suum locum reponi, ut probat sequens summarium argumentum: si narratio suo loco inserta est, collocandi sunt reges Assuerus (Xerxes, v. 6) et Artaxerxes (v. 7) inter Cyrum et Darium de quo in cap. V et apud *Agg.*, I, 1 ss. et *Zach.*, I, 1; ita non posset ibi agi nisi de Dario II, qui regnavit a. 423-405; jamvero tunc impossibile est ædificationis templi reassumptionem tribui iisdem Zorobabel et Josue qui a. 537 altare holocaustorum exstruxerant; illis tamen ædificationem sub Dario mira concordia tribuunt *I Esdr.*, *Agg.* et *Zach.* Proin Darius ille non potest esse nisi Darius I (521-485).

Quidam cum J. Theis *(Geschichtliche und literarkritische Fragen in Esra* I-VI, Münster, 1910, p. 39 ss.) nihilominus facta IV, 6-23 ante Darium I collocant eo quod admittunt in v. 6 vocabulum *Assuerus* esse glossam et in v. 7 ss. sub nomine Artaxerxis Cyrum designari. Hisce autem opponitur facta ibi narrata nullatenus quadrare cum adjunctis historicis: agitur enim in illa pericopa de restitutione *murorum*, quam judæi ab ædificatione templi prohibiti non potuissent attentare; ceterum Artaxerxes ille identicus est cum Artaxerxe qui Nehemiam mittet ad muros restituendos a. 445 (*II Esdr.*, II, 8), ut probabimus infra ubi de restitutione murorum. Conclusio sit narrationem *I Esd.*, V excipere IV, 5 repetitum IV, 24.

Notare adhuc juvat insertionem pericopæ IV, 6-23 causasse glossam VI, 14, qua post Cyrum et Darium insertum est nomen Artaxerxis.

(3) Ita in Aegypto trucidavit sacrilege bovem Apis; si licet fidem præbere relationi alicujus epistolæ judæorum Elephantinæ Aegypti, Cambyses aliquatenus favit judæis, nam pepercit templo a judæis ibi exstructo dum templa ægyptiorum delevit; cfr M.-J. Lagrange, *Les nouveaux papyrus d'Eléphantine*, apud period. *Revue Biblique*, 1908, p. 325 ss.

bellantis. Mortuo Cambyse, per septem menses regnavit usurpator Gaumata, qui thronum ascenderat dum Cambyses erat in Aegypto ; contendebat Gaumata se esse Bardija seu Smerdis, fratrem Cambysis quem hic statim post mortem Cyri jusserat clam occidi. Fraude detecta, pseudo-Smerdis trucidatus est a principe stirpis regiæ Dario I, qui ipse regnum arripuit et regnavit ab anno 521 ad 485.

Initia regni infausta erant, nam per duos annos Darius varias rebelliones sedandas habuit (1). Cum gubernii attentio his turbationibus detineretur, judæi optimum nanciscebantur momentum ut templi ædificationem de novo assumerent ; sed jam zelus domus Domini apud plures minuerat, de propriis rebus occupati satis ducebant præsto esse altare holocaustorum ; « prophetaverunt autem Aggæus propheta, et Zacharias filius Addo prophetantes ad judæos, qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israël » (2).

« In anno secundo Darii regis, in mense sexto in die una mensis » (29 aug., 520) (3), Aggæus, præco divinus, duces et populum hortabatur ut templum, jam fundatum sub Cyro, nunc tandem ædificarent ; ostendebat Deum jam puniisse variis rebus adversis negligentiam judalorum. Audierunt duces et populus verbum prophetæ et die vigesima quarta ejusdem sexti mensis (21 sept.) opus aggressi sunt (4). Aedificantibus Aggæus et Zacharias animum addebant promittentes benedictionem divinam

---

(1) « Il eut à réprimer des soulèvements presque partout en même temps : à Babylone, où l'on vit surgir successivement deux faux Nabuchodonosor ; en Susiane, en Médie, où un prétendant au trône s'installait sous le nom de Phraortes ; en Perse même, où l'on vit se lever un nouveau faux Bardija. Ce ne fut que dans le courant de l'année 519 que la paix fut rétablie et l'autorité de Darius reconnue dans toutes les parties de l'empire », ita E. Tobac, *Les prophètes d'Israël*, II-III, Malines, 1921, p. 439.

(2) *I Esdr.*, v, 1.

(3) *Agg.*, i, 1.

(4) *Agg.*, i, 14 coll. *I Esdr.*, v, 2.

et in specie renovando prædictionem adventus Messiæ, cujus Zorobabel typum proclamabant (1).

Novæ tamen difficultates mox oriebantur a parte satrapis Thathanai. Ingens suum imperium Darius, regnum adeptus, dividerat in varias satrapias, inter quas erat satrapia « trans flumen », scil. trans Euphraten, seu Eber-nahara, ad quam Judæa pertinebat : ita Zorobabel, licet remaneret *pecha* seu princeps vassalis judæis præpositus, subjiciebatur huic satrapi. Novus satrapes cum secretario suo et aliis officialibus adiit judæos ut quæreret quo jure templum exstruerent (2). Cum judæi edictum Cyri invocarent, opus interrumpi satrapes non jussit sed rem ad regem detulit. Jussu Darii scribæ quæsierunt mentionem decreti Cyri, quod post frustraneas investigationes Babylone factas, inventum est Ecbatanis in Media, ubi reges Persarum domum æstivam habebant (3).

Responsum Darii judæis ultra omnem exspectationem favebat ; jubebat rex exstrui templum ejusque ædificationis expensas solvi e vectigalibus satrapiæ ; simul mandabat ut cura satrapis semper sufficientes adessent victimæ pro sacrificiis ; tandem judæos rogabat ut pro rege orarent (4).

Ardentius, hortantibus prophetis, judæi incumbebant exstructioni templi, quod consummatum est die vigesima tertia mensis Adar in sexto anno Darii I (1 apr., 515) (5).

---

(1) In articulis sequentibus explicabimus prophetias Aggæi et Zachariæ.

(2) *I Esdr.*, v, 8 ss. ; hæc inquisitio satrapis obvie explicatur cum appareat in papyris Elephantinæ licentiam gubernii persarum requisitam esse ad ædificationem alicujus templi ; cfr LAGRANGE, *l. c.* Sat probabile est denuntiationem « populi terræ » præcessisse inquisitionem satrapis.

(3) *I Esdr.*, vi, 2.

(4) *Ibid.*, 6.

(5) *Ibid.*, 15 ; textus hebraïcus, sicut Vulgata, habet *diem tertium ; III Esdr.*, vii, 5 et FLAVIUS JOSEPHUS, *Antiquitates judaïcæ*, xi, 4, 7 habent *diem vigesimum tertium ;* hi videntur textum primitivum præbere cum hoc anno dies tertius Adar fuerit sabbatum, in quo certe non complevissent structuram ; dies vigesima tertia occurebat feria sexta. *III Esdr.* et FL. JOSEPHUS hunc numerum in libro canonico

Magna cum solemnitate dedicatio templi celebrata est (1) : completa erat cultus restauratio.

M. De Jonghe.

II.

De munere Christi sacerdotali.

Q. *Proba et paucis explica munus Christi sacerdotale.*

R. — Sacerdos, ait s. Thomas (2), dicitur ex etymo « quasi sacra dans » tum Deo a parte hominum, tum hominibus a parte Dei, unde nomine sacerdotis designatur is, qui legitime constitutus est (3) ad deferendum Deo sacra hominum, id est, præcipue sacrificium et etiam orationes ; deinde ad deferendum hominibus sacra Dei, id est, specialia beneficia.

Præcipua functio sacerdotalis est itaque oblatio sacrificii, atque hæc, sacrificium et sacerdotium, sunt vere correlativa, uti clare dicit epistola ad Hebræos (4), et pariter inculcat concilium tridentinum, ubi doctrinam de sacrificio missæ tradit et a querelis protestantium vindicat (5).

---

invenerunt; postea per incuriam copistæ textus Bibliæ corruptus est. Cfr F. Kugler, *Von Moses bis Paulus*. Münster, 1922, p. 215.

(1) *I Esdr*,, vi, 16 ss.

(2) S. Thomas, *Sum. theol.*, III, q. 22, a. 1, c.

(3) Quæstio disputatur inter theologos utrum necne ministerium alicujus viri legitime constituti necessarium sit ad sacrificium offerendum ; negat Vasquez, *Com. ac disp. in III partem s. Thomæ*, De Euch., missæ sacrificio et ordine disp. 220, cap. 3, n. 19 ; affirmat Suarez, *Com. ac disp. in III partem s. Thomæ*, De sacr. Euch. et de sacrificio missæ disp. 73, sect. 4, n. 3 et sect. 5, n. 8. Atvero negari nequit ubique terrarum sacrificium de facto fuisse præcipue actum cultus publici, a legitimo ministro præstandum ; ctr etiam *Hebr.*, v, 4 : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo » et sic, pergit auctor sacer, Christus a Deo constitutus est pontifex.

(4) *Hebr.*, v, 1 ; viii, 3.

(5) *Conc. trid.*, œcum. XIX, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio missæ*, cap. 1 (*Enchir.*, n. 938 ; *Thesaurus*, n. 1087).

1/ Christum *esse sacerdotem* aperte pronuntiat *Scriptura sacra ;* quin immo de sacerdotio Christi data opera tractat epistola ad Hebræos, cujus præcipua doctrinæ capita statim paucis contrahimus (1).

Attamen jam sub vetere testamento Messias luculenter prædicitur futurus sacerdos in psalmo messianico, quem ad se referendum esse ipse Christus testatur (2). Constitutus est autem Christus sacerdos *secundum naturam humanam*, *inde ab incarnatione* (3), et quidem *cum jurejurando* ab ipso Deo (4), qui locutus est ad eum : « Filius meus es tu, ego hodie genui te (5), quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech » (6).

In hoc sacerdotio Christi *secundum ordinem Melchisedech* multum hæret Apostolus, præcipue ut ostendat Christum esse superiorem sacerdotibus veteris legis (7), qui necesse habebant « prius pro suis delictis hostias offerre deinde pro populi » (8), dum pontifex noster, novi testamenti mediator (9), « sanctus, impollutus et

---

(1) In epist. ad Hebræos quinquies dicitur Christus ἱερεύς, μέγας ἱερεύς et octies ἀρχιέρεύς ; sic nunquam in aliis epistolis paulinis nuncupatur, in quibus tamen doctrina de Christo sacerdote aperte declaratur, ut puta *Gal.*, I, 4 ; *Ephes.*, V, 2 ; *I Cor.*, XV, 4, 11.

(2) Cfr *Ps.* CIX (hebr. CX), coll. *Mt.*, XXII, 43. — Cfr etiam *Is.*, LII, 15 coll. LIII, 11 [de quibus textibus vide interpretationem quam tradit CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, II, p. 92, Gandavi 1884] necnon *Malach.*, I, 11 [de quo testimonio lege CORLUY, *o. c.*, III, 298 s. et VAN HOONACKER, *Les douze petits prophètes*, p. 711 s., Paris, 1908].

(3) *Hebr.*, X, 5 s. et cfr *Ps.* XXXIX [hebr. LX], 7.

(4) *Hebr.*, VII, 20.

(5) *Ps.* II, 7 ; in psalmo vero CIX [CX] juxta textum LXX et Vulgatæ rursus : « ex utero ante luciferum genui te », sed non ita in textu hebraïco ; cfr VAN DER HEEREN, *Psalmi et cantica*, p. 70, Brugis, 1924³.

(6) *Hebr.*, V, 5 s. ; ultima verba quæ refert ex alio loco auctor sacer desumuntur ex psalmo CIX [CX].

(7) Argumentum deducitur ex eo quod patriarcha dederit decimas Melchisedech ; cfr *Gen.*, XIV, 18 s. et VAN HOONACKER, *Le sacerdoce lévitique*, p. 281 s., Louvain, 1899.

(8) *Hebr.*, VII, 27 coll. V, 3.

(9) *I Tim.*, II, 5 coll. *Hebr.*, IX, 15.

excelsior cœlis factus » (1), utpote Filius Dei, « splendor gloriæ et figura substantiæ ejus » (2), « hoc fecit semel seipsum offerendo » (3).

Christus enim non manufactum intravit tabernaculum, « per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa » (4) ; « una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos » (5). Christus enim jam non moritur (6), sicut mortui sunt sacerdotes veteris tabernaculi, sed ad similitudinem Melchisedech manet *sacerdos in æternum* (7), adeoque « et salvare potest in perpetuum accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis » (8).

Eamdem doctrinam, quæ legitur expressis verbis apud epistolam ad Hebræos, tam præclare repetunt aut explicant *ss. Patres Ecclesiæ*, ut multos recitare textus plane supervacaneum sit.

Et enim jam s. Clemens romanus vocat Christum « oblationum nostrarum pontificem » (9) ; s. Polycarpus eumdem dicit pontificem sempiternum (10); s. Athanasius vero cum insistentia adversus arianos observat Christum fuisse sacerdotem secundum naturam assumptam, quam a Virgine matre accepit, « ut quid ad offerendum tanquam pontifex habens seipsum offerret Patri » (11).

Sic etiam s. Gregorius nazianzenus, s. Ambrosius, s. Joannes chrysostomus, s. Augustinus, s. Cyrillus

---

(1) *Hebr.*, VII, 26.
(2) *Ibidem*, I, 3 et vide supra p. 138, ubi explicatur hic textus.
(3) *Hebr.*, VII, 27.
(4) *Ibidem*, IX, 11 s.
(5) *Ibidem*, X, 14.
(6) *Rom.*, VI, 9.
(7) *Hebr.*, VII, 23.
(8) *Ibidem*, X, 14 coll. V, 10.
(9) S. CLEMENS ROMANUS, *I Cor.*, XXXVI, 1 (MPG, I, 280).
(10) S. POLYCARPUS, *Ad Philip.*, XII, 2 (MPG, V, 1016).
(11) S. ATHANASIUS, *Adv. arianos or.* II, 7 (MPG, XXVI, 162),

alexandrinus, s. Prosper aquitanus, s. Maximus taurinensis et s. Fulgentius (1), adeoque indubium prorsus est hanc veritatem de sacerdotio Christi *credendam* esse *fide divina*, utpote quæ fuit a Deo *revelata* ; insuper *fide catholica teneri debet*, quippe quæ, primum in concilio ephesino, rursus in concilio tridentino, solemniter ab Ecclesia *definita* fuit (2).

Quum ad sacerdotium etiam pertineat oratio, hæc pauca *de oratione Christi* adjungere juvat (3).

Christus sæpius, *durante vita sua terrestri*, orasse tum pro se tum pro aliis dilucide pronuntiant litteræ sacræ (4) ; nunc etiam *in cœlis* orat pro nobis, ait Angelicus (5), « semper vivens ad interpellandum pro nobis » (6).

---

(1) S. Gregorius nazianz., *Oratio* xxxviii, 16 et xlv, 22 (MPG, XXXVI, 329, 653) ; s. Ambrosius, *De fide, ad Gratianum*, iii, 11, 87 (MPL, XVI, 607) ; s. Joannes chrysost., *In epist. ad Hebr. hom.* xvii, 2 (MPG, XLIII, 129) ; s. Augustinus, *Confess.*, x, 43, 68 (MPL, XXXIII, 278) ; *De civit. Dei*, x, 20 (MPL, XLI, 298) ; s. Cyrillus alex., *Adv. Nestor.*, iii, 1 (MPG, LXXVI, 121) ; s. Prosper aquitan., *Expos. psalm.* cxxxii, 2 (MPL, LI, 381) ; s. Maximus taurin., *Hom.* 5 (MPL, LVII, 235) ; s. Fulgentius, *De Fide, ad Petrum*, ii, 22 (MPL, LXV, 682).

(2) *Conc. trid.*, œcum. XIX, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio missæ*, cap. 1 et 2 (*Enchir.*, n. 938 s. aut *Thesaurus*, n. 1087 s.) ; cfr *conc. ephes.*, œcum. III, Anathemat. Cyrilli contra Nestorium, can. 10 (*Enchir.*, n. 122).

(3) Orationes, et etiam bona opera, sensu latiori quandoque dicuntur sacrificia (v. g. *Hebr.*, xiii, 15), unde et omnes christiani hinc inde in sacris litteris vocantur sacerdotes sensu latiori et improprio, ut puta *I Petr.*, i, 5, 9 ; *Apoc.*, i, 6.

(4) *Mt.*, xiv, 23 ; xxvi, 39 s. ; *Mc.*, i, 35 ; vi, 46 ; xiv, 35 s. ; *Lc.*, iii, 21 ; vi, 12 ; ix, 29 ; xi, 1 ; xxii, 41 s. ; vide pulcherrimam orationem sacerdotalem Jesu, ut dicitur, apud *Jo.*, xvii, 5 s. ; cfr etiam *Hebr.*, vii, 5.

(5) *Sum. theol.*, II-II, q. 83, a. 11, c. coll. *Com. in lib. IV Sent.*, dist. xv, q. iv, a. 6, qt. 2, ad 1.

(6) *Hebr.*, vii, 25 coll. *I Jo.*, ii, 1 : « Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum ». — Ecclesia tamen non admittit invocationem : « ora pro nobis », ad Dominum, propter periculum ne error circa unam personam Verbi incarnati subrepat. — De controversia porro, quæ viget inter theologos, utrum interpellatio Christi in cœlis audienda sit explicita ac actualis postulatio, uti dicit Suarez, an vero nihil aliud sit quam ipsum objectivum meritum sacrificii cruenti semper Patri præsentatum, ut ait Vasquez, vide Franzelin, *Tract. de Verbo incarnato*, th. 51, p. 543 s., Romæ, 1869.

Orare vero competit Christo *qualenus est homo*, et voluntatem humanam habet (1), atque ejus oratio *semper exauditur a Deo* (2), nam « oratio est quodammodo interpretativa voluntatis humanæ. Tunc ergo alicujus orantis exauditur oratio, quando ejus voluntas adimpletur. Voluntas autem simpliciter hominis est rationis voluntas... [Et] secundum voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit nisi quod scivit Deum velle ; et ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana fuit impleta, quia fuit Deo conformis » (3).

In hisce s. Thomas præ oculis habet præcipue orationem deprecativam (4) ; atvero Scriptura sacra sæpius dicit tantummodo Christum declinasse a turba ut oraret, itaque ad objectionem aliquam, desumptam ex generaliori definitione orationis, quæ legitur apud s. Joannem damascenum : « oratio est ascensus intellectus in Deum » (5), pulcherrime respondet Aquinas, ad contemplationem Christi dum provocat (6) :

« Dicendum quod ascensio nihil aliud est quam motus in id quod est sursum. Motus autem dupliciter dicitur : uno modo proprie, secundum quod importat exitum de potentia in actum, prout est actus imperfecti... Et hoc modo, ut Damascenus dicit, intellectus humanus Christi non eget ascensione in Deum, cum sit semper Deo

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, III, q. 21, a. 1, c.

(2) Cfr *Hebr.*, v, 7 et *Jo.*, xi, 42 : « Ego autem sciebam quia semper audis me », in resurrectione Lazari.

(3) *Sum. theol.*, III, q. 21, a. 4, c. coll. II-II, q. 83, a. 1 s. et recole quæ diximus supra, p. 275 s., de conformitate voluntatis humanæ Christi cum voluntate divina.

(4) De natura et divisione orationis vide DIGNANT, *Tract. de virtute religionis*, n. 19 s., p. 16 s., Brugis, 1921[3].

(5) S. JOANNES DAMASC., *De fide orthodoxa*, III, 24 (MPG, CXIV, 1090).

(6) De vita contemplativa vide *Sum. theol.*, II-II, q. 180, a. ss. et lege ILL. AC REV. WAFFELAERT, *De recta notione et indole propria divinæ contemplationis*, apud *Collat. Brugen.*, XXII (1922), p. 177 s. coll. t. XXIV, p. 441 s. et pluribus art. apud idem period. t. XVI (1911) de praxi unionis contemplativæ, necnon de legendis operibus scriptorum contemplativorum, in t. XVII et XVIII.

unitus, et secundum esse personale, et secundum contemplationem beatam. Alio modo dicitur motus, qui est actus perfecti, id est, existentis in actu, sicut intelligere et sentire dicuntur quidam motus, et hoc modo intellectus Christi semper ascendit in Deum, quia semper contemplatur ipsum ut supra se existentem » (1).

2/ Ad explicationem muneris Christi sacerdotalis plura pertinent. Quædam in ipso tractatu de Deo redemptore latius plerumque evolvuntur ; alia quædam ad alios tractatus demandantur, præsertim ad tractatus de sacramentis et speciatim ad tractatum de ss. Eucharistia et missæ sacrificio, vel etiam ad tractatum de Ecclesia theologicum, ubi de continuatione dicitur muneris Christi sacerdotalis per ministros novæ legis. Ecclesia est enim corpus Christi mysticum sub capite Christo, uti in tractatu de Verbo incarnato jam proponitur (2); qui ad hoc corpus pertinent, inserti in Christo sicut palmites in vite (3) vivere debent vitam gratiæ, quam Christus continuatim in eos influit (4).

Nunc autem, secundum tritam divisionem desumptam a s. Thoma, qui passionem Christi in cruce docet causasse nostram salutem per modum sacrificii, satisfactionis, meriti necnon redemptionis (5), generatim in tractatu de Deo redemptore, distinctis capitibus vel articulis, latius explicantur primo quæ spectant ipsum sacrificium in

---

(1) *Sum. theol.*, III, q. 21, a. 1, ad 3.

(2) De gratia Christi capitis vide VANDER MERSCH, apud *Collat. Brugen.*, XIV (1909), p. 225 s., additis quæ de triplici gratia Christi, videlicet unionis, capitis et singulari, diximus *ibid.*, XXI (1921) p. 286 s.

(3) Cfr *Jo.*, xv, 1-5 coll. *I Cor.*, xii, 12 s., ubi de corpore Christi mystico agit Apostolus ; vide etiam *Gal.*, iii, 27 s. ; *Ephes.*, i, 22 s., iv, 15 s. et *Coloss.*, ii, 18 s.

(4) In tractatu de Verbo incarnato, ubi de potentia Christi dicitur, hæc penitius explicantur ; *Deus* scil. est *causa efficiens principalis* omnis gratiæ, *Christus* vero non tantum *causa meritoria* sed et *causa efficiens instrumentalis*, per humanitatem tanquam instrumentum divinitati conjunctum ; cfr *Sum. theol.*, III, q. 13, a. 2, s. coll. q. 62, a. 2, c.

(5) *Sum. theol.*, III, q. 48, a. 1 s.

cruce oblatum, potissimum quomodo fuerit verum sacrificium, in quo Christus fuit simul et hostia et sacerdos ; exponitur deinde quomodo rite concipienda sit satisfactio vicaria Christi, necnon meritum per sacrificium crucis acquisitum, quod est meritum stricte dictum, seu de condigno, superabundans et universale, sed singulis applicandum, maxime per sacrificium incruentum et sacramenta (1) : denique proponitur quomodo redemptionem ipsam rite intelligamus oporteat, quænam scilicet sit libertas restituta, quodnam pretium solutum et cuinam.

Hisce igitur omissis, hæc addidisse sufficiat, quæ munus Christi sacerdotis magis generali ratione consideratum spectant.

Christus sacerdos præsertim dicitur cum respectu ad sacrificium cruentum quod in ara crucis obtulit : hoc sacrificium cruentum semper præ oculis habet Apostolus scribens ad Hebræos, et quamvis certo noverit sacricium altaris ad quod indubie alludit in fine epistolæ suæ (2), ac declarare intendat Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui panem et vinum obtulit (3), nunquam tamen illud sacrificium crucis explicat in connexione cum cœna eucharistica, quæ sacrificium cruentum repræsentat ejusque meritum jugiter applicat (4).

---

(1) Cfr *Summa contra gentiles*, IV, c. 55, circa finem.

(2) *Hebr.*, XIII, 10 coll. dissertatione nostra *De essentia ss Missæ sacrificii*, Lovanii, 1919, p. 227 s. vel PRAT, *La théologie de s. Paul*, I, p. 450, Paris, 1920⁹.

(3) *Gen.*, XIV, 18 s. et observa nihil dici in litteris sacris de modo quo hoc sacrificium oblatum fuerit.

(4) M. DE LA TAILLE, *Mysterium fidei*, Romæ, 1921, censet Christum in cœna semetipsum sacerdotaliter obtulisse immolandum in cruce, adeo ut mors Christi in ara crucis simul cum oblatione rituali, quæ obtinuit in cœna, coalesceret in unum numero sacrificium. « Cœna igitur, ait (Elucid. IX, § 6, sect. 1, p. 101), et crux inter se complent. In cœna inceptum est sacrificium illud quod in cruce erat consummandum » ; eadem ratione postea missæ sacrificium explicare satagit. Omissis nunc aliis considerationibus, nemo sane non videt difficul-

Advertamus insuper non dari *sacrificium in cœlis* obla-

---

tatem facere epistolam ad Hebræos, quam nihilominus cl. auctor potius in argumentum affert (Elucid. v, § 3, sect. 1, p. 67 s.), quoniam « parum dubium videtur quin principalis quædam (licet justas ob causas reticenda, *Hebr.*, v, 11-14) præsupponatur et veluti substernatur [similitudo inter Melchisedech et Jesum], qualis est ab universa Patrum traditione intellecta atque prædicata, a concilio etiam tridentino solemniter declarata : similitudo inquam ritus (in pane et vino...), ratione cujus potissimum dicatur Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech » (p. 67). Adverte porro Patres et Tridentinum reperire hanc similitudinem inter sacrificium Melchisedech et sacrificium eucharisticum, et insuper, prætermissis nunc testimoniis Patrum, concilium luculenter distinguere sacrificium crucis et sacrificium cœnæ et missæ, prius peractum cum cruenta immolatione, alterum cum incruenta immolatione, uti apertis verbis dicit (sess. XXIII, in doctrina de sacrificio missæ, cap. 1 et 2 apud *Enchir.*, n. 938 s. vel *Thesaur.*, n. 1087 s.). Ipsum concilium addit quomodo sit unum sacrificium sub nova lege, consummans quotquot sunt sanctificandi, ut dicitur *Hebr.*, x, 14, quia nimirum « una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa » (cap. 2 et cfr dissert. *De essentia ss. Missæ sacrificii*, p. 508s ., Lovanii, 1919. *Ibidem*, p. 415 s. explicamus quomodo celebratio cœnæ euch. sit *verum* sacrificium, et quidem *intrinsece commemorativum et repræsentativum* sacrificii cruenti (p. 496 s.), cujus etiam meritum continuatim applicat ; cfr adhuc ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Scholion de essentia Missæ sacrificii*," apud *Collat. Brugen.*, XII (1907), p. 733 s. et L. BILLOT, *De Ecclesiæ sacramentis*, I, in proleg. ad tract. de sacrificio missæ, n. 4, Romæ, 1924[6]). Ut autem ad textum redeamus Apostoli, præsertim si vera esset sententia cl. auctoris, nullatenus intelligeretur cur eam similitudinem *principalem*, ratione cujus *potissimum* Christus diceretur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Apostolus taceret eamque solummodo haberet præsuppositam et substratam. Revera, *Hebr.*, v, 11-14, nihil aliud dicitur quam hoc : consummatio nequibat obtinere per sacerdotium leviticum, ideoque exsurgit sacerdos, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, oriundus de tribu Juda ; statim vero, dum insistit in ordine Melchisedech (v. 15 s.), auctor sacer provocat non ad similitudinem ritus, sed ad similitudinem « secundum virtutem vitæ indissolubilis » (v. 16). Magis objective scribit PRAT, *o. c.*, I, p. 450 : « Petau et Bellarmin ont recueilli les textes des Pères qui voient dans le pain et vin offerts par Melchisédec un type de l'Eucharistie. L'auteur de l'épître ne pouvait guère s'arrêter à cette signification typique sans compromettre sa thèse et énerver son raisonnement. Il est probable qu'il fait allusion à l'Eucharistie quand il dit : « Nous avons un autel dont ceux-là n'ont pas le droit de manger, qui restent au service du tabernacle » ; mais, tout occupé qu'il est à démontrer

tum, quod alibi latius demonstravimus (1), et plerique exegetæ necnon theologi profitentur, qui hoc sacrificio cœlesti non indigent ad missæ sacrificium explicandum (2).

Ex præmissis sat superque constat præterea quam *excellens* sit sacerdotium Christi, etiam *absolute* consideratum, et primo quidem *ex origine* ipsius : oritur non ex impresso, per ritum externum, in animam Christi caractere creato, sed ex ipsa unione hypostatica, qua per divinitatem humanitas Christi quasi substantiali unctione consecratur, ut jam audivimus a Gregorio nazianzeno (3); secundo, *ex dignitate hostiæ*, quæ est ipsamet sanctissima Christi humanitas ; tertio, *ex effectibus*, quia operatur omnia salutis beneficia, quæ inde a lapsu primi hominis unquam fuerunt generi humana collata aut conferentur.

---

que le Christ consomme à jamais les élus par un seul sacrifice, que l'offrande pour le péché devient inutile dès que le péché est surabondamment expié, que l'insuffisance des anciens sacrifices ressort justement de leur répétition, il ne pouvait mettre en relief l'oblation qui se répète et la victime qui s'immole périodiquement sur l'autel. Autrement il aurait dû expliquer comment le sacrifice eucharistique reproduit et commémore, sans le multiplier, le sacrifice sanglant du calvaire » ; lege etiam L. Delporte, *Les principes de la typologie biblique et les éléments figuratifs du sacrifice de l'expiation*, apud period. *Ephem. theol. lovan.*, III (1926), p. 307 s., Brugis, 1926.

(1) Cfr *De essentia ss. Missæ sacrificii*, p. 221 s.; lege etiam S. Rosadini, *De Christi sacerdotio in epist. ad Hebræos*, apud period. *Gregorianum*, II (1921), p 285 s., qui concludit p. 289 : « Non itaque invenitur in cp. ad Hebræos doctrina de crucis aut alio quovis sacrificio in cœlis a Christo quocumque modo oblato aut consummato » ; assentit quoque Prat, *o. c.*, I, p. 456.

(2) Hæc theoria de sacrificio cœlesti legitur jam apud P. de Condren, *L'idée du sacerdoce et du sacrifice de Jésus-Christ*, p. 91 s., Paris, 1697 ; ita etiam Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. Bundes*, p. 217, Regensburg, 1870 ; Pell, *Jesu Opferhandlung in der Eucharistie*, p 24 s., Regensburg, 1912² ; M. Lepin, *L'idée du Sacrifice de la Messe*, p. 745 s. ; Paris, 1926 ; cfr adhuc M. de la Taille, *o c.*, Elucid. xii s., cap. v s., p. 131 s. (in 2 ed., 1924, lege p. 151. n. 1).

(3) S. Gregorius nazianz., *Oratio* xxx (theol. iv), 21 (MPG, XXXVI, 132).

Tandem consideratum *relative* ad sacerdotium leviticum, hoc multa ratione præcellit sacerdotium Christi, uti in textibus sacris supra citatis dilucide videre fas est (1).

In fine difficultatem hanc solvere juvat : donec erunt homines viventes in terra, sat facile intelligitur quomodo sacerdotium suum continuare possit Christus, per sacerdotes novæ legis, qui, in virtute et persona Christi, consecrant et offerunt (2), sed quomodo Christus dicatur sacerdos *in æternum* non ita clare apparet.

Sacerdotium Christi fore æternum *ratione personæ* adhuc facile percipitur ; difficultas vero provenit *ex officio sacerdotali*, quod, uti videtur, cum consummatione sæculi cessabit.

Difficultatem hoc modo dirimit s. Doctor communis : « Respondeo dicendum quod in officio sacerdotis duo possunt considerari : primo quidem ipsa *oblatio* sacrificii, secundo ipsa sacrificii *consummatio*, quæ quidem consistit in hoc quod illi pro quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur. Finis autem sacrificii, quod Christus obtulit, non fuerunt bona temporalia sed æterna, quæ per ejus mortem adipiscimur. Unde dicitur ad Hebræos quod Christus est assistens pontifex futurorum bonorum (3), ratione cujus Christi sacerdotium dicitur esse æternum » (4).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr Van Crombrugghe, *Tract. de Verbo incarnato*, p. 123 s., Gandæ, 1920².

(2) Hæc est præcipua, uti diximus, functio sacerdotalis, sed et sacramenta administrant sacerdotes, et etiam orant pro populo, nomine Ecclesiæ per Christum Dominum, in unione illius divinæ intentionis qua ipse in terris Deo laudes persolvit.

(3) *Hebr.*, IX, 12.

(4) *Sum. theol.*, III, q. 22, a. 5, c. coll. Prat, *o. c.*, I, p. 451 s. ; apud Pesch, *De Verbo incarn.*, n. 537, p. 261, Frib. Br., 1896, paucis contrahitur disputatio inter theologos, quæ, ut ait ipse, videtur potius lis de verbis.

III-IV.

De necessitate pœnitentiæ.

Q. — *Ostende a peccatore adulto, necessitate tum medii tum præcepti, eliciendos esse actus pœnitentiæ salutaris.*

R. — *Prænota.* 1/ Actus pœnitentiæ salutaris est detestatio et dolor de peccato commisso, ut est offensa Dei. Actus ille poni potest *vel* ex motivo specialis virtutis pœnitentiæ, *vel* ex motivo caritatis, spei, religionis aliusve virtutis generalis, cujus scilicet motivo formali omne peccatum opponitur (1).

2/ Agitur de peccatore qui reus est peccato *actuali* mortali, adeoque de peccatore adulto.

3/ Quæstio spectat *præsentem* Providentiæ ordinem. Rationes quibus necessitas pœnitentiæ probatur, non evidenter valent pro omni ordine possibili. Quare, quod attinet potentiam Dei absolutam, non evidenter repugnat ut peccatum mortale sine pœnitentia remittatur, dummodo omnis voluntarius affectus ad peccatum cessaverit.

4/ Concilium tridentinum definivit : « Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria » (2), sed non determinavit utrum necessitas prædicta sit necessitas *præcepti* an etiam *medii*.

I. *Probatur necessitas medii.*

Necessarium necessitate medii dicitur id quod positive conducit ad finem et, qua tale, necessarium est, ita ut, eo non adhibito, ad finem perveniri non possit, quantumvis prædictum medium inculpabiliter omitti contingat.

Jamvero : 1/ *Scriptura sacra* describit pœnitentiam tanquam positive conducentem ad justificationem, imo

---

(1) Vide supra, p. 282.
(2) Cfr *Enchir.*, n. 894.

quasi sit medium *unicum*, adeoque qua tale necessarium, ad justificationem peccatoris. Ita, apud *Ezech.*, XVIII, 20-32 : « Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... : vita vivet, et non morietur... Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?... Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas... Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite ».

Juxta *Ezech.*, XXXIII, 8-9, peccator qui pœnitentiam non egerit, damnabitur, et agitur uti videtur in hoc loco de peccatore qui posset aliquam *excusationem obtendere*, scilicet aliquam ignorantiam vel inadvertentiam. Atqui, uti diximus, proprium est necessario necessitate medii, quod ad salutem perveniri nequeat, *etiamsi* medium illud *inculpabiliter* neglegi contingat. Concludendum est itaque pœnitentiam esse necessariam, medii necessitate. En textum : « Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris : non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem, autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua : ipse in iniquitate sua morietur : porro tu animam tuam liberasti ».

Apud *Luc.*, XIII, 3 monet Dominus peccatores : « nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis ». In hoc loco, simul ac pœnas temporales, minatur Christus peccatoribus æternam damnationem.

2/ *Ex ratione theologica*, probatur necessitas medii hoc modo : Deus in præsenti Providentiæ ordine, nullum adultum justificat *nisi* cum divina gratia ipse *cooperetur :* creavit nos Deus sine nobis, ast non salvabit nos sine nostra cooperatione. Jamvero, *cooperatio* quam peccator in ordine ad suam justificationem cum auxilio gratiæ præstare potest, *non est alia quam pœnitentia :* qua auxiliante gratia, avertit voluntatem suam a bono commutabili ut eam ad Deum convertat.

S. Thomas hujus necessitatis radicem quærit in perfectione divinæ misericordiæ : Remittimus alicui offensam eum non jam repellendo a gratia nostra. Porro « hoc interest inter gratiam Dei et gratiam hominis, quod gratia hominis non causat, sed præsupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato : sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato ». Dei itaque misericordia majoris virtutis est quam misericordia hominis, quia immutat voluntatem peccatoris ad pœnitentiam, quod misericordia hominis facere non potest. « Unde potest contingere, quod homo remittat offensam, qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis ejus : non autem contingere potest, quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile ; unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, et proposito emendæ ; quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundum quod est virtus » (1).

Nota. Actus pœnitentiæ formalis ita necessarius est ad salutem ut tamen suppleri possit actu pœnitentiæ virtualis, qui scilicet non est formaliter detestatio et dolor de peccato commisso, sed nihilominus talis est ut, si occurreret memoria peccati commissi, efficaciter induceret peccatorem ad formaliter detestandum illud.

Constat enim cum actu perfectæ caritatis, qui est actus pœnitentiæ virtualis tantum, semper conjunctam esse divinam amicitiam. Porro, sicut contritio perfecta justificat, non tamen sine voto sacramenti, a quo voto habet ut formaliter suppleat ipsum sacramentum in re susceptum, sic etiam virtualis pœnitentia supplet pœnitentiam

(1) *Sum. theol.*, III, q. 86, a. 2, c.

formalem propter votum ejus, quod implicite continet. Potest itaque dici pœnitentiam formalem necessariam esse necessitate medii, in *re* vel in *voto*. Contritio perfecta est pœnitentia formalis in re; charitas perfecta est pœnitentia formalis in voto : peccator enim qui Deum amat charitate perfecta, secundum dispositionem voluntatis suæ, implicite odit omne peccatum mortale a se commissum.

Porro, uti ostendimus in præcedenti responso, sicuti datur actus virtualis contritionis perfectæ, sic quoque datur actus virtualis contritionis imperfectæ (1).

II. *Probatur necessitas præcepti.*

Præter textus scripturisticos supra citatos, quibus luculenter apparet voluntatem Dei esse ut homo pœnitentiam agat, probatur quoque necessitas præcepti ex ipsa necessitate medii. Lex enim naturalis obligat ut omnia media adhibeamus quæ necessaria sunt ad justificationem nostram. Obligantur itaque peccatores adulti præcepto pœnitentiæ.

Ceterum, sicut dominus a servo qui eum offendit, aut pater a filio suo exigit in ordine ad condonationem, sinceram offensæ detestationem, sic recta ratio suadet Deum, dominum et patrem, similem detestationem offensæ requirere ex parte peccatoris.

Quod attinet *tempus* quo præceptum adimplendum sit, hæc pauca adverte :

1/ Præceptum, per se et ratione sui, non ita urget ut peccator quamprimum pœnitere debeat.

Sane, non potest aliquis servare affectum ad peccatum, neque potest sibi complacere in statu peccati, neque potest permanere in peccato cum proposito non pœnitendi (quod esset peccatum impœnitentiæ), sed potest sine peccato impœnitentiæ per aliquod tempus *differre* reparationem divinæ offensæ, non tenetur statim positive

(1) Vide supra, p. 364.

detestari peccatum. Ratio est quia injuria per peccatum Deo illata non infert Ipsi aliquod *nocumentum* jugiter *perseverans*, non causat *continuo* damnum : aliis verbis, dilatio debitæ reparationis peccati non æquivalet *continuæ* læsioni juris Dei ad honorem, dummodo cessaverit omnis voluntarius affectus ad peccatum.

2/ Porro, adimpletio præcepti urgere incipit *post aliquod temporis spatium*. Attamen, tempus ultra quod absque violatione præcepti pœnitentia differri non possit, non fuit a Deo determinatum. Habemus autem aliquam *regulam practicam* ex præcepto ecclesiastico annuæ confessionis. Nimirum, æstimare possumus dilationem pœnitentiæ esse sine peccato, si intra limites temporis statuti ad implendum præceptum ecclesiasticum confessionis, vere attriti confitemur, vel, si confessio impossibilis est, actum perfectæ contritionis elicimus.

3/ *In periculo mortis*, urget præceptum statim adimplendum, quia post hanc vitam non relinquitur spatium pœnitentiæ, adeoque voluntas Dei est ut peccator in discrimine vitæ constitutus, pœnitentiam non differat.

Ceterum, quia pœnitentia est etiam necessaria necessitate medii, patet peccatorem in periculo mortis eam neglegere non posse.

4/ Qui proposito deliberato *differret* pœnitentiam *usque ad mortem*, non tantum violaret præceptum ob rationem sub 2/ allatam, sed peccaret quoque propter periculum impœnitentiæ finalis, cui patente Scriptura sacra se exponeret. Magnum quoque detrimentum animæ suæ causaret remanendo per totum illud tempus in statu peccati mortalis et necessario violaret plura præcepta quæ sine pœnitentia, saltem virtuali, adimplere non posset.

V. Coucke.

V.

Het Monophysisme.

V. *Welke omstandigheden gaven aanleiding tot het Monophysisme? Welke waren de eerste vertegenwoordigers van deze dwaalleer vóór hare veroordeeling?*

A. — De overeenkomst, die door het *Symbolum unionis*, in 433, tusschen Cyrillus van Alexandrië en Joannes van Antiochië tot stand was gekomen, had iedereen niet bevredigd (1). Niet alleen vond Nestorius nog aanhangers, maar ook langs de zijde van den h. Cyrillus waren enkele mistevredenen. Sommige bisschoppen vonden dat de patriark van Alexandrië zich had laten bedriegen door verkapte nestorianen en met de aangenomen formule, niettegenstaande den verstrekten uitleg, de eenheid in Christus had prijsgegeven. Zoolang echter Cyrillus leefde, gelukte hij er nog in alle openlijk verzet tegen te houden; doch toen hij in 444 overleden was en op den patriarkalen stoel van Alexandrië vervangen door den geweldigen en heerschzuchtigen Dioscorus, werden de vroegere vrienden van Nestorius opnieuw openlijk lastig gevallen, vooral Theodoretus van Cyrus.

Dit was slechts een voorspel van een nieuwe crisis, die losbrak met Eutyches. Deze laatste was archimandriet van een der vele kloosters, die in de omgeving van Constantinopel bestonden; vroeger had hij als vriend van h. Cyrillus geweldig geijverd tegen het nestorianisme; maar, even kortzichtig als hardnekkig, had hij niets begrepen aan de opheldering en die van wege de twee verschillende richtingen, die van Antiochië en die van Alexandrië, betreffende het mysterie der menschwording waren gegeven geweest. Daar hij, dank zij den eunu-

(1) Zie hooger, bl. 343-346; de daar aangehaalde werken werden hier weerom benuttigd, vooral Tixeront, *o. c.*, p. 80 ss. en Jugie, *Eutyches* in *Dict. Théol. Cath.*

chus Chrysapius, die zijn doopkind was, goed stond bij het keizerlijke hof was een eerste vermaning door bisschop Domnus van Antiochië gegeven, zonder gevolg gebleven ; hij ijverde voort voor de « ééne natuur in Christus » en zocht partijgangers in de kloosters van het Oosten, tot dat hij eindelijk door Eusebius van Dorylea aangeklaagd werd bij den patriark van Constantinopel.

Flavianus van Constantinopel wees eerst het onderzoek van de hand, doch in november 448 beriep hij Eutyches op de gewone vergadering der bisschoppen van zijn patriarkaat. Eutyches echter weigerde eerst te verschijnen en verklaarde zich te houden aan de conciliën en maar één natuur in Christus, na de menschwording, te kunnen aanbidden, « de ééne natuur van God vleeschgeworden » (1). Na eene derde maal gedagvaardigd te zijn, verscheen hij eindelijk, op 22 november ; een streng onderzoek werd thans nopens zijne leer ingesteld. Het bleek echter niet heel klaar wat Eutyches eigenlijk leerde : hij kende eenige formules, katholieke en andere, maar schijnt er de volle draagwijdte niet van gevat te hebben. In elk geval weigerde hij het anathema uit te spreken over de volgende leerstukken (die hem werden toegeschreven) : « Jesus Christus is niet van dezelfde zelfstandigheid (homoousios) als wij ; na de vereeniging is er maar één natuur en niet twee ». Daarop werd Eutyches als een godslasteraar geëxcommuniceerd door Flavianus en de twee en dertig aanwezige bisschoppen (2).

Voor zooveel nu men het heeft kunnen nagaan in de brieven van Eutyches zelf en in de geschriften zijner tegenstrevers (3), was de ongelukkige monnik monophysiet, niet alleen in woorden, maar in werkelijkheid : volgens

---

(1) Deze formule was inderdaad door de h. Cyrillus gebruikt, die op zijne beurt dacht dat ze van den h. Athanasius kwam. Ze was echter van Apollinaris. Zie *Collat. Brugen.*, t. XXVI, p. 412.

(2) Tixeront, *o. c.*, p. 82 s. ; Janssens, *Het menschgeworden Woord*, bl. 120.

(3) Vooral in de *Eranistes*, dialogen tusschen een katholiek en een monophysiet, die *Theodoretus van Cyr* in 447 uitgaf.

hem was als een gevolg der menschwording ééne zelfstandigheid, ééne natuur ontstaan uit de Godheid en de menschheid van Christus. Hoe die ééne natuur ontstaan was door versmelting, door verandering (conversio), door opslorping of samenstelling, durfde Eutyches niet uit te wijzen, alhoewel hij de voorkeur scheen te geven aan de opslorping (absorptio). Hij schijnt ook, naar het voorbeeld van sommige origenisten het voorbestaan van de menschelijke ziel van Christus aangenomen te hebben. Er was, volgens hem, geen tegenstrijdigheid tusschen die twee stellingen : « het Woord is vleesch geworden » en « de natuur van het vleesch is na de vereeniging niet meer voor handen », daar de natuur van het vleesch door de vereeniging met de Godheid vergoddelijkt is en in een ander wezenheid is overgegaan. Het lichaam van Christus was aldus niet het lichaam van een mensch, maar enkel een menschelijk lichaam, menschelijk alleen naar de uiterlijke gedaante. Zoo verviel Eutyches, zonder het te willen bekennen, in het docetisme en vernietigde hij de menschwording en de ware verlossing (1).

Het moet nu gezegd dat benevens dit streng monophysisme dat weinig aanhangers vond, er een ander bestond, dat moeilijker uitgeroeid werd, en naar Severus, afgescheiden bisschop van Antiochië in 512, het *severiaansch monophysisme* genoemd wordt, alhoewel het reeds vroeger, namelijk door Dioscorus van Alexandrië en Timotheus Ælurus verdedigd werd (2). Het severiaansch monophysisme is, wat de christologie betreft, van de katholieke leer enkel door het spraakgebruik afgescheiden. De severianen willen getrouw blijven, zoo beweren

---

(1) Hergenröther-Kirch, *Handbuch der Algemeinen Kirchengeschichte*, t. I, bl. 561. Het blijft echter twijfelachtig of Eutyches zelf dat alles geleerd heeft ; wel echter vindt men dergelijke uitlatingen bij zijne volgelingen.

(2) Zie daarover het meesterlijk werk van J. Lebon, *Le monophysisme sévérien*, Louvain, 1909, dat een nieuw licht geworpen heeft over deze ingewikkelde periode der geschiedenis van de kerkelijke leer.

ze, aan de leer van Cyrillus van Alexandrië, en gebruiken het woord *natuur* (φύσις) uitsluitelijk in den zin van hypostase, persoon (als synoniem van ὑπόστασις en πρόσωπον). Duidelijk blijkt uit de geschriften der severianen dat ze wel de twee naturen in Christus onderscheiden en volstrekt gekant blijven tegen elke versmelting of verandering, zooals Eutyches en enkele zijner navolgelingen aanvaard hadden ; ze wilden echter niet medegaan met de duidelijke verklaringen van paus Leo en het concilie van Chalcedonië, waarover in onze volgende verhandeling. Ze bleven vrede zoeken in allerlei verzoeningsformules waarin het geloof vertroebeld werd en die aanleiding gaven tot nieuwe verwikkelingen (1).

R. Deschepper.

VI.

De loco confessionis excipiendæ.

Q. *In quonam loco confessiones excipere licet ?*

R. — Quæ hodie de hac materia habet nova editio Ritualis Romani. III, 1, 7-9, verbotenus desumuntur ex Juris Canonici Codicis can. 908-910.

C. 908. Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum.

C. 909, § 1. Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato.

§ 2. Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter pœnitentem et confessarium sit instructa.

C. 910, § 1. Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave veræ necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas judicaverit.

§ 2. Confessiones virorum etiam in ædibus privatis excipere licet.

---

(1) Zie deze verdere verwikkelingen, die aanleiding gaven tot de V^e^ en VIe algemeene kerkvergadering bij Albers, t. I, bl. 221 v.

A. Regula igitur est ut confessiones excipiantur 1) in *ecclesia* aut oratorio saltem semi-publico (c. 908) — quo nomine stricte non venit sacristia aut aula ecclesiæ contigua — 2) et quidem in *sede confessionali* (can. 909, § 1).

Hac regula non videtur prohiberi quominus sedes ita ponatur, puta in conventu claustratarum, ut confessarius sedeat in ecclesia et pœnitens genuflectat in sacristia aut loco adjacenti, vel vice versa.

B. Exceptiones ad hanc regulam non adeo difficile admittuntur.

I. *Pro viris* sufficit ratio levissima ut audiri possint extra confessionalem, imo extra ecclesiam, « etiam in ædibus privatis » (can. 910, § 2).

II. *Ad feminas* autem quod attinet :

1) *Sedes confessionalis* interdum justam ob causam, v. g. in monasteriis monialium strictæ clausuræ obnoxiis, alibi poni potest, sed « semper in loco patenti et conspicuo » (c. 909, § 1). Standum est definitioni Ordinarii (c. 919, § 1). Et in hoc casu petunt Concilium Mechliniense (decr. n. 166) et Statuta Brugensia (n. 82) ut « cum primum fieri possit, a Visitatore diœcesano approbetur ».

Merito præscribitur in pluribus synodis, sicut in Pastorali Brugensi antiquo : « si tenebræ sint, *lumen* apponatur » (1).

2) Ut autem mulierum etiam religiosarum confessio excipi possit *extra confessionale*, requiritur causa gravis quæ nunc determinatur in codice « causa infirmitatis aliave veræ necessitatis ».

Infirmitas intelligitur talis quæ pœnitentem ab accessu ad sedem confessionalem impediat, quia v. g. ecclesiam adire non potest, aut genuflectere in confessionali non valet, aut surditas præ qua confiteri non valet quin ab aliis audiatur.

Præter causam infirmitatis debet esse ratio *veræ neces-*

---

(1) *De Sacramento Pœnitentiæ, De Ministro,* VI.

sitatis. Hæc autem videtur importare a) aliquam necessitatem confitendi ad recuperandum statum gratiæ et facultatem recipiendi s. communionem et b) aliquam impossibilitatem moralem accedendi ad sedem confessionalem, quia v. g. mulier religiosa in conventu timet ne apud alias sorores infametur.

Merito tamen addit R. a. D. Desmet : « Attamen singulari prudentia est opus et incaute agit sacerdos indiscriminatim morem gerendo mulieri pœnitenti, signanter religiosæ, confessionem extra ecclesiam peragere sollicitanti sub prætextu infamiæ incurrendæ apud alias sorores vel indignationis penes directorem sui conventus, eo vel magis quod his ultimis annis in gratiam monialium, libertati confessionis efficacius fuerit provisum » (1).

Ad excipiendas mulierum confessiones extra sedem confessionalem servari debent « *cautelæ quas Ordinarius opportunas judicaverit* ».

Olim Pastorale Brugense habebat sequentia : « Cum autem conspicuus ecclesiæ locus dici non possit sacristia, confessariis prohibemus sub pœna revocationis facultatum sibi concessarum, ne mulierum confessiones excipiant in sacristia aut alio ecclesiæ loco secreto, nisi pœnitens præ morbo aut alia gravi ratione in confessionali se sistere non valeat ; vel nisi tali surditate laboret, ut confiteri non possit, quin ab aliis audiatur ».

Sed hæc pœna quæ erat ferendæ sententiæ et quæ non extendebatur ad confessionem extra ecclesiam, jam non existit, quum antiquum Pastorale Brugense jure obligandi

---

(1) *Collat. Brugen.*, VI, p. 679. Ubi agitur de religiosa et de confessario non specialiter pro religiosis approbato, ratio est habenda canonis 522, qui, juxta Commissionem ad interpretandos Codicis canones, 24 nov. 1920 « ita est intelligendus ut confessiones, quas ad suæ conscientiæ tranquillitatem religiosæ peragunt apud confessarium pro mulieribus [non vero pro religiosis] approbato, licitæ et validæ sint, *dummodo fiant in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico, aut in loco ad audiendas confessiones mulierum legitime destinato* ». Quodsi hæc conditio non servetur, multi auctores censent confessionem non solum illicitam sed et invalidam. Cfr commentatores hujus canonis ; A. De Meester, *Juris canon. compendium*, edit. 1923, t. II, n. 969.

careat et eadem dispositio in novis Statutis non sit reassumpta.

Aliunde habent nova Statuta (n. 118) : « Mulierum confessiones excipi non possunt in domibus privatis, nec etiam in sacristia, nisi ex necessitate ; imo neque hic extra confessionale rite cancellatum. Ideo sedes confessionalis conveniens servetur pro surdis et aliis personis quæ in ecclesia loco consueto confiteri non valent ». De religiosis aiunt Statuta nostra (n. 82) juxta decretum n. 167 concilii Mechliniensis : « Neque extra sedem confessionalem directionem spiritualem seu conscientiæ moderationem confessarii, sive sæculares sive religiosi, in domibus religiosarum, nisi ob speciales rationes et quidem raro exerceant ».

De sede confessionali nihil aliud est positive præscriptum quam quod debet esse instructa « crate fixa ac tenuiter perforata inter pœnitentem et confessarium » (c. 909, § 2).

Olim erat simplex sedes in qua sedebat confessarius coram (1) quo vel ad cujus latus genuflexus erat pœnitens. Sedes illa mobilis sæpe posita erat in choro. Quando autem cœpit chorus a sacellis contiguis vel a navi ecclesiæ separari cancellis, sæpe ex ferreis laminis confectis, collocari solebat sedes juxta hos cancellos ita ut sacerdos in choro sederet dum pœnitens ex alia cancellorum parte genuflecteret. Ubi similiter cancellis clausa erant sacella aut circumdata altaria, ibi etiam ponebatur sedes confessionalis ita ut cancelli seu crates essent inter confessarium et pœnitentem. Quando autem sæc. XVI confessionale acquisivit suam formam hodiernam, permansit universim crates seu fenestella perforata, prout in Rituali et pluribus synodis præscribebatur.

Suadent Acta prosynodalia a. 1897 ut « hujusmodi

---

(1) Usus ille in nonnullis locis permansit etiam inducta forma hodierna confessionalis. Ideo in nonnullis statutis, sicut in Pastorali Brugensi l. c., n. VI, prohibetur expresse mulierum confessiones excipere « *a parte anteriori confessionalis* ».

crates a parte anteriori obducatur textili metallico vulgo « *jalousie métallique* » (1).

De *forma* confessionalis multa practice animadverti possent, quæ apud auctores invenire est (2). Præcipuum tamen est ut ita conformentur confessionalia ut plene respondeant fini suo, ut nempe pœnitens commode genuflectere et brachia tabellæ ad debitam altitudinem positæ imponere possit et cratem habeat ad altitudinem oris sui ; ut aliunde confessarius, qui interdum per horas continuas inibi sedere debet, commode possit pedes extendere, et ut conveniens sit altitudo et latitudo ipsius sedis et sustentaculorum quibus brachia innituntur (3).

Ideo antequam conficiantur nova confessionalia, curet *parochus* ut confratres audiat, alias sedes confessionales examinet et mensuret (4) et non relinquat hanc curam practicam architectæ vel constructori, qui de his minimis (!) parum sollicitus esse solet.

C. Callewaert.

---

(1) Apud *Collat. Brugen.*, t. II (1897), p. 431.

(2) S. Carolus Borromæus in *Instructionibus fabricæ ecclesiasticæ*, cap. xxiii (ed. E. Van Drival, Paris, 1855, p. 111-118) multa habet hac de re. Cfr X. Barbier de Montault, *Traité pratique de la construction des églises*, t. I, chap. xx ; G. Malherbe, *Le mobilier liturgique d'une église paroissiale*, chap. vi. Optimas animadversiones habet J. Gerhardy, *Praktische Ratschläge über kirchliche Gebäude.* Paderborn, 1913, § 29.

(3) Plures suadent ut hæc mobilia sint ut elevari aut deprimi possint.

(4) Mensuras invenies in citato opere J. Gerhardy.

Doctrina Christi de regimine bonorum temporalium.

I. — **Status quæstionis.**

Nulla forsan mota est inter homines quæstio vitalis quin solutio quæreretur in evangelio ; ibi enim reconduntur sublimia effata Illius, quem nos Deum et hominem profitemur, et quem ipsi increduli majorem inter natos mulierum proclamare coguntur. Quæstionem socialem in specie quod attinet, cum profundum influxum christianismi in hoc campo historia indubia testetur, libenter invocata est auctoritas Salvatoris, in varios autem sensus a diversis scholis. Liceat nobis, expositis prius sententiis præcipuis, colligere et brevi schemate exponere præcipua Jesu documenta de fundamentali quadam quæstione œconomico-sociali, np. de jure et de officiis dominii privati, simul attendentes ad Jesu doctrinam de valore divitiarum in ordine ad salutem animæ.

Socialistæ quidam et communistæ Jesu doctrinam dicunt systema œconomicum sub specie religiosæ instructionis larvatæ et obscuratæ (1) ; detegunt in evangelio acerbas invectiones in proprietatem privatam et in divitias, imo, ut dicit Kautzky (2), prædicationem luctæ pauperum adversus divites. Œconomista E. De Laveleye in orationibus evangelii agnoscit « un fonds de socialisme « (3). Talem interpretationem textuum esse ineptam

---

(1) K. Kautzky, *Der Ursprung des Christentums*, Stuttgart, 1909, p. 341 s.

(2) *Ibid.*, p. 343.

(3) *Le socialisme contemporain*, Paris, 1891, p. xvii.

luce est clarius ; Jesus enim semper et sincere suam missionem habuit ut religiosam.

Scriptores catholici tenent Jesum censuisse possessionem etiam magnarum divitiarum de se non offendere genuinis relationibus Deum inter et homines nec saluti æternæ, dummodo temperetur largitione eleemosynæ ; addunt Jesum ut consilium paupertatem voluntariam proposuisse ; imo plerique (1) contendunt Jesum, tum suo modo agendi, tum explicita sua doctrina, legitimitatem regiminis proprietatis privatæ agnovisse. Hoc ultimum alii (2) negant cum hæc quæstio recens tempore Christi non exstiterit nec ad eam Jesus respectum habere potuerit.

Protestantes et critici liberales tenent Jesum, cum unice curaret de immediata habitudine animæ ad Deum, necessitates societatis civilis et œconomicæ adeoque et ethicam proprie socialem ignorasse. Inter hos alii, magis conservativi (3), autumant Jesum officia mutua hominum, qua sunt sociales, non præcise exclusisse sed ea solummodo insinuasse brevi effato : « redde Cæsari quæ sunt Cæsaris ». Alii, liberiores (4), fatentur Jesu ethicam fuisse hyperreligiosam indeque mancam ita ut, in praxim ad

---

(1) Ita v. g. M.-B. Schwalm, v° *Communisme* apud Vacant-Mangenot, *Diction. de théol. cath.*, III, c. 576 ss. ; O. Schilling, *Reichtum und Eigentum in der altkirchlichen Literatur*, Freiburg, 1908, p. 4 ss., P. Dausch, *Christus in der modernen sozialen Bewegung*, Münster, 1921.

(2) Ita E. Baudin, *Le droit de propriété dans le Nouveau Testament*, apud period. *Revue du clergé français*, LV (1908) ; hic dicit : « Les droits de César et les droits des riches, sans exciter ni les colères, ni les tendresses de Jésus, lui sont apparus comme des conditions historiques à accepter avec toutes les autres conditions historiques où Dieu nous engage... Vus du Royaume tous les droits sont des faits, dont il convient de s'accommoder, sans les canoniser » (p. 134) ; « aussi sera-t-il toujours oiseux de demander à l'enseignement de Jésus une condamnation ou une consécration quelconque d'une forme quelconque de la propriété » (p. 136).

(3) Ita P. Feine, *Theologie des neuen Testaments*, ed. 4, Leipzig, 1922, p. 103.

(4) H. Holtzmann, *Lehrbuch der neutest. Theologie*, I, ed. 2, Tübingen, 1911, p. 233.

litteram deducta, omnem societatem humanam destruat ; hanc indolem Jesu prædicationis moralis interpretes eschatologistæ omnino consonare dicunt cum Jesu persuasione de instanti conflagratione universali et instauratione regni messianici ; de hac imminentia non dubitans, non potuit Christus nisi prædicare aliquod « Interimsethik, une morale de fin du monde » (1).

II. — **Prædicatio Christi.**

Ut rectam Jesu doctrinam statuamus, inspiciamus jam evangelia nostra canonica, in antecessum notando præprimis hic usuvenire evangelium Matthæi, cum plura effata moralia præbeat, et evangelium Lucæ, cum merito dicatur evangelium pauperum et humilium, Lucas enim est « scriba mansuetudinis Christi » (2). Primo perpendemus Jesu asserta ut dein vitam ejus consideremus.

Divitiæ sunt bona aliena a Deo curæ hominis concredita ; est enim homo, etiam quoad bona temporalia quæ possidet, œconomus Dei (3) et quo majora ei fuerunt concredita eo plura ab ipso requirentur (4) ; oportet homo bene utatur illo deposito alieno, secus Deus non poterit ei tribuere bona ipsi ut propria destinata, mercedem np. cælestem (5).

Quid autem valet hoc depositum ad salutem ? Censebant Pharisæi divitias esse indicium divini beneplaciti, egestatem autem, sicut et morbum, punitionem divinam vel ejus sequelam (6). De facto bonus status fortunæ requirebatur ut quis posset servare minutissima quæque

---

(1) A. Loisy, *Les évangiles synoptiques*, I, Paris, 1907, p. 545.

(2) Ita Dante Alighieri, *De monarchia*, I, 16 ; cfr. M.-J. Lagrange, *Evangile selon s. Luc*, Paris, 1921, p. xlv. A quibusdam vocatur « evangelium socialisticum », cfr C. Rogge, *Der irdische Besitz im neuen Testament*, Göttingen, 1897, p. 10.

(3) *Lc.*, xvi, 1-13.

(4) *Lc.*, xii, 48.

(5) *Lc.*, xvi, 12.

(6) Cfr *Jo.*, ix, 2-3.

præcepta « traditionum patrum » ; plebs traditionum ignara et præ egestate laboriosa a Pharisæis maledicta reputabatur (1) et cum despectu « *'am ha'ares*, plebs terræ » vocabatur ; non poterant enim hi plebæi vitare continuum commercium cum ethnicis et impuris nec otium habebant ad varias purificationes perficiendas ; tractatus Mischnæ *Pirqe aboth* servavit hoc effatum præclari Hillel : « nullus homo ignarus peccatum fugit, nullus e plebe terræ pius est » (2). Avide ad divitias plerique Pharisæi anhelabant et, calcatis sæpe sacratissimis legibus, rapinam exercebant (3) ; devorabant domos viduarum longam orationem pro eis promittentes (4) ; sub sacrilego prætextu Corban retinebant sibi bona quibus e pietatis officio egenis parentibus succurrere debuissent (5) ; eleemosynas certe tribuebant, sed cum ostentatione tuba canentes ante se (6), et gloria humana pasti, de suis eleemosynis coram Deo gloriabantur (7).

Huic perversæ doctrinæ et praxi opposuit Christus doctrinam suam : *divitiæ ad salutem non sunt necessariæ*. Pauper quidam squalidus, ut Lazarus mendicus, ab angelis portari potest in sinum Abrahæ (8), et duo minuta æra viduæ pauperculæ apud Deum majoris æstimantur quam splendida dona divitum (9). Homini qui rogabat : « Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem » Jesus opposuit assertum : « Non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet » (10), et quo

---

(1) Cfr *ibid.*, VII, 49.
(2) II, 5 ; cfr *Rogge, o. c.*, p. 35.
(3) A *Luca* vocantur φιλάργυροι, XVI, 14; cfr *Mt.*, XXIII, 25 ; *Lc.*, XI, 39.
(4) *Mc.*, XII, 40 ; *Lc.*, XX, 47.
(5) *Mt.*, XV, 4-6 ; *Mc.*, VII, 10-13.
(6) *Mt.*, VI, 2-4.
(7) *Lc.*, XVIII, 12.
(8) *Lc.*, XVI, 22.
(9) *Mc.*, XII, 41-44 ; *Lc.*, XXI, 1-4.
(10) Accuratius vertitur textus græcus a LAGRANGE, *o. c.*, p. 359 : « si quelqu'un est dans l'abondance, sa vie ne consiste pas dans ce qui lui appartient ».

melius hoc assertum intelligeretur, mentem suam Jesus aperuit in parabola divitis insensati : dives qui sibi thesaurizavit morte bonis suis privatur ; non refert ergo ad salutem ut quis præditus sit bonis terrenis, unice oportet ut sit « in Deum dives » (1), oportet ut thesaurizaverit thesauros indelebiles in cælo (2) ; « quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur » (3).

Potius quam ad salutem necessarias esse divitias, docet Jesus *bona terrestria pro salute animæ esse periculosa.* Loquitur Jesus de « fallacia divitiarum » (4) easque personificat sub nomine idoli punici, Mammonæ iniquitatis, cui homo non potest servire simul ac Deo (5) ; ad corda, quæ Mammonæ addicuntur, penetrare potest veritas sed, sicut semen in spinis seminatum, cito suffocatur et sine fructu efficitur (6).

Illecebras divitiarum respiciens exclamabat Jesus : « Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis : facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cælorum » ; stupentibus discipulis, Jesus statim addebat : « apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt » (7). *Dei itaque gratia divites salvari possunt, sed ad hoc requiritur ut modo a Deo statuto suis divitiis utantur.*

A divitibus Deus imprimis postulat, ut Jesus sæpius dixit, largitionem eleemosynarum, qua impletur mandatum novum dilectionis mutuæ ad mensuram dilectionis Jesu erga homines (8) ; in judicio universali declarabit Judex :

---

(1) *Lc.*, XII, 13-21.
(2) *Mt.*, VI, 20 ; *Lc.*, XII, 33.
(3) *Mt.*, XVI, 26 coll. *Mc.*, VIII, 36 ; *Lc.*, IX, 25.
(4) Juxta græcum est proprie : deceptio divitiarum, ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, *Mt.*, XIII, 22 ; *Mc.*, IV, 19.
(5) *Lc.*, XVI, 9 coll. 11-13 et *Mt.*, VI, 24.
(6) *Mt.*, XIII, 22 ; *Mc.*, IV, 19 ; *Lc.*, VIII, 14.
(7) *Mt.*, XIX, 23-26 ; *Mc.*, X, 23-27 ; *Lc.*, XVIII, 24-27.
(8) *Jo.*, XIII, 34.

« quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (1). Eleemosynis divites faciunt sibi amicos de Mammona iniquitatis (2).

Ulterius Jesus progreditur et prædicat voluntariam renuntiationem bonis hujus sæculi ; « vendite quæ possidetis » (3), « omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus » (4). Simile responsum contristavit juvenem divitem qui, omnia mandata adimplens, Jesum rogabat quid sibi deesset (5).

Nec ibi sistit Jesus, sed insuper a discipulis suis petit ut sinant conculcari et violari jura sua. Non debent resistere malo, sed si quis eos percusserit in dexteram maxillam, præbeant illi etiam sinistram et si quis vult cum eis judicio contendere ut tunicam tollat, dimittant ei etiam pallium (6) ; ubi hanc doctrinam Jesu refert, Lucas non de tribunali loquitur sed de furto et addit « qui aufert quæ tua sunt, ne repetas » (7) et « mutuum date, nihil inde sperantes » (8). Confidat perfectus discipulus in solum Deum, qui nutrit volucres cæli et vestit lilia agri : Ipse justitiam quærentibus necessaria vitæ adjiciet (9). Hæc præprimis valent de prædicatore evangelii, qui de nullis temporalibus curans, a fidelibus sustentationem accipere debet (10).

Ista præclara documenta Jesus contraxit in Beatitudines. Matthæus in sermone montano sensum spiritualem earum in lucem ponit (11), Lucas vero in quattuor

---

(1) *Mt.*, xxv, 40.
(2) *Lc.*, xvi, 9 coll. iii, 11.
(3) *Lc.*, xii, 33.
(4) *Lc.*, xiv, 35.
(5) *Mt*, xix, 16-22 ; *Mc.*, x, 17-22 ; *Lc.*, xviii, 18-23.
(6) *Mt.*, v, 39-40.
(7) *Lc.*, vi, 29-30.
(8) *Lc.*, vi, 34-35.
(9) *Mt.*, vi, 25-34 ; *Lc.*, xii, 22-31.
(10) *Mt.*, x, 9-10.
(11) *Mt.*, v, 3-12.

Beatitudinibus et quattuor sequentibus Væ sensum materialem magis intendit (1).

* * *

Nonne hæc doctrina est eversio ordinis socialis, ut dicit Loisy, « une révolution sociale » (2) ? Quomodo constabit sanus quidam ordo œconomicus si Christi fideles has doctrinas in praxim deducant ? Nonne confidentia cæca in Deum gignet pigritiam, nonne incuria divitiarum nocebit bono communi ? Nonne orietur plaga pauperismi bonum privatum et publicum pessumdans ? Hoc quidam contendunt, ut supra notavimus, et dicunt facta hæc comprobasse, np. penuriam maximam primæ communitatis christianæ in Jerusalem.

De hac egestate communitatis hierosolymitanæ hic non fit sermo ; quod autem Christi doctrinam attinet, eam ut omnibus temporibus aptatam, imo ut tutelam recti ordinis socialis vindicare possumus, introductis distinctionibus quibusdam, quæ sensum a Jesu intentum in his assertis manifestabunt.

Non pauper qua talis dignus est qui participet regnum messianicum ; non abrogat Jesus in favorem pauperum varia præcepta moralia, sed unice asserit eos liberiores esse ad servanda omnia mandata ita ut respectu mercedis cælestis de facto sint in potiori statu. Hoc bene illustratur parabola convivii nuptialis, ad quod invitati divites præ cura suorum bonorum accumbere nolebant, quinimo regem gravibus contumeliis afficiebant ; mandavit tunc rex ut servi irent ad exitus viarum et quoscumque invenirent vocarent ad nuptias ; inter hos autem unus advenerat non vestitus veste nuptiali et jussu regis ejicitur in tenebras exteriores (3).

Pauperes, quos Jesus beatos dicit, non sunt simpliciter egeni, sed sunt illi « ʿaniim, πτωχοί, pauperes » quibus

(1) *Lc.*, VI, 20-26.
(2) L. *c.*
(3) *Mt.*, XXII, 1-14.

prophetæ et psalmista excelsum quemdam locum in regno messianico prædixerant (1). In prima sua prædicatione, quam Lucas refert, sibi applicavit Jesus textum Isaïæ : « Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde... » (2) ; ut indicium adventus regni messianici Jesus discipulis Joannis dedit quod « pauperes evangelizantur » (3) ; de iisdem gavisa erat Maria exsultans : « deposuit potentes de sede et exaltavit humiles ; esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes » (4). Apposite dicit Lagrange : « Le πτωχός est l'homme d'une condition inférieure, sans fortune, souvent maltraité et humilié, qui s'est habitué à attendre tout son secours de Dieu. C'est le client de Dieu et de ses prophètes, celui qui a le plus à attendre du règne du Messie » (5).

In prima Beatitudine Matthæus dicit : « beati pauperes spiritu » (6), omnes respiciens qui vinculis bonorum temporalium non sunt retenti, sive pauperes sint sive divites. Revera *nec divites qua tales a regno excluduntur ;* expresse enim dixerat Jesus Deum operari posse salutem divitum et ad hoc eis præcepta specialia præfixerat. Illos qui spiritu pauperes sunt beatos dicit, illos vero damnat qui confidunt in pecuniis (7), qui thesaurizant sibi et non sunt in Deum divites (8), qui servi sunt Mammonæ et Jesu esurienti non dederunt manducare (9). Sed nonne debent divites omnibus suis bonis valedicere ; nonne debent omnem injustitiam ferre propter Deum ? In hunc sensum quidam Jesu prædicationem interpretantur, sed perperam

---

(1) Cfr A. Lemonnyer, *Le Messianisme des Béatitudes*, apud period., *Revue des sciences philosoph. et théolog.*, XI (1922), p. 373 ss.
(2) *Lc.*, iv, 18-19 ; *Is.*, lxi, 1-2.
(3) *Mt.*, xi, 5.
(4) *Lc.*, i, 52-53.
(5) *O. c.*, p. 187.
(6) *Mt.*, v, 2.
(7) *Mc.*, x, 24.
(8) *Lc.*, xii, 21.
(9) *Mt.*, xxv, 42-46.

confundentes præcepta et consilia (1) ; non ab omnibus enim Jesus totalem abnegationem postulat sed ab illis solum qui perfectius ejus discipuli fieri volunt. Hoc manifeste elucet e pericopa juvenis divitis ; ei dicit Jesus : « si vis ad vitam ingredi, serva mandata » (2) ; cum responderet se mandata servare sed se facere velle ultra id quod ad salutem sufficiat, addidit Jesus : « si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo : et veni, sequere me » (3). *Renuntiationem voluntariam divitiis Jesus itaque ut consilium proponit.*

Quod autem attinet injustitias patienter sufferendas, nec hoc a fortiori ut verum præceptum imponitur, imo nec sensus litteralis horum consiliorum nimis premi potest. Voluit Jesus discipulis suis demonstrare altiorem adhuc perfectionis gradum, quem ipse assecutus est ubi « tamquam ovis ad occisionem ductus est : et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum » (4). Sed præsertim voluit ut fideles ea sensa animæ induerent, quibus ut supremam legem in habitudine ad proximum non haberent strictam justitiam commutativam sed caritatem etiam abnegationis. Ceteroquin ipse Jesus, a servo

---

(1) Lubet hic transcribere J. Lebreton, *La vie chrétienne au premier siècle de l'église*, Paris, 1927, p. 76 : « Cette distinction entre les préceptes et les conseils est un des traits distinctifs de la morale catholique ; les réformateurs l'ont rejetée, et depuis lors la plupart des théologiens étrangers à l'Église romaine la tiennent pour suspecte. Il y a quelques années un rédacteur anglican de l'*Expository Times* (1922, p. 145) rencontrait dans un livre du baron von Hügel cette affirmation : l'Église romaine seule a des saints ; il écrivait : Accorderons-nous cela ? Eh ! bien, oui, nous l'accordons. Nous dirons que pour trouver un saint, il faut aller à l'Église romaine ; mais la culture des saints n'apporte pas que des avantages. Le baron v. h. voudrait nous ramener à la distinction maintenue à l'âge d'or, au Moyen-Age : aux uns il propose une vie décente, aux autres une vie consacrée à Dieu ; aux uns la tranquillité du home, aux autres l'héroïsme ».

(2) *Mt.*, xix, 17.

(3) *Ibid*, 21.

(4) *Act.*, viii, 32 citans *Is.*, liii, 7.

pontificis perculsus, non alteram præbuit maxillam sed modeste de injuria questus est (1). Hanc doctrinam sub orientali forma aphoristica proposuit, quæ locum dat hyperbolæ et paradoxo.

III. — Vita Jesu.

Summa laus paupertatis fuit vita Jesu, qui pauper nasci et vivere voluit, filius fabri et ipse faber. Durante vita sua publica peragrabat Palestinam, non habens lapidem ubi caput suum reclinaret (2) ; voluit ut apostoli omnia relinquerent (3) et, cum manifestarent se pro renuntiatione sua mercedem temporalem exspectare, conatus est hanc spem eradicare (4).

In solum Deum confidens vivebat pusillus grex apostolorum cum Jesu ; sustentationem habebant favore benevoli hospitii credentium et eleemosynarum præprimis quarumdam piarum mulierum (5) ; in hac societate vigebat communitas bonorum ; omnia accepta simul colligebantur et uni e duodecim loculi committebantur (6). Juxta formulam P. Schwalm (7), erat « communismus evangelicus » cujus finis mere spiritualis erat prædicatio evangelii ; hic autem communismus, moribus hospitalibus orientis adaptatus, de facto proprietatem privatam supponebat ; communitas enim ipsa non producebat bona consummanda sed ea habebat a benefactoribus.

Præsertim de pauperibus et humilibus curans, Jesus se non separabat a divitibus ; sæpe hospes fuit Lazari ejusque sororum, Zacchæum benigne accepit, piæ mulieres divites eum sæpe secutæ sunt, Nicodemus et Joseph ab Arimathæa divites erant.

---

(1) *Jo.*, XVIII, 22-23.
(2) *Mt.*, VIII, 20 ; *Lc.*, IX, 58.
(3) *Mt.*, IV, 18-22 ; IX, 9 ; XIX, 27-29 ; cfr loca parallela.
(4) *Mt.*, XIX, 27 ; XX, 20.
(5) *Lc.*, VIII, 2-3.
(6) *Jo.*, XII, 6 ; XIII, 29.
(7) *A. c.*, c. 576.

IV. — **Conclusiones.**

a/ Possessio itaque et prosecutio divitiarum pro salute animarum periculum quoddam afferunt, in se autem malæ non sunt ; damnatur ab una parte adhæsivus affectus et ab alia præcipitur largitio eleemosynarum ; ut via ad majorem perfectionem proponitur voluntaria renuntiatio bonorum temporalium. Hanc renuntiationem cum discipulis suis Jesus exercuit, instaurando communismum quemdam restrictum ob finem spiritualem prædicationis evangelii.

b/ Regimen proprietatis privatæ compossibile est cum hac doctrina, secus renuntiatio diceretur obligatoria et communismus esset de præcepto ; illud jus proprietatis Jesus tuitus est renovando prohibitionem furti (1).

Ex his tamen deduci nequit juxta Jesu doctrinam regimen proprietatis privatæ solum esse legitimum ; sed alia ex parte, si regimen illud distributionis bonorum esset in se damnandum, non potuisset Magister ita de divitiis loquî sicut fecit ; etenim si regimen hoc esset reprobandum, hoc inde esset quod adeptioni finis ultimi hominis obstaret.

c/ Nihil in his doctrinis sapit modernas theorias communistarum ; Jesus agnoscit primaria destinatione bona temporalia omnibus omnino hominibus debere inservire ; sed ut hæc primaria destinatio obtineatur non postulat possessionem communem status vel societatis, sufficit ipsi ut caritate ducti divites cum egenis bona a Deo mutuata communicent.

Hæc nullatenus opponuntur sed e contrario omnino consonant cum sana et factis comprobata doctrina theologorum et œconomistarum catholicorum, juxta quos regimen proprietatis privatæ, præcepto caritatis temperatæ, constituit regimen distributionis bonorum, quod de facto, spectata conditione naturæ humanæ lapsæ, non solum opportunior est sed imo moraliter necessaria.

---

(1) *Mt.*, XIX, 18, *Mc.*, X, 19 ; *Lc.*, XVIII, 20.

d/ Nec recurrendum est ad explicationem eschatologicam ut ratio reddatur Jesu doctrinæ de renuntiatione bonorum. Sententia hæc eschatologica falsa est et in dies magis derelinquitur ; ceterum, juxta Jesu doctrinam, ignorantia diei judicii universalis non aliam dictat normam vitæ quam ignorantia momenti mortis.

e/ Nec tandem dici potest Jesum officia politica, œconomica et socialia ignorasse adeo ut ejus doctrina omnem societatem civilem impossibilem reddat. De illis officiis, quæ juxta varias rerum conjuncturas variare possunt, Jesus nihil concreti edixit sed proclamavit præcepta quædam moralia, quæ si servantur, meliorem producent vitam politicam, œconomicam et socialem quam omnia inventa hominum : spiritus paupertatis apud divites et pauperes, consideratio dignitatis pauperum fratrum Christi, caritas generosa et humilis, caritas quæ non tantum plagas curat sed et prævenit, caritas quæ ultra limites strictæ justitiæ progrediatur, et tandem exempla et merita quorumdam qui voluntariam paupertatem propter Dei amorem et bonum fratrum amplectuntur, suntne meliora tutamina recti ordinis socialis ?

M. De Jonghe.

De Laudibus matutinis

Ordinatio antiqui officii Romani et Benedictini

Sæculis IV, V et VI ubique magis ac magis ordinatum est officium, sed, sicut et quoad cetera disciplinæ puncta factum est, diversimode in diversis ecclesiis, ita tamen ut constituerentur quædam centra, quorum influxum sponte admittebant vel subire cogebantur ecclesiæ dependentes vel vicinæ. Et ita constituti sunt plures diversi typi seu cursus, v. g. cursus monachorum Ægypti vel Asiæ Minoris, cursus s. Cæsarii, cursus gallicanus, celticus, mediolanensis.

Ita etiam cursus ecclesiæ romanæ et cursus s. Benedicti. Hi speciali omnino attentione digni sunt, quia ex utriusque influxu mutuo et compenetratione orta sunt officium et breviarium Romanum seu Ecclesiæ Occidentalis. Initia et ordinatio antiqui officii romanæ ecclesiæ valde obscura sunt et nonnisi ex documentis posterioris ævi et ex collatione cum usibus extraneis cognosci possunt. Cursum autem monasticum benedictinum accurate et minutim descriptum habemus in Regula s. Benedicti (circa a. 530).

Hic monachorum occidentalium patriarcha tam singulari prudentia officii ordinationem disposuit ut hæc a monachis benedictinis et ab ecclesia romana substantialiter fuerit admissa et, admixtis nonnullis usibus antiqui officii romani, ubique sparsa et usque ad nostra tempora servata, adeo ut a nonnullis s. Benedictus ut occidentalis Breviarii fundator habeatur.

De ordinandis diversis Horis quotidiani « Operis Dei » agunt notissima Regulæ capita VIII-XIX. Modus autem persolvendi Laudes in specie et adamussim describitur in capite XII pro « dominico die », in capite vero sequenti pro feriis seu « privatis diebus ». Et hic modus substantialiter concordat cum ritu romano quem sequebamur ante Pii X reformationem.

Sed inprimis de **connexione Laudum cum nocturno** officio quædam notatu digna sunt.

Laudes subsequuntur officium nocturnum seu Vigilias. Juxta enim « ordinem Vigiliarum » (c. XI), cantat in fine abbas hymnum « Te decet laus » et « data benedictione *incipiant matutinos* » (c. XI). Inter utramque partem officii quotidiani habetur itaque intima connexio, admittit tamen s. Benedictus aliquam separationem.

Nam tempore æstivo « sic temperetur hora Vigiliarum Agenda : *parvissimo intervallo*, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox Matutini (1), qui *incipiente luce agendi sunt*, subsequantur » (c. VIII) (2).

Eo longius erat intervallum istud quo major erat distantia inter finem Vigiliarum et « incipientem lucem ». Quod s. Benedictus insinuat, diserte testatur Joannes archicantor basilicæ s. Petri, qui anno 680, latinitate barbara describens modum quo diversæ horæ officii nuntiantur et incipiunt, ita ait : « Nocturnis ante finitis, *si lux* statim non supervenerit, faciunt *modicum intervallo,* ut superius dictum est propter necessitates fratrum, et iterum ingrediuntur ad matutinis laudibus explendas. Si autem cottidianis dies fuerint tempore hyberni, post nocturnis finitis, iterum *pausantes usquequo lux apparere incipiat*, et sic ingrediuntur ad celebrandum matutinorum

---

(1) Citamus textum criticum ap. CL. BLUME (S. J.), *Der Cursus s Benedicti Nursini und die lit. Hymnen*, Leipzig, 1908, p. 15 ss. Ab antiquis et signanter a s. Benedicto solet *officium canonicum* vocari « opus Dei », « opus divinum », « opera divina », « servitutis officia ». Officium noctis, quod minus proprie nos *Matutinum* nuncupamus, vocabant antiqui « vigilias », « vigilias nocturnas », « vigiliarum agendam », « nocturnam laudem » vel simpliciter « nocturnos » subintelligendo « psalmos ». Officii vero pars, quam nos *Laudes* dicimus, primitus vocabatur « matutini » rursus subintelligendo « psalmi », « matutinorum agenda », « matutinorum sollemnitas », « matutinae laudes ».

(2) Similiter scribit CASSIANUS, *De instit. cœnob.*, III, IV : « expletis nocturnis psalmis et orationibus *post modicum temporis intervallum* solet in Galliæ monasteriis celebrari » solemnitas Laudum. Cf. S. GREGOR. TURON, *De mirac. s. Martini*, l. II, c. 1.

laudibus » (1). Et ideo juxta regulam s. Benedicti, nocturnum officium, pro diversa noctium longitudine, maturius aut tardius inchoabant monachi, vel illud longius protrahebant (c. VIII) aut contrà illud breviabant (c. X) ut officium Laudum ad auroram seu « incipientem lucem » inchoare posset. Diserte hoc testatur Amalarius sæculo nono scribens : « Sancta Romana Ecclesia hoc speciatim nobis insinuat per suam consuetudinem. Ipsa enim quotocunque ordine vel numero lectionum viderit maturam [lege *Matutam*] (2) procedere, ut audivi, dimittit nocturnale officium et incipit matutinale » (3).

Ulterius nota s. Benedicti Vigilias per hebdomadam absolvi eadem fere conclusione qua terminantur ceteræ Horæ (c. IX), non ita tamen die dominica (c. XI). Laudibus vero non videtur s. Benedictus assignare introductionem consuetam : *Deus in adjutorium...*, cujus locum aliquatenus tenet psalmus LXVI lente recitatus (4).

Ex his apparet Laudes esse *officium auroræ* seu orientis lucis. Inde habent Laudes suam propriam indolem gaudii et laudis Dei, auctoris lucis, et Christi qui est vera Lux spiritualis. Et juxta hanc indolem determinantur psalmi et hymni qui ad hanc horam ab initio fuerunt specialiter electi.

Ex his intelligitur etiam connexio nostri Matutini cum Laudibus. Primitus immediate sibi cohærebant (5). Quum

---

(1) C. SILVA-TAROUCA, *Giovanni « Archicantor » di s. Pietro a Roma e l' « Ordo Romanus » da lui composto* (anno 680), p. 212, apud *Miscellanea Giovanni Battista de Rossi* (*Atti della Pont. Academia Rom. di archeol.*, serie III, Roma, 1923.

(2) *Matuta* vocabatur nomine proprio aut dea quæ auroræ præerat, aut stella « matutina » auroram nuntians.

(3) *De ordine antiphonarii*, 4 (MPL, CV, 1252).

(4) In capitibus XII et XIII, ubi ex professo exponitur modus celebrandi Laudes, de hac introductione tacet; in c. XVIII, ubi explicite indicatur præfata introductio, de Laudibus omnino tacet.

(5) Ita sane erat in primitivis christianorum Vigiliis. Etiam sæc. IV non erat separatio temporis in ecclesia Hierosolymitana (cfr supra p. 386 ss.), nec generatim, ut videtur, apud monachos quorum officia describit CASSIANUS (*De cœnob. instit.*, l. III). Juxta Regulam s. Cæsarii

officium integrum esset valde longum, s. Benedictus, propter rationes practicas, admisit parvum intervallum (1), quod postea, multum breviato officio, jam non erat necessarium. Unde hodie in recitatione publica nunquam separantur Matutinum et Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Domini. In recitatione autem privata, quæ majores admittit facilitates, fieri potest separatio.

Non est igitur mirum auctores disputare utrum Matutinum et Laudes constituant *unam* Horam an vero *duas*. Et sane in nonnullis habentur ut unica Hora, in aliis vero ut duplex Hora distincta. Utrumque officium, alterum noctis, alterum auroræ, habet caracterem diversum sibi proprium. Sed Matutinum non habet proprie conclusionem, deficiente Oratione in fine ; attamen Laudes habent hodie introductionem qua solent singulares Horæ inchoari : *Deus in adjutorium... Gloria Patri...*, sed omittuntur *Pater* et *Ave*, quæ dicuntur ante alias Horas (2). Tandem ne idem hymnus dicatur bis in eadem Hora, habent singula officia alium hymnum Matutino proprium, alium vero proprium Laudibus.

(*Continuabitur*). C. Callewaert.

---

ad virgines jubentur in fine nocturni officii fieri lectiones « usque ad lucem ». « A kalendis octobris usque ad Pascha » post secundos nocturnos « usque ad lucem impleantur missæ [h. e. lectiones] quattuor. Si fieri potest, nunquam minuantur ; nunquam maturius, nunquam tardius excitentur. Post hoc Matutinales canonici dicantur » (Cl. Blume, *o. c.*, p. 37). Item in Regula s. Aureliani : « Completis nocturnis dicetis Matutinos » (Cl. Blume, *o. c.*, p. 41). Eodem modo sibi cohærent Nocturni et Matutini psalmi in officio Mediolanensi.

(1) Ex hac innovatione, cujus s. Benedictus rationem, ut vidimus, addit (c. viii), forte explicari debet quod Laudes, quæ antea habebantur ut officium *nocturnum*, a s. Benedicto computentur inter Horas *diurnas*. His solis primus s. Benedictus applicat textum : « Septies in die laudem dixi Tibi » ; de nocturnis autem vigiliis intelligit alium textum : « Media nocte surgebam ad confitendum Tibi » (c. xvi). Cassianus contrà, Completorio nondum instituto, textum « Septies in die... » intelligit de Matutino (sensu hodierno), Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona et Vesperis (*De cœnob. instit.*, l. iii, c. 4).

(2) In casu separationis, Matutino debet addi conclusio Horarum consueta : *Dominus vobiscum... Oremus... Dominus vobiscum... Benedicamus .. Fidelium animæ... Pater noster.* Item ante Laudes præmittitur *Pater* et *Ave*.

Acta Pii PP. XI

Per *litteras apostolicas.*, diei 9 sept. 1927, Summus Pontifex auctoritate sua, perpetuum in modum, sodalitium « *Ligue du Christ-Roi* » nuncupatum atque intra fines diœcesis Augustodunensium in oppido « Paray-le-Monial » exsistens, ad *archisodalitii dignitatem* evehit; ipsiusque Archisodalitii Moderatoribus præsentibus ac futuris, ad Codicis Canonici normam impertitur rite sibi aggregandi facultatem ubique terrarum omnes et singulas confraternitates, quæ sub eodem titulo ac fine erectæ vel in posterum erigendæ sint; cum illisque communicandi indulgentias omnes ac spirituales gratias ab Apostolica Sede Archisodalitio eidem concessas sive concedendas, dummodo cum aliis communicari queant (1).

Acta SS. Congregationum

E Supr. S. Congr. S. Officii

DECLARATIO CIRCA DECR. DE AUTHENTIA I JO., V, 7 (2)

Declaratio ab eadem Suprema Sacra Congregatione inde ab initio privatim data ac postea pluries repetita, quæ nunc ipsius auctoritate publici juris fit :

« Decretum hoc latum est, ut coërceretur audacia privatorum doctorum jus sibi tribuentium authentiam commatis joannei aut penitus rejiciendi aut ultimo judicio saltem in dubium vocandi. Minime vero impedire voluit,

(1) Ex litteris transmissis a cancellaria dioc. Augustodunen. (Autun).

(2) Declaratio edita est in opusculo *Enchiridion biblicum seu Documenta ecclesiastica s. Scripturam spectantia auctoritate Pontificiæ Commissionis de re biblica edita*, Romæ, 1927, p. 47. — Textum desumimus e period. *Biblica*, VIII (1927), p. 494.

quominus scriptores catholici rem plenius investigarent atque, argumentis hinc inde accurate perpensis, cum ea, quam rei gravitas requirit, moderatione et temperantia, in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare judicio Ecclesiæ, cui a Jesu Christo munus demandatum est Sacras Litteras non solum interpretandi, sed etiam fideliter custodiendi ».

Feria V, die 2 junii, 1927. — Aloisius Castellano, Supremæ S. Congr. S. Officii Notarius.

Adnotationes

Respicit præsens declaratio celebre decretum s. Congregationis Inquisitionis, a Leone PP. XIII approbatum et die 13 jan. 1897 latum, quo edicebatur tuto negari non posse nec in dubium revocari authentiam textus 1 Jo., v, 7, prout legebatur in editione sixto-clementina Vulgatæ (1).

Statim post decreti promulgationem variæ et vividæ ortæ sunt controversiæ de ejus genuino sensu ejusque juridica indole. Generatim admittebatur, quod revera verba omnino suadent, decretum versari circa versiculi authentiam humanam, in casu joanneam. Quod autem indolem decreti attinet, quidam rariores illud dicebant *dogmaticum*, declarans np. textum trium testium cælestium esse authenticum indeque et inspiratum ; fuisset decretum speciali textui facta applicatio canonis tridentini : « Si quis autem ipsos libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, ... a. s. » (2). Plerique tamen decretum habebant ut *disciplinare*, quo proin quæstio critica non dirimebatur nec ulterioribus investigationibus, imo nec decreti reformationi via præcludebatur.

Interea accuratiora facta sunt studia criticæ textualis,

---

(1) Textum integrum decreti vide apud *Collat. Brugen.*, II (1897), p. 354.

(2) Sess. IV (apud Denzinger-Bannwart, *Enchir. symbol.*, n. 784).

quibus in dies magis apparuit comma joanneum nec esse ab apostolo conscriptum, nec in Ecclesia universali legi consuevisse, nec in veteri vulgata latina occurrere.

Controversiæ de valore decreti præcipua momenta fuerunt tum editio approbatione episcopali muniti libri K. Künstle, qui authentiam negabat (1), tum ejusdem libri recensio quam conscripsit D. L. Janssens, hoc ipso momento secretarius ab actis Commissionis Biblicæ ; dicebat autem hic decretum a. 1897 esse disciplinare atque approbationem episcopalem illi operi datam manifestativam esse sensus Ecclesiæ (2). Aperte exhinc ponebatur quæstio utrum necne decretum esset abrogatum ; de facto plures auctores catholici authentiam negabant, cum tamen authentica abrogatio deficeret, multi addebant se paratos esse stare declarationibus ulterioribus Ecclesiæ (3).

Quid affert præsens declaratio, nunc primum publici juris facta ? Non tradit exegesim decreti, sed directe unice manifestat scopum a decreto intentum.

Dicit scopum non fuisse ut quæstio de genuinitate commatis dirimeretur, nec ut impedirentur ulteriores criticæ investigationes, nec imo ut de se excluderetur adhæsio catholicorum sententiæ inauthenticitatem asse-

(1) *Das Comma joanneum auf seine Herkunft untersucht*, Freiburg, 1905.

(2) Apud period. *Revue bénédictine*, XXIII (1906), p. 119.

(3) De variis controversiis et de variis argumentis utrinque allatis cfr A. Camerlynck, *Comment. in ep cath.*, 5 ed., Brugis, 1909, p. 192 ss. et *Collat. Brugen.*, XVIII (1913), p. 17 ss., 202 ss., 282 ss.

Sufficiat hic afferre conclusionem duorum recentiorum hac de re : Cornely-Merk, *Compendium introd. in s. Script. libros*, Parisiis, 1927, p. 780 habet : « Plerique recentissimorum auctorum catholicorum sententiæ eorum accedunt, qui genuinitatem criticam negant et textum paulatim ex lectionum varietate ad eam formam pervenisse putant, quam in vulgata habet » ; Simon-Prado, *Prælectiones biblicæ*, Taurini, 1927, p. 459 scribit : « Cum plerique hodie scriptores commatis joannei authentiam infitientur, nec ecclesiastici præsules præfati decreti observationem urgeant, haud improbabile inferunt aliqui s. Officii decisionem quodammodo esse abrogatam ».

renti. Ita apparet decretum fuisse *disciplinare* et caducum ; evidenter supponitur, dato studiorum statu a. 1897, decretum, momento quo latum est, fuisse opportunum et securitati doctrinæ prospiciens, sed dicitur decretum quoad dispositionem disciplinarem cum progressu studiorum fuisse reformabile.

At in hoc decreto formaliter disciplinari præprimis agebatur de salvando *fundamento dogmatico*, quo disciplinaris dispositio nitebatur. Revera decreto subjacet fundamentum dogmaticum, scil. quod quæstio de authentia commatis non est mere critica sed et religiosa. Etenim solius Ecclesiæ est definire utrum necne comma joanneum sit divinitus inspiratum ; jamvero quæstio de inspiratione intime cohæret cum authentia joannea hujus textus ita ut definitivum judicium etiam de quæstione authentiæ sit penes Ecclesiam.

Hoc jus decretum vindicabat, ideoque, ut dicit declaratio, voluit coercere audaciam illorum qui authentiam negabant aut in dubium vocabant ut privati doctores, id est, illorum qui definitivum judicium genuinitati contrarium eliciebant privata auctoritate, nullo respectu habito ad competentiam magisterii ecclesiastici. Non autem illi damnabantur qui præ oculis habebant hoc jus Ecclesiæ, qui nempe, ut iterum dicit declaratio, argumenta allata perpendebant consideratione proportionata gravitati rei, et qui profitebantur se paratos esse stare judicio Ecclesiæ.

Sub hac duplici conditione licet authentiam recusare ; disciplinaris prohibitio decreti non urget dummodo dogmaticum ejus fundamentum salvetur.

M. De Jonghe.

Resolutiones in materia indulgentiarum et privilegiorum.

I. — *Conceditur indulgentia plenaria « toties quoties » recitantibus tertiam partem rosarii coram Ssmo Sacramento.*

Occasione conventus eucharistici in civitate Bononiensi celebrandi (7-12 septembris), postulante Magistro generali Ordinis Prædicatorum, Pius XI, per breve 4 septembris 1927, benigne concessit ut omnes christifideles *quoties* ante Ssmum Sacramentum, sive expositum, sive in tabernaculo asservatum, tertiam rosarii partem devote recitent, *toties* plenariam indulgentiam lucrentur, dummodo confessi fuerint ac s. communionem susceperint (1).

II. — *Privilegium conceditur membris Unionis apostolicæ.*

Supplicante præside generali Unionis apostolicæ sacerdotum sæcularium a Ss. Corde (« Omnia pro Jesu »), Pius XI in perpetuum, ad instar concessionis factæ a Pio X sociis *Fœderis sanctitatis sacerdotalis*, concedere dignatus est ut singuli socii dictæ Unionis apostolicæ privilegio fruantur legendi privatim prima feria VI mensis (exceptis festis de D. N. J. C., dupl. I class., feriis, vigiliis, octavis ex privilegiatis) missam votivam Ss. Cordis Jesu, ad modum missæ a Leone XIII concessæ (Brevi

(1) Cfr *Monitore ecclesiastico*, 1927, p. 290 s. — Quoad conditiones præscriptas vide *Collat. Brugen.*, t. XXV (1925), p. 153 ss. Forsan mirabitur quis ad hanc indulgentiam in textu descriptam, timens ne recitatio harum precum vocalium jam retrahat fideles ab ipsa adoratione Christi eucharistici. Hac igitur occasione opportune in memoriam revocabitur rosarium esse orationem mixtam, quatenus complectitur, præter preces vocales, meditationem mysteriorum. Facile autem hæc mysteria contemplata mentem reducent ad Jesum præsentem in altari ; cfr *Collat. Brugen.*, t. XXI (1921), p. 323.

Altero nunc), adhibita qualibet missa inter approbatas, vel approbandas etiam « pro aliquibus locis », v. g. missa Cordis Eucharistici D. N. J. C. (1).

III. — *Declaratio circa privilegia sodalium* « Unionis cleri pro missionibus ».

Nonnulla dubia circa privilegia sacerdotibus piæ unioni missionalis cleri adscriptis concessa, Cardinali Van Rossum, præfecto Congregationis de Propaganda Fide solvenda proposita sunt, ad quæ Eminentissimus Dominus per litteras 28 martii 1927 respondere dignatus est ; hujus responsi tenorem hic exhibemus (2).

1. An sacerdos adscriptus extra etiam locum in quo ad sacramentales confessiones audiendas approbatus est, facultate, cujus usui prærequiritur jurisdictio, uti possit ?

R. Nulla jurisdictio prærequiritur ; solummodo pro « benedictionibus » requiritur ut sacerdos adprobatus sit ad sacramentales confessiones audiendas, seu sit confessarius. Cum vero nulla fiat distinctio circa diversa *loca* in quibus sacerdos sodalis Piæ Unionis adesse possit,

---

(1) S. Cong. Rit., 9 decembris 1925, apud *Monitore ecclesiastico*, 1927, p. 197. Hoc idem indultum comparuit in *Règlement et directoire spirituel* dictæ Unionis, ed° 1926, p. 24, sed textus editus apud *Monitore*, *l. c.*, paululum differt a textu ibi recitato : v. g. inter dies quibus non licet uti laudato privilegio inseruntur etiam octavæ privilegiatæ. Favor hic concessus nobis videtur tantum extensio privilegii a Leone XIII, Brevi *Altero nunc*, 28 junii 1889, concessi, ita ut missa votiva solemnis quæ hoc Brevi permittebatur in ecclesiis et oratoriis ubi peculiaria exercitia in honorem Ss. Cordis peragebantur, nunc jam ab omnibus sodalibus laudatæ Unionis privatim celebrari possit, et quidem eodem modo, scilicet cum *Gloria* et *Credo*, cum iisdem orationibus, atque cum eadem, ut videtur, limitatione quoad dies exceptos, quos vide apud *Calendarium*, p. 11 sq. Una tantum differentia est quatenus nimirum adhiberi possit a sodalibus Unionis apostolicæ quodvis missæ formulare, etiam pro aliquibus locis approbatum.

(2) Textus litterarum comparuit in *Kerk en Missie*, t. VII (1927), p. 118 sq. et apud *Collectanea Mechliniensia*, 1927, p. 364, unde reassumptus fuit in *Monitore ecclesiastico*, 1927, p. 195 sq. Ipsum textum non ad litteram recitamus, sed tenorem ejus tradimus, uti facit *Theologisch praktische Quartalschrift*, 1927, p. 806 ss.

hæc circumstantia de diversitate locorum non est attendenda. Sufficit servare limitationem, quæ explicite enuntiatur « *extra Urbem* ».

2. An sacerdos adscriptus, etiam in loco ubi sedem habent religiosi Ordinum, quibus respective benedictio ac impositio scapularium, de quibus in facultate, reservantur, eadem benedicere ac imponere possit?

R. In textu concessionis limitatio qua usus facultatis denegatur in locis ubi respectivi religiosi sedem habent non enuntiatur; ideoque non est attendenda, i. e. possunt adscripti etiam iis in locis uti suis facultatibus

3. An sacerdos adscriptus, etiam in loco ubi sedem habent religiosi Fratrum Minorum, facultate benedicendi unico signo crucis crucifixos cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a Via crucis nuncupati, uti possit?

R. Affirmative; in concessione enim non agitur de facultate erigendi *stationes viæ crucis*, sed de facultate adnectendi crucifixis indulgentias viæ crucis (1).

Adnotatio. Laudata declaratio est interpretatio, ni fallimur, *doctrinalis* facultatum de quibus agitur. Quoad responsa 1um et 3um, nulla occurrit difficultas. Quoad responsum 2um vero, multi censebant limitationem de qua dubitatur, esse præsumendam nisi explicite excluderetur. Hic vero contra supponitur. Optandum sane, propter utilitatem fidelium, ut talis limitatio jam non apponatur pro scapulari magis usuali, scilicet de Monte Carmelo. Etenim, ut mentem exemplo aperiamus, haud pauci, ut timemus, fideles in civitate brugensi jam exclusi manent a favoribus spiritualibus dicti scapularis, quia parentes negligunt adire Carmelitas discalceatos, quibus benedictio et impositio ejus reservatur. Sed optandum etiam censemus, ad omne dubium possibile tollendum, ut declaratio in textu relata jam *authentice* a S. Pœnitentiaria promulgetur.

A. Legrand.

---

(1) De crucifixo viæ crucis, cfr *Collat. Brugen.*, t. XXVI (1926), p. 461 ss. — De facultate vero erigendi stationes viæ crucis, vide *ibidem*, p. 131 ss.

Consultationes

I.

De modo agendi cum moribunda acatholica.

Q. In nosocomio ægrotat aliqua mulier religioni reformatorum addicta. Videtur bona, de veritate suæ religionis minime dubitat. Firmiter credit et multum orat et audacter affirmat « se firmiter credere in Christum crucifixum et hoc sibi ad salutem sufficere ».

Quæritur, si contingat eam ægrotare ad mortem, an sit baptizanda (dicit se a ministro protestantium esse baptizatam) sub conditione et eodem modo absolvenda, et dein etiam extrema unctione ungenda ? Certe, sacramenta non vult suscipere, dum sensibus utitur, quia putat se per fidem esse salvandam, sed tamen vult quod Deus vult et quod Christus præcipit. Nonne ergo in extremis illa sacramenta ipsi saltem secreto administranda sunt ?

R. — 1/ Si persona illa usu sensuum externorum fruitur, non potest etiam in mortis periculo recipere sacramenta nisi prævie rejiciat errorem et cum Ecclesia reconcilietur. Interim, excitetur ad actus contritionis et charitatis perfectæ.

2/ Quodsi in periculo mortis, sensibus destituta reperiatur :

a/ Baptizetur sub conditione, si moralis certitudo de valore baptismi haberi non potuit.

b/ Quamvis, uti nunc suppono, pertineat ad sectam confessionem rejicientem, auderem tamen conditionate eam absolvere, quia, si unquam post baptismum forte validum graviter lapsa est, censeo hujusmodi personam

habere votum *implicitum* sacramenti pœnitentiæ, *quod est medium qua tale ad salutem necessarium.*

c) Non posset inungi, nisi pertineat ad sectam hoc sacramentum habentem. Aliqui tamen id permitterent.

Scandalum removeatur, baptismo et absolutione secreto collatis.

V. Coucke.

II.

De portione paroeciali.

Q. Titius domicilium habens in civitate Cortracena, sepulcrum majorum possidens in Hooglede, subito moritur in civitate Furnensi, dum visitationem instituit apud consanguineos. Familia cadaver pro funere defert ad ecclesiam de Hooglede.

Quæritur utrum parochus ex Hooglede portionem paroeccialem vel aliud quodvis emolumentum solvere teneatur parocho Cortraceno.

R. — In hujusmodi casibus duo sunt distinguenda ad rectam solutionem : 1/ utrum parochus ecclesiæ funerantis *legitime* egerit; 2/ si affirmative, utrum portio sit solvenda parocho ecclesiæ propriæ defuncti.

Primum enim requiritur ut statuatur utrum necne parochus ecclesiæ funerantis aliquid sibi retinere possit ex emolumentis perceptis. Ex decr. 216, 7° Conc. Mechl. enim parochus illegitime funerans omnia emolumenta ecclesiæ paroeciali cedere debet. Et ideo :

Ad 1m. Parochus ex Hooglede certocertius *legitime* egit : quia defunctus ibi habuit sepulcrum majorum, et « si defunctus, non electa alibi sepultura, habeat sepulcrum majorum extra cœmeterium suæ paroeciæ, ibi ad normam can. 1229, § 1 sepeliendus est, et exsequiæ in ecclesia ad quam sepulcrum pertinet per se sunt celebrandæ » decr. 216, 3°. Nec contra legitimitatem hujus funerationis in Hooglede argui posset ex eo quod defunctus obiit in loco, a quo non poterat commode transferri

ad ecclesiam de Hooglede (Furnensis enim civitas a pago Hooglede ultra 5 km. distat), nam vi can. 1218, 3° « semper integrum est familiæ cadaver transferre, licet translatio ad ecclesiam funeris sit incommoda, susceptis tamen translationis expensis ». Nullum ergo est dubium quin *legitime* egerit parochus ex Hooglede.

Ad 2m. Portio canonica *certo* esset solvenda parocho Cortraceno casu quo ecclesia civitatis Cortracenæ ideo jure suo frustraretur, quia defunctus obiit in loco ex quo commode potuisset transferri ad ecclesiam propriæ paræciæ.

Hoc vero non verificatur siquidem civitas Furnensis ultra 5 km. distat a civitate Cortracena. Quod autem spectat casus in quibus cadaver commode non valeat transferri, atvero de facto tamen transfertur curâ familiæ, uti in casu proposito, controvertitur inter auctores utrum portio etiam solvenda sit necne.

Sententia vero NEGANS portionem hoc casu esse solvendam est communior. Nititur ipso textu canonis 1236, § 1, qui absolute dicit: « non est solvenda portio casu quo cadaver in ecclesiam propriæ paræciæ commode asportari nequeat ». Hanc sententiam tenent A. DE MEESTER, t. III, p. 120, n. 122 b; CLAEYS-BOUUAERT-SIMENON, p. 482, n. 812; MATTHÆUS A CORONATA, n. 249.

PRACTICE ergo a parocho ex Hooglede nihil est solvendum nec parocho Cortraceno nec fabricæ ejusdem ecclesiæ defuncti propriæ.

III.

OVER PROCESSIE EN WEGVERSPERRING.

V. Onze processie op H. Sakramentsdag en op O. L. V. half-Oogst gaat telkens langs de groote staatsbaan heen. Telkenjare is er een druk verkeer van auto's en andere voertuigen, zoodanig dat er steeds een heele wanorde ontstaat en daarbij een ontstichting. Is E. H. *Pastor* bevoegd, om gedurende de uren waarop de twee groote

processiën van het jaar uitgaan, den doorgang van zulke rijtuigen te verbieden?

Zoo niet, is de *burgemeester* daartoe bevoegd?

Hoever strekt hun bevoegdheid in die zaken en waarop is ze wettelijk gesteund?

A. *Ad 1m*. Dit valt geenszins in de bevoegdheid van den pastor. Zulk verbod immers betreft de veiligheid en het gemak van doorgang op straten en wegen, hetgeen uitsluitelijk in de bevoegdheid van de burgelijke overheid valt.

Ad 2m. De burgemeester is daartoe heelemaal bevoegd, en kan zijn recht op verschillende manieren gebruiken, zooals blijkt uit verschillende artikels onzer gemeentewet.

De bevoegdheid immers der gemeentelijke politie omvat onder meer alles wat de veiligheid en het gemak van den doorgang op straten, wegen, plaatsen, kaaien, enz. betreft. Welnu :

1°) De burgemeester is door art. 90 (in fine) der gemeentewet belast met de uitvoering van de politiewetten en-reglementen. Zoo nu het gemeentelijk politiereglement het geval voorziet, dan kan de burgemeester de bepaling doen uitvoeren, en in geval van overtreding kan de politiestraf, door het reglement vastgesteld, toegepast worden. Doch *a priori* mogen we zeggen dat het gemeentelijk politiereglement dit geval niet voorziet.

2°) Daarbuiten echter kan de burgemeester, uit kracht van art. 94 der gemeentewet, in spoedeischende of dringende gevallen zooals dit, een *besluit* nemen waarbij de doorgang van auto's, moto's, velo's en andere rijtuigen op een baan of een gedeelte van een baan gedurende een bepaalde tijdruimte, b. v. gedurende twee uren, onderbroken wordt.

Dit besluit moet een strafbepaling bevatten en ver-

---

(1) Om dit antwoord volledig te kunnen geven, raadpleegden we een zeer bevoegden rechtsgeleerde, dien we volgaarne dank zeggen om zijn bereidwillige dienstvaardigheid.

melden dat het aan den gemeenteraad in zijn eerste zitting ter bekrachtiging zal onderworpen worden en aan den Gouverneur zal medegedeeld worden.

In de considerans of inleidende opgaaf der gronden waarop het besluit berust moet art. 94 vermeld en het spoedeischend geval opgegeven worden.

Het besluit moet openbaar of bekend gemaakt worden, anders kan er geene overtreding zijn. De dag en de uren waarop het besluit verplichtend is moeten duidelijk vermeld worden.

3°) De burgemeester mag ook, als hoofd van de politie, zonder zulkdanig besluit te nemen, *feitelijk* den doorgang doen onderbreken gedurende den doortocht der processie.

In dit geval kan er geen proces-verbaal opgemaakt worden wegens overtreding van een besluit of reglement, aangezien er geen besluit bestaat ; doch, zoo een persoon niettegenstaande het verbod van den veldwachter of van den politiecommissaris, toch door wil en in opstand komt tegen de politie, kan er een proces-verbaal opgemaakt worden en vervolging ingespannen wegens opstand tegen de politie.

De burgemeester mag echter niet vergeten dat, buiten het geval van art. 94, gem. w. waarover we hooger spraken, de maatregels door de gemeenteoverheid genomen om den doorgang te regelen, te beperken of te schorsen, moeten, om verplichtend te zijn, bekend gemaakt worden *door agenten voorzien van de kenteekens van hun ambt* en ter plaatse staande, of door gepaste opschriften of aanduidingen (1).

Doorgaans wordt n. 3 toegepast. Te Brugge wordt jaarlijks het 2e toegepast, ter gelegenheid van de H. Bloedprocessie en ommegang ; er wordt namelijk door den burgemeester een besluit genomen, dat regelmatig door plakkaten bekend gemaakt wordt. Te Veurne wordt hetzelfde gedaan ter gelegenheid der boetprocessie.

J. Brys.

(1) Wet van 1 augustus 1924.

Notæ bibliographicæ

Cornely, R. - Merk, A. (S. J.). *Compendium introductionis in s. Scripturæ libros* (Cursus Scripturæ sacræ, sect. V, 1). 9 ed. Parisiis, Lethielleux, 1927. — In 8, XI-1096 p.

Inter pulcherrima studia scripturistica nostrorum temporum ab ipsis acatholicis citatur commentarius quem, sub nomine *Cursus Scripturæ sacræ*, ediderunt jesuitæ quidam provinciæ Germaniæ, præprimis PP. CORNELY, KNABENBAUER et DE HUMMELAUER. Commentario præludebat *Introductio*, a CORNELY edita, sub forma longiori tria volumina complectens sed etiam sub breviori forma compendii exstans. Hoc *Compendium introductionis*, post mortem CORNELY jam pluries editum et adauctum, funditus renovavit MERK, illud recentioribus disputationibus accommodando.

Introductionem hic reperimus generalem de historia canonis, de textu, de versionibus, de interpretationis regulis et historia disserentem, dein de quæstionibus introductoriis variorum librorum; ad appendices relegantur tum brevis dissertatio de inspiratione, tum documenta recentiora ecclesiastica, tum quædam historica, chronologica et palæographica.

Ingens materiæ moles in hoc libro congesta est ita ut singula percurrere non possimus, sed lubet specialem indolem hujus introductionis paucis delineare. Voluit auctor, addita semper præcipua bibliographia, accurate describere hodiernum statum variarum quæstionum; magna concinnitate, quæ lectorem primo momento fatigat sed post lectionem remunerat, proponit claro ordine digestas syntheses controversiarum, quarum nulla forsan eum fugit. Quod autem quæstionum solutionem attinet, auctor traditionales Ecclesiæ positiones nervosa argumentatione defendit ab impugnationibus, in quæstionibus autem liberæ disputationis, inter assignatas catholicorum opiniones fere nunquam electionem facit, ita est v. g. quoad historiam textus, quæ hic penitus desideratur, ita quoque quod attinet adaptationes posteriores in Pentateucho factas (p. 356), auctorem libri Proverbiorum (p. 489), relationes mutuas synopticorum (p. 700 ss.), diem mortis Domini (p. 771). Hac prudenti discretione nova editio sat differt ab illis quas paravit magis assertivus CORNELY; agnoscimus tamen commodum quoddam inde exsurgere, nempe majorem objectivitatem in expositione sententiarum.

Inter introductiones ad s. Scripturam hic liber indubie egregium locum occupat; ex illis est libris, quorum semper novas editiones desideramus cum studium sacrorum librorum adeo facilitet.

Keulers, J. *Die eschatologische Lehre des vierten Esrabuches ;* — **Golla, E.** *Zwischenreise und Zwischenbrief ;* — **Bludau, A.** *Die ersten Gegner der Johannesschriften* (Biblische Studien, XX, 2-3 ; XX, 4 ; XXII, 1-2). Freiburg i. Br., Herder, 1922 ; 1922 ; 1925. - In 8, x-204 ; xii-110 : xvi-230 p.

Arduum studium exegeta hollandicus Keulers aggressus est, etenim inquisitio conducitur circa librum quemdam apocalypticum, cujus intelligentia nobis semper sat impervia est, præsertim ubi præcise agitur de interpretanda doctrina eschatologica. Sed eschatologiæ apocalypsium judaïcarum A. opportunam clavem præstat in sua introductione, statuendo breviter ideas et aspirationes messianicas quæ manifestatæ sunt in fine existentiæ nationalis judæorum ; animadvertitur ibi prima exspectatio regni nationalis et terrestris, altera regni universalis et transcendentalis In variis apocalypsibus videndum est quousque illæ aspirationes vel solæ vel permixtæ inveniantur.

In IV Esdr. ambæ exspectationes exprimuntur, non autem permixtæ sed quasi juxtapositæ : Deus duo æva creavit ; unum præsens quod brevi finietur, alterum futurum ævum regni universalis Dei et beatitudinis æternæ justorum. Interregnum constituet regnum quadringentorum annorum Messiæ et gentis judaïcæ ; hoc regnum incipiet in hoc ævo et aliquatenus se extendet in futuro ævo ; ita prius verificabitur exspectatio regni terreni nationalis et dein regni universalis.

Hanc distinctionem capitalem proponendo et stabiliendo, Keulers multum promovit rectam intelligentiam generalis thematis libri et plurium elementorum doctrinæ eschatologicæ.

Controversiam in libro Golla agitatam norunt lectores ex dissertationibus quæ, sub titulo *Relationes Paulum inter et Corinthios*, in t. XXI (1921, p. 329 ss., 403 ss.), hujus periodici prodierunt ; ibi ut hypothesis probabilior adstruebatur Paulum inter primam et secundam epistolam canonicam ad Corinthios, iter fecisse Corinthum et post hujus itineris infaustum exitum epistolam quamdam scripsisse hodie deperditam. Hæc positio revera in dies apud exegetas communior evadit, nisi quod quidam censent epistolam illam intermediam esse secundam partem secundæ epistolæ canonicæ.

In hac quæstione litteraria, quæ ex difficillimis est, A. partes quasi faciliores assumit ; tenet np. sententiam apud antiquiores exegetas solemniorem, quam non vult relinquere nisi ubi contrarium probatur ; enumeratis autem et examinatis cum ampla et longanimi eruditione omnibus argumentis in favorem novæ sententiæ adductis, concludit nullum cum certitudine evertere traditionalem textuum et factorum interpretationem.

Concedimus argumenta vere peremptoria adduci non posse, sed censemus nec talia afferri posse ad antiquiorem sententiam stabiliendam ; agitur enim de aliqua quæstione ad quam solvendam utrinque non prostant nisi rationes plus minusve probabiles. Utilem tamen esse auctoris investigationem plene agnoscimus nec sententiæ propugnatæ negatio dissertationis valorem minuit.

Illmus BLUDAU studet quæstioni speciali cuidam cujus momentum non possumus melius exponere quam hisce verbis LAGRANGE : « C'est un fait que le quatrième évangile, en même temps que l'Apocalypse ou plutôt après, a été rejeté à la fin du second siècle. En conséquence on ne pouvait plus l'attribuer à Jean l'Apôtre, et l'on est allé jusqu'à en faire hommage à l'hérétique Cérinthe. D'après l'opinion universellement admise jusqu'à ces derniers temps, le mouvement a commencé en Asie et s'est étendu jusqu'à Rome, ou il a eu pour adepte le romain Caius. On sait très bien que le nom d'Aloges, donné par s. Epiphane à sa cinquante et unième hérésie est un nom de fantaisie, probablement un jeu de mots de ce Père sur les adversaires du Logos, dépourvus de raison. Néanmoins le fait des Aloges a été largement exploité contre l'authenticité johannique. Cette opposition ne s'expliquerait pas, affirme-t-on, si les écrits contestés avaient été acceptés dès l'origine en toute confiance » (1).

Sagaci examine variorum testimoniorum eorumque litterariæ dependentiæ, conatur A. statuere quæ et quanta fuerit hæc oppositio contra authentiam joanneam. Impossibile est hic vel breviter exponere varia argumenta, inter quæ nova quædam, et instructivos excursus hujus monographiæ. Post LADEUZE, CHAPMAN et SCHWARTZ auctor concludit negationem authentiæ non fuisse factum alicujus sectæ sed paucorum tantum, imo forsan solius Caii ; Epiphanes falso doctrinam solitariam Caii ut doctrinam sectæ cujusdam proposuit.

Speramus solido hoc opere controversiam clausum iri.

Demeuldre, P. *Les peuples anciens de l'Orient* (Collection belge de manuels d'histoire). 4 éd., Tournai, Casterman, 1927. -- In 16, 116 p.

Ce manuel du chanoine DEMEULDRE est bref et clairement ordonné ; destiné aux élèves de sixième, on peut le dire complet. Les élèves y étudieront avec intérêt les notices sur la religion et la civilisation anciennes, et chez les meilleurs ces courts aperçus stimuleront la curiosité scientifique. La toilette typographique, élément essentiel pour le manuel classique, est bien soignée.

Beaufays, I. (O. F. M.) *Saint Paul* (Aux premiers jours de l'Église, II). Bruxelles, Dewit, 1925. — In 8, 168 p. — Pr. 7,50 fr.

Quand on a entendu les conférences de l'ancien Préfet apostolique de l'île de Rhodes, l'on a constaté que ses vastes connaissances bibliques ne sont plus simplement livresques, mais qu'elles vivent vraiment dans son imagination et son intelligence. L'auteur connaît à fond le monde ancien ; c'est là l'attrait de ces quelques leçons données à Bruxelles au cercle s. Capistran.

---

(1) *Evangile selon s. Jean*, 2e éd., Paris, 1925, p. LV s.

Nous voyons d'abord s. Paul à Rome, calculant ses chances de succès dans cette ville corrompue mais travaillée par l'instinct religieux. Après ce tableau brossé vivement, nous lisons, ou plutôt nous vivons la conversion de l'Apôtre; nous pénétrons dans cette âme d'élite et nous la comparons à l'âme ardente de l'apôtre de la circoncision. Nous suivons ensuite s. Paul dans sa course à travers le monde; la dernière leçon nous procure une brève esquisse de la théologie paulinienne.

Ce livre hardi par la vie bouillonnante qu'y a mise l'auteur mérite sa place à côté des ouvrages de PRAT, VAN TICHELEN et BAUMANN.

Id. *Commentaires des évangiles de l'année liturgique.* Bruxelles, Vromant, s. d. — In 16, 200 p. — Pr. 7 fr.

Les fidèles, n'ayant pas sous la main les commentaires complets des évangiles, trouveront dans ce petit volume du même auteur une exégèse sommaire mais substantielle, qui les aidera à trouver les considérations ascétiques, qui se dégagent des textes évangéliques de leur Missel.

Biblia sacra juxta Vulgatam clementinam. Tornaci, Desclée et soc., 1927. — In 8, XIV-1280-288-31 p. — Pr. 35 fr. (relig. inde a 42 fr.).

Libenter sacerdotibus et seminariorum alumnis hanc editionem Vulgatæ commendamus, a professoribus s. Scripturæ Facultatis theologicæ parisiensis et seminarii s. Sulpitii paratam. Horum auctoritas et editoris fama jam sufficiunt ad editionis valorem dijudicandum. Dispositio typographica amœna est; opportune libri et capita brevibus indicationibus et summariis dividuntur; ad calcem concordantiæ textuum utiliter adjiciuntur; tabulæ geographicæ post librum dispositæ multum intelligentiæ conferent. Addi potest librum minoris constare quam editiones HETZENAUER, FILLION, GRAMMATICA nec ullo sub aspectu illis esse inferiorem.

Aspectu suo externo hic liber frater est germanus notissimæ versionis CRAMPON, quam post bellum iidem denuo ediderunt et quæ est hujus libri quasi necessarium complementum.

M. DE JONGHE.

Hugon, E. (O. P.). *Tractatus dogmatici.* Ed. 5 et 6. Parisiis, Lethielleux, 1926-1927. — Vol. 3 in 8, XIV-858, VIII-833 et VIII-967 p.

In hisce tribus voluminibus R. P. Hugon, s. theologiæ magistri et professoris in facultate theologica « Angelici » de Urbe, completam habes theologiam dogmaticam ad modum commentarii in præcipuas quæstiones Summæ theologicæ divi Thomæ Aquinatis. Uti testatur ipse S. P. Pius PP. XI, in epistola diei 25 julii 1927 ad auctorem

(*Acta Apost. Sedis*, XIX, p. 277), reperire est in hisce tractatibus lumina theologiæ positivæ cum solidis principiis Scholasticæ aptissime conjuncta, atque presso dicendi genere unum quoddam sacræ doctrinæ corpus, ad mentem Angelici sapienter digestum et ordinatum. Prorsus impossibile porro videtur compendiose etiam exhibere locupletissimam copiam, quam complectitur hoc eximium opus, quod comprehendit tractatus de Deo uno et trino, de Deo creatore et gubernatore, de angelis et de homine in primo volumine; de peccato originali et de gratia, de Verbo incarnato ac de Deo redemptore necnon de B. M. V. in altero volumine; tandem in tertio volumine de sacramentis tam in communi quam in speciali et de novissimis. In hisce omnibus tractatibus magna acribeia defendit auctor sententiam thomisticam, in arcta connexione cum ipso textu Summæ; advertamus in quæstione controversa de peccato originali, ipsum tenere formale hujusce peccati reponendum esse in privatione gratiæ; pulchre evolvit quæstionem maxime actualem de munere Christi regio; merito tenet ad omne sacrificium quamdam immolationem esse necessariam, quod invicte constat textu concilii tridentini; prorsus etiam rejicit sacrificium cœleste, quod non potest esse nisi metaphoricum et improprie dictum. Sane supervacaneum est ut multum insistamus in commendando hoc pulcherrimo opere R.° P. Hugon, cujus peritiam et subtilitatem in interpretanda Summa specialiter laudat ipse Pontifex in epistola supra citata; maximam utilitatem adeoque afferre nati sunt hi tractatus theologici studiosis omnibus, etiam iis, ut in eadem epistola aperte declaratur, qui eosdem « apud se idcirco manibus terunt quia, confecto studiorum curriculo, fidei dogmata altius retractare velint ac recognoscere ».

Lercher, **L.** (S. J.). *Institutiones theologiæ dogmaticæ*. Vol. I. Œniponte, Rauch, 1927. — In 8, x-658 p. — Pr. 11 Mk.

Cl. A., s. theologiæ professor in universitate œnipontana, prius edidit volumen secundum, postea volumen tertium suarum « Institutionum theologiæ dogmaticæ »; utriusque voluminis recensionem jam in hoc periodico conscripsimus (1). In hoc primo volumine tractat de vera religione, de Ecclesia necnon de traditione ac Scriptura sacra, in tribus libris, et appendicis instar addit ad librum tertium caput tertium, in quo de fide agit, qua creditur. Quid de argumento prioris et alterius tractatus tenendum sit, et quomodo se habeant ad theologiam presse sumptam, fusius disputavimus supra, agentes de methodo demonstrandi Ecclesiam (2); advertamus cl. A. in prolegomenis de munere theologiæ fundamentalis ejusque relatione ad dogmaticam specialem, ab initio fateri theologiam fundamentalem, spectata methodo, qua in academiis tradi solet ætate nostra, magna ex parte esse propædeuticam potius quam propriam theologiæ partem.

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXV (1925), p. 331 et XXVI (1926), p. 487 s.
(2) Vide in primo fasc. hujus anni, p. 50 s.

Tractatus primus, qui de vero religione inscribitur, reapse est tractatus de Christo divino legato, et bene ordinatur, multis allatis testimoniis quæ singulas theses probant ; notandum tamen est præcipuum argumentum esse desumendum ex miraculis et prophetiis, quæ uti dicit concilium vaticanum, « cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata » (*Const. de fide cath.*, cap. 3 coll. can. 3 et 4). — In tractatu de Ecclesia dicit A. successive de institutione et constitutione Ecclesiæ, de ejusdem proprietatibus ac notis, de ejus potestate necnon de subjecto et objecto infallibilitatis ; desiderantur autem documenta, quibus demonstratur historice romanum pontificem esse revera successorem Petri legitimum in primatu (th. 29, p. 341 s.). — Ad tractatum de traditione notemus A. optime exponere argumentum et ordinem dicendorum, unde et methodo valde systematica prosequitur totam hanc tractationem, quam recte incipit cum traditione orali, utpote quæ tempore prima Scripturam multiplici ratione adhuc antecedit.

Quod ad præcedentia volumina scripsimus, libenter ad hoc primum tomum repetimus : cl. A. theses suas clare proponit, dilucide explanat, bene probat, adeoque librum manualem, viva voce magistri utique evolvendum, theologiæ studiosis perutilem offert.

Jansen, F. X. (S. J.). *Baius et le Baianisme.* Essai doctrinal. Louvain, Museum lessianum, 1927. — In 8, XVIII-231 p. — Pr. 25 fr.

Le beau livre que vient de publier le R. P. Jansen n'est pas une biographie de ce fameux Michel de Bay, professeur de notre ancienne Université de Louvain au XVIe siècle, ni une histoire de ses erreurs, ainsi que porteraient à croire le titre même de l'ouvrage et même sa division en deux sections, de très inégale longueur, intitulées : l'homme, ses idées ; c'est bien plutôt, comme l'indique le sous-titre, un essai doctrinal sur une erreur théologique. L'importance historique de cette étude est cependant très grande ; on ne conteste plus aujourd'hui l'influence décisive qu'exerça Baius sur Jansénius ; celui-ci mit au point dans son « Augustinus » l'interprétation pessimiste de l'anthropologie augustinienne, qu'il reprit au docteur louvaniste. Le but de l'A. est donc d'écrire une étude théologique, dans laquelle, après une brève analyse du caractère et de la psychologie de Baius, analyse destinée d'ailleurs à éclairer les doctrines, il cherche à donner au lecteur une image nette et précise des erreurs essentielles de Baius concernant la concupiscence, le péché originel, la liberté, la grâce, le mérite, la charité, la justification et l'autorité du Pontife romain. Dans son premier paragraphe de la seconde section, l'A. propose comme principe de l'erreur de Baius, sa conception erronée de la condition naturelle de l'homme et la négation de la possibilité de l'état de pure nature ; il y a dans le Baianisme une confusion fondamentale entre le *fait* et le *droit*, *l'originel* et le *naturel*, qui trouve sa cause dans l'emploi d'une méthode exclusivement

positive et le dédain systématique de la philosophie. L'A. revient sur ces causes dans son dernier paragraphe : il insiste ici également sur le culte trop exclusif que Baius voua à s. Augustin et qui le porta à négliger les Pères grecs; une cause occasionnelle d'erreur se trouve d'ailleurs dans le génie du docteur d'Hippone et dans ses habitudes de polémiste. Dans les dernières pages de cette substantielle étude, remarquable surtout par la clarté de l'exposé et la netteté des appréciations de l'A., celui-ci se demande ce qui reste du Baianisme et quels sont les dangers possibles de ce côté ; on y trouve des explications très intéressantes de certaines publications modernes, par ex. de « L'Action » de M. Blondel et de la « Phénoménologie de la religion » de Max Scheler; une remarque très judicieuse également à propos de la théorie de l'appétit naturel de la claire vue de Dieu. Destinant son livre aux laïcs assez cultivés pour prendre intérêt aux idées religieuses, l'A. évite les notes au bas des pages, afin de rendre la lecture plus aisée ; en appendice il donne 1/ les propositions condamnées par la constitution « Ex omnibus afflictionibus », du 1 oct. 1567 ; suivent quelques remarques sur ces propositions ; 2/ les actes du Saint Siège dans la cause du Baianisme ; 8/ la lettre de H. Gravius à Baius, publiée le 19 juin 1697 par Martin Steyaert. Le bel ouvrage du R. P. Jansen s'impose donc également à l'attention des théologiens auxquels il facilite l'étude d'une partie difficile du traité de la grâce.

Janssens, Al. (Miss. van Scheut). *Ons verweer tegen de protestantsche predikanten.* Brugge, « Geloofsonderricht », 1927. — In 16, 95 bl.

Een degelijk werkje van *Z.* E. P. Janssens, zoo goed op de hoogte van de protestantsche leering, en bijzonder gericht tegen het spotschrift van C. Van Puyvelde, « Twee klokken », dat ook in Vlaanderen veel werd verspreid. Schrijver wêerlegt niet enkel die moeilijkheden die werden opgeworpen nopens het pausdom, de sacramenten en de vereering der heilige Maagd, doch zet tevens bondig en klaar uiteen wat de beginselen zijn van het protestantisme en hoe diep dit verdeeld is, zoodanig dat men veel durf moet hebben om aan ons vlaamsche volk te komen zeggen dat men hem het « evangelisch bijbelsch Christendom » wil terugschenken, als het nu zonneklaar is dat de zoogezegde « hervorming » op ongeveer vijfhonderd verschillende vormen van christendom uitloopt, die allen evenveel zich op den éénen Christus beroepen en enkel eensgezind zijn als het geldt de katholieke kerk te bestrijden. In zijn voorwoord geeft S. eenige nuttige inlichtingen over de werking van het protestantisme in ons vlaamsche land.

le Grand, A. *Cours de religion chrétienne.* Namur, Wesmael-Charlier, 1927. — In 8, 455 p. — Pr. 12 fr.

Monsieur le chan. A. le Grand, aumônier divisionnaire à l'Ecole des cadets et à l'Ecole centrale scientifique, sait sans doute mieux que

personne combien l'ignorance des choses religieuses est fréquente de nos jours, combien elle est profonde, souvent même chez des hommes de science ; afin de donner à tous l'occasion de connaître et d'approfondir la religion chrétienne, l'auteur expose dans le présent volume d'abord le dogme, la morale ensuite, enfin les moyens de sanctification de la religion catholique. Malgré sa concision, l'exposé est très net et très précis, les arguments sont très bien présentés, l'ensemble est très clair et très exact. De divers côtés on a signalé déjà à l'auteur certaines corrections de détail ou bien de petites modifications à introduire dans son excellent manuel, afin d'en faire un ouvrage parfait, qui fera d'ailleurs dès maintenant le plus grand bien aux étudiants et à tous ceux qui désirent développer leurs connaissances religieuses.

Fröbes, J. (S. J.). *Psychologia speculativa.* Frib. Br., Herder, 1927. — Duo vol. in 8, VIII-254 et VI-344 p. — Pr. 4 et 5.20 Mk.

Juxta tritam divisionem exponit cl. A. in priore volumine psychologiam sensitivam, in altero psychologiam rationalem ; in utraque lucubratione secundum ordinem communiter receptum agit prius de cognitione sensitiva generatim, maxime brutorum, necnon de natura animæ sensitivæ, postea de singulis facultatibus sensitivis inquirit, tandem de intellectu, voluntate et anima rationali tractat. Hæc omnia clare proponuntur, luculenter explicantur, nec inanibus ac supervacaneis subtilitatibus intrincantur aut obscurantur. In primis vult cl. A. solidam philosophiæ perennis doctrinam cum factis et legibus scientiæ modernæ in veram unitatem componere, et ad hunc finem rite prosequendum nemo sane tam aptus quam cl. A. qui nuper edidit ingens opus de psychologia experimentali *(Lehrbuch der experimentellen Psychologie*, Freiburg, Herder, 1923, 2 vol. 1300 fere paginarum), et utramque scientiam, psychologiam scilicet speculativam et empiricam, per viginti fere annos in schola jam docuit. Nos juvat etiam laudare A. de adhibita lingua latina, quæ est vere « catholica » et facilius nostris diebus relinquitur. In fine notemus domum editricem hæc nitida duo volumina multa cura, secundum morem suum, excudisse. H. Lamiroy.

Willam, F. M. *Tempelreinigung, Pilgerbuch für Zeit und Ewigkeit.* Freiburg, i. Br., Herder, 1925. — In 8, 119 p. — Pr. 3,40 Mk.

Na de heiligheid van onze kerken aangetoond te hebben, waardoor zij veel meer eerbied dan de joodsche tempel verdienen, schildert schrijver in rake tafereelen de gebreken van onze kristenen in de kerk, eerst wat hunne uitwendige houding, daarna wat hunne inwendige gesteltenissen aangaat. Zeer goed werkje om onze godsvrucht ter kerk te verlevendigen.

Imitation de J. C. méditée. Traduction rythmique d'après l'original de Thomas a Kempis avec homélie après chaque chapitre par l'abbé Dr Albin de Cigala. Bruges, Desclée-De Brouwer et Cie, 1925. — In 32, 473 p. — Pr. 8.50 fr.

Le titre ci-dessus suffit à donner une idée du genre et du contenu de l'opuscule. Ajoutons que la traduction a été couronnée par l'académie française et que Pie X l'a euc en particulière estime. Aussi devons-nous féliciter le traducteur d'avoir pu sauvegarder quelque chose de la saveur de l'original, et le commentateur d'avoir montré la profondeur et l'enchaînement de la doctrine de l'Imitation, qualités qui si souvent échappent aux lecteurs par suite de l'accoutumance.

Tanquerey, A. et **Gautier, J.** *Abrégé de théologie ascétique et mystique.* Tournai, Desclée et Cie, 1927. — In 16, xx-632 p. — Pr. 8,50 fr.

Ce résumé, destiné à l'usage des pieux fidèles, des communautés, des collèges et pensionnats catholiques est appelé à faire partout le plus grand bien ; il mérite tous les éloges qui ont été décernés ici-même au *Précis de théologie ascétique et mystique* (1).

Longhaye, G. (S. J.). *La prédication.* Grands maîtres et grandes lois. 3e éd. Paris, Téqui, 1927. — In 8, 489 p. — Pr. 20 fr.

Le P. L. est certes une « compétence » pour nous donner des conseils et des directives en vue de rajeunir et de raviver notre prédication. Il monte de la pratique à la théorie ; de l'étude des maîtres il s'achemine à l'énoncé des lois. On pourrait discuter si dans sa galerie des maîtres, son choix n'a pas été trop restreint ; mais on doit reconnaître que ceux qu'il nous propose sont de vrais maîtres : les prophètes, Jésus-Christ, les apôtres, s. Chrysostome, s. Augustin, Bossuet, Bourdaloue. Voilà certes les grands classiques français auxquels il faut revenir toujours pour apprendre, avec les préceptes éternels de l'éloquence sacrée, le secret de la nouveauté et de l'actualité la meilleure. Quant aux lois de la prédication, elles se ramènent toutes à cette règle si banale qu'on ose à peine l'énoncer : dire quelque chose à quelqu'un, le dire suivant la nature de ce quelque chose et les dispositions de ce quelqu'un. Or, que de fois le prédicateur est en péril d'esquiver le premier élément de l'éloquence : dire quelque chose, et plus encore d'oublier le second, c.-à-d. l'auditeur. En trois mots : pour bien prêcher le prédicateur doit se faire une science théologique, une langue adaptée, une âme passionnée de son objet, la parole de Dieu.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV (1924), p. 488.

Schmitt, J. *Manna quotidianum sacerdotum.* 3 vol. Ed. 5a. Friburgi Br., Herder, 1924.

Pius et doctus Dr Schmitt hic congessit pro singulis anni ecclesiastici diebus ac pro pluribus festis primo brevia puncta meditationis, quæ summatim tantum indicantur adeoque ipsi meditanti evolvenda relinquuntur; deinde preces longiores ante et post missam singulis meditationibus adaptatas; tandem in singulis tomis idem apponitur appendix, nimirum methodus meditandi, præparatio ad missam et gratiarum actio, orationes denique indulgentiis ditatæ. Opus devotioni sacerdotali nutriendæ perutile.

von Zezschwitz, G. *Persönliches Erlebnis protestantischer und katholischer Frömmigkeit.* Freiburg i. Br., Herder, 1925. — In 8, 52 p. — Pr. 1,80 Mk.

In een voorgaande boek : « *Warum Katholisch* » had schrijfster hare bekeering van 't protestantismus tot de katholieke kerk uiteengedaan, eerder op eene onpersoonlijke manier. Op aanvraag van protestanten en katholieken legt zij in deze schetsen den processus bloot van haren overgang uit de protestantsche tot de katholieke vroomheid. Uit een lutheraansch midden geboren, zocht zij gedurende tien jaren waar de echte godsvrucht te vinden is, en dit onderzoek bracht haar allengerhand tot den overgang naar de Roomsch-Katholieke Kerk. Deze langzame ontwikkeling en deze voltrekking stellen de persoonlijke zijde van deze bekeering meer in 't licht.

Brentano, M.-R. (O. S. B.). *Wie Gott mich rief.* Mein Weg vom Protestantismus in die Schule s. Benedikts. Freiburg i. Br., Herder, 1925. — In 8, x-345 p. — Pr. 6,50 Mk.

Hanny Brentano uit protestantsche ouders geboren, bleef wees op twaalfjarigen ouderdom; zij had een levendigen geest, eene opene ziel, en toonde al vroeg een groote voorliefde voor boeken. In 1900 huwde zij een katholiek Max Brentano, doch, daar zij de vereischte waarborg nopens de katholieke opvoeding der kinderen niet wilde onderteekenen, weigerde de katholieke priester dit huwelijk in te zegenen; 33 jaar oud verloor zij in tragische omstandigheden haren echtgenoot en moest met hare pen voorzien in haar levensonderhoud. Den 25 october 1908 trad zij in de katholieke kerk; negen jaren later werd zij onder de dochters van s. Benedictus opgenomen en ontving er den naam van Maria-Rafaela. Hier wordt ons die levens-en-bekeeringsgeschiedenis aangeboden; zij sluit nauw aan met de wereldgebeurtenissen dezer laatste jaren en met 't sociale en letterkundige leven van Weenen en zal daarom ook de belangstelling van den lezer in hoogen graad opwekken. Een schoon boek te meer in de reeds lange rij *Bücher der Heimkehr*.

Weisz, A. M. (O. P.). *Lebensweg und Lebenswerk.* Ein modernes Prophetenleben Freiburg i. Br., Herder, 1925. — In 8, XIV-530 p. — Pr. 8 Mk.

Onze lezers kennen allen het hoofdwerk van P. Weisz: «*Apologie des Christentums*», waarin hij op meesterlijke wijze van ethisch-cultureel standpunt uit de waarheid van 't kristendom bewijst en belicht. Dezelfde hoogbejaarde schrijver, die al de stroomingen der laatste halve eeuw in zijn land heeft medegeleefd en midden erin zoo dikwijls onvervaard de stem verhief, komt ons in dit boek overschouwend verhalen wat hij op zijn levensbaan gezien en meêgemaakt heeft. Benevens de rol van P. W. in de duitsche democratische beweging, vinden wij hier de uiteenzetting van de grondslagen zijner apologetische werkzaamheid, of, zoo hij dat noemt, van zijn prophetenambt, en daarin uiterst belangwekkende lessen.

Decoene, A. *In 's Konings dienst.* Brugge, Excelsior, 1927-8. — In 16, 271 bl. — Pr. 6 fr.

Het is een onbetwijfelbaar principe dat alwie God wil geven aan anderen, eerst zelf van God moet leven. Welnu, is dit niet de essentie van 't ambt van den kristen onderwijzer, God aan zijn kinderen te geven? Daarom dan ook moet de kristen onderwijzer iederen dag zijne ziel met God voeden, d. i. niet alleen met Jesus' Vleesch en Bloed, in de H. Kommunie, maar ook met Gods woord, in de meditatie. Hier nu biedt Dr A. Decoene hem een handboek aan waarin Gods woord als zielevoedsel opgedischt wordt. De naam alleen van den schrijver staat borg voor de waarde van den inhoud en de gepastheid van de voorstelling. Ook viel Dr Decoene de eerder-zeldzame eer te beurt een eervolle goedkeuring van Mgr Waffelaert te mogen ontvangen. Geen wonder, daar dit boek beantwoordt aan een van de innigste verlangens van *Z.* D. H.

De Busschere, A. *Gebedenkrans voor de jeugd onzer katholieke onderwijsgestichten.* 2e uitg. Brugge, Excelsior, 1927. — In 16, 541 bl.

Dit schoon boekje is niet enkel een nuttige verzameling van de bijzonderste gebeden en gezangen in gebruik in onze onderwijsgestichten, 't is tevens een praktische handleiding voor de jongere leerlingen tot een ware, diepe godsvrucht, tot 't vruchtbaar gebruik van biecht en H. Kommunie, tot levendige deelname in 't H. Misoffer, tot nuttig aanwenden van aartsbroederschap van 't H. Sacrament, Congregatie van O. L. V., Eucharistische kruistocht, H. Kindsheid. Om al die hoedanigheden weze deze *Gebedenkrans* dan ook warm aanbevolen.

Rousseau, F. *Moines Bénédictins martyrs et confesseurs de la foi pendant la Révolution.* Collection Pax, vol. XIII. Bruges, Desclée-De Brouwer et Cie, 1926. — In 12, XIV-390 p. — Pr. 15 fr.

Il n'existait jusqu'à présent aucune monographie synthétique sur la conduite de l'élite de la famille bénédictine pendant la Révolution française. L'auteur, qui s'est déjà signalé par sa remarquable étude sur *D. Grégoire Tarisse, premier Supérieur Général de la Congrégation de Saint-Maur* publiée dans la même collection, a concentré dans un ouvrage d'ensemble, l'histoire douloureuse, mais combien glorieuse, de l'illustre famille monastique pendant la grande tourmente. Il est à remarquer que l'auteur comprend la famille bénédictine dans le sens large, c'est-à-dire les religieux et religieuses qui appartiennent aux diverses branches de l'ordre de Saint Benoît. Le cadre géographique est naturellement la capitale et les provinces françaises, mais l'auteur a eu soin de ne pas exclure les Pays-Bas autrichiens, puisque ce territoire fut annexé à la République et connut les mêmes persécutions révolutionnaires. A part quelques sources manuscrites, l'auteur a surtout mis à contribution les sources éditées et les nombreuses monographies traitant de l'histoire religieuse de la Révolution. En historien consciencieux, il laisse parler les documents et les faits logiquement groupés ; sa saine critique répare plus d'une injustice et rectifie des erreurs; l'héroïsme et la sainteté de nombreux confesseurs de la foi obtiennent ainsi un relief beaucoup plus vivant que ne pourrait leur donner le panégyrique le plus éloquent. Parmi les appendices citons-en deux qui intéressent particulièrement notre diocèse : Appendice III (p. 316-323). *Moines de l'ordre de Saint Benoît émigrés dans le diocèse de Tournai*, et Appendice VI (p. 334-340). *Moines emprisonnés en Belgique sous le Directoire.* Un répertoire général et des tables onomastiques de personnes et de lieux permettent d'utiliser la richesse documentaire de cet intéressant ouvrage.

Van Reusel, J. *Mijn eerste boek.* Brussel, Standaard-Boekhandel. — In 8, 48 bl.

Een lief eerste boekskcn voor kleine kinderen, met simpele prentjes, korte zinnetjes, schoone zedelessen uit de gewijde geschiedenis. Vele kristene moeders zullen wenschen dat schrijver nog meer zulke boekskens zou uitgeven. We maken hem geern dezen wensch over.

A. Legrand.

De Schepper, Gr. (O. M. Cap.) *Conspectus generalis œconomiæ socialis.* Romæ, ap. ædes facultatis juridicæ, ad S. Appollinaris, 1927. — In 8, XXV-604 p. — Pr. 36 lib. ital.

Auctorem eximium, P. Gratianum De Schepper, Professorem Sociologiæ in facultate juridica ad S. Appollinaris, necnon œconomiæ socialis

in Collegio urbano de Propaganda Fide et apud Academiam Nobilium Ecclesiasticorum in Urbe, legitima sane lætitia qua unum ex nostris, iisque optimis hac occasione salutamus, ejusque librum de re œconomica sociali ad modum *scholastici tractatus* tanta auctoritate ac luciditate exaratum, inter præstantissima in hac materia opera recensendum opinamur.

Admirationem forte aliquam apud nonnullos prima fronte movebit linguæ latinæ usus ad materiam adeo modernam et variam innovatus. At lectori statim elucebit qua seria ratione quantoque successu auctor, in commodum tum suorum alumnorum undique terrarum ad Urbem confluentium, tum per orbem latissime sparsorum, ita egerit. Est enim, ut ipse ait, lingua latina tum ecclesiastica et catholica, i. e. vere universalis, tum vere philosophica ac scientifica, quæ « præter largiorem notitiam scientificam etiam majorem claritatem ac concisionem expositionis » præsefert.

Et revera, inter multiplices hujusmodi tractatus, tum accuratis notionibus, aptis distinctionibus, brevibus ac firmis argumentis, tum quæstionum tam theoreticarum quam practicarum lucida propositione ac prudenti, juxta catholicam doctrinam et Ecclesiæ sensum, solutione hoc opus eminet, ita ut optime verificari videatur auctoris scopus : « Tradere cultiori parti juventutis studiosæ, præcipue clericali, scientiæ œconomicæ socialis lineamenta et principia generalia, secundum jus naturale et positivum christianum catholicum, ita ut, circa res œconomicas sociales, eadem juventus recte ac vere possit cogitare, judicare, ratiocinari, nec non data ulteriore opportuna occasione, ad concretam illarum executionem et applicationem fortiter propellere ac efficaciter collaborare ».

Præmissa brevi introductione de quæstionis œconomicæ socialis natura ejusque tractatione, integer « conspectus » quinque partibus absolvitur. Pars I, introductoria, in qua « notiones præliminares » traduntur, agit tum de positione quæstionis socialis, (ubi, in cap. primo maxima perspicuitate ac luciditate variæ theoriæ et opiniones, etiam quandoque subtiliores diversarum « scholarum socialium » earumque in diversis regionibus asseclarum, paucis, vividis atque accuratis sententiis exponuntur ac dijudicantur), tum, cap. secundo de mediis privatis ac publicis, ad quæstionis solutionem concurrentibus, necnon, cap. tertio, de legibus religiosis ac moralibus in hac re a diversis œconomicis agentibus observandis.

In partibus subsequentibus (II^{a} ad V^{m}) ordo quasi classicus apud œconomiæ socialis auctores generatim usurpatus, prudenter tamen et sagaciter nonnulla utiliora apponendo vel ad aptiorem locum reducendo jam strictius observatur. Successive np. agit auctor *de divitiarum productione* (pars II^{a}), *circumlatione*, (III^{a}) *distributione*, (IV^{a}) *et consumptione* (V^{a}).

Quin nunc singula percurramus, quædam præcipua notatu digniora breviter indigitare sufficiat. Ubi v. g. in partis I^{æ} capite secundo agit de variis œconomicæ productionis agentibus, aptissime, post *laborem*, *naturam* et *capitale*, A. quartum agens, modo valde actuali exponit scil.

directionem-susceptionem, quæ revera in nostra hodierna œconomia, magis-magisque a tribus prioribus distinguitur, ac novas quæstiones (de associatione v. g. semi-capitalistica et semioperaria, de Taylorismo, de laboris standardizatione) excitat.

Ubi de divitiarum distributione et de recta remuneratione singulis agentibus œconomicis debita agit, (justum salarium, salarium familiale, quæstus, fœnus et pensio, lucrum et participatio beneficiorum), optimum interponitur caput tertium de variis mediis tum « providentiæ », (parcimonia et assecurationes sociales) tum « beneficentiæ » legalis, publicæ atque privatæ, de quibus principia catholica christiana a nonnullis neglecta vel oblivioni dedita vivide ac dilucide statuuntur.

In appendice libri utilissimus additur brevis synopticus conspectus ac deinde integer textus litterarum encyclicarum Leonis XIII, « *Rerum Novarum* », quæ ad instar fundamentalis chartæ totius doctrinæ catholicæ socialis per totum librum exhibentur. Apponuntur demum elenchus præcipuorum de hac materia variis hodiernis linguis editorum librorum, necnon alphabetici nominum ac præcipuarum rerum indices.

Hoc tam completum et nitidum opus omnibus rerum socialium atque œconomicarum cultoribus, et in specie sacerdotibus tanto zelo suique abnegatione « operibus socialibus » addictis, qua tutum ac fidum ducem enixe commendandum existimamus.

Unicum forte incommodum ab editoribus (pro futuris, quas et auctori exoptamus editionibus) removendum proponeremus : ut np. diminuta materiali exquisiti papyri mole, tam eximium opus sacerdotibus necnon seminariorum alumnis aliisque rei socialis studiosis facilius manu teri et minori pretio comparari queat.

Salsmans, J. (S. J.). *Plichtenboekje voor ziekenverpleging*. Leuven, Vlaamsche Drukkerij, 1926. — In 24, 76 bl.

Wat P. Salsmans in zijn meer uitgebreide werken « *Rechtelijke Plichtenleer* » — « *Geneeskundige Plichtenleer* » voor geneesheeren, advokaten, enz. deed, dat doet hij thans ook, doch bondiger en eenvoudiger voor verplegers (ziekenoppassers, kloosterbroeders) en verpleegsters, daarbij begrijpende kloosterzusters, sociale verpleegsters of bezoeksters in allerlei instellingen, in de nijverheid, de werkmanswoningen ; ook vroedvrouwen, kraamverpleegsters, enz.

Daar dit boekje bestemd is voor lezers en lezeressen, die meestal geen grondige philosophische vorming ontvingen, is het eerder opgevat op praktische, we zouden bijna zeggen « casuistische » wijze. De princiepen worden meer beknopt en eenvoudiger weergegeven zoodat de verpleger of verpleegster zelf niet altijd de oplossing zal vinden voor de zoo afwisselende en soms ingewikkelde gevallen die kunnen voorkomen. Daarom zegt S. zelf terecht : « Het spreekt vanzelf dat men in den regel, bij ernstigen gewetenstwijfel, een priester raadplegen moet ».

Het boekje bevat drie hoofdstukken : 1. Kennis, (aangaande Doopsel, laatste H. Sacramenten, kuischheid, eugenisme. neomalthusianisme, enz.). — 2. Zorgvuldigheid, nl. plichten van rechtvaardigheid en en christelijke naastenliefde. — 3. Kieschheid, tegenover den zieke, tegenover de anderen, tegenover zichzelf. In een aanhangsel geeft Schrijver, de gebeden die bij de toediening van de laatste HH. Sacramenten menigmaal ook voor de verpleegsters zullen nuttig zijn. De naam alleen van den Schrijver zegt genoeg om verdere aanbeveling overbodig te maken. Moge dit « Plichtenboekje » in de handen van alle verplegers en verpleegsters als een onmisbaar « vade-mecum » dienst doen.

Schilling, O. *Christliche Geseltschaftlehre.* — Freiburg i. Br., Herder, 1926. — In 8, 116 p. — Pr. 2,50 Mk.

Eximius Auctor, Otto Schilling, S. Th. et Rer. pol. D., professor in Universitate Tübingana, in hoc opusculo (conscripto pro collectione « *Schriften zur Deutschen Politik* »), syntheticam et utilem expositionem tradit de « principiis fundamentalibus sociologiæ christianæ seu ethicæ socialis christianæ ». In parte prima dilucide ostendit — modo omnino generali, — quæstiones sociales et politicas solvendas esse secundum leges morales quæ in jure naturali et in doctrina Evangelii statuuntur. In secunda parte hæc generalia principia ad quædam præcipua doctrinæ puncta applicat, speciatim quod attinet familiam, proprietatem privatam, laborem et justam laboris remunerationem atque organicam societatis structuram. In tertia parte disserit concinne et lucide de Capitalismo, necnon de Socialismo, cujus fundamenta et exigentias exponit ac di'udicat.

Prims, Fl. *Beknopte Staatshuishoudkunde, opgevat naar de organische beginselen der encyc. « Rerum novarum », en voor Belgie bewerkt.* — Antwerpen, Geloofsverdediging, 1927. — In 8, 243 bl. — Pr. 15 fr.

Met voldoening begroeten wij deze 2e uitgaaf in boekvorm (1) van het degelijk handboek waarin E. H. Floris Prims de hoofdbegrippen weergeeft van het grootsche standaardwerk (in 5 boekdeelen, 1904-1923) door den duitschen socioloog, pater H. Pesch, In de vóórrede van zijn eerste uitgaaf zei S. terecht : « Dit is een poging tot *juistere opvatting* van de staatshuishoudkunde : de klassieke staatshuishoudkunde was en is een *goederenleer ;* de *ware* staatshuishoudkunde moet zijn een *volkswelvaartleer* » (bl. 5), die nl. rekening houdt met den *vrijen* en sociaal-aangelegden *mensch*, en met de beteekenis van *zedeleer* en *geweten* in zake sociale en œconomische verhoudingen, vrije vereenigingen en staatsbemoeiing.

---

(1) Een 1e maal verscheen het in vorm van bijdragen in het flinke tijdschrift « *De Gids op Maatschappelijk gebied* », Mei-December 1923.

De 2e uitgaaf, herzien en bijgewerkt door M. René Carels, biedt geen aanzienlijke veranderingen aan, vergeleken met de eerste; alléén worden, waar mogelijk is, de jongste na-oorloogsche cijfers en statistieken uit zekere, meestal officieele, bronnen aangegeven. Thans wordt ook (in n. 221) de aandacht gevestigd op de gevolgen der geldontwaarding in Belgie, en op het nieuwe muntstelsel bij ons in 1926 ingevoerd, stelsel dat steunt op goud-basis alleen. (Gold-exchange-standard). In n. 241 meent S. nu ook, ingezien zijn bijzondere œconomische en internationale positie, dat Belgie eerder aangewezen is op « vrijhandelspolitiek »; die kwestie wordt echter nog steeds fel betwist. Dit deugdelijk « opvoedingswerk », naar 't woord van S. zelf, (bl. 9), zij dan ook hiermede warm aanbevolen aan al degenen, die met de taak der sociale en œconomische opvoeding van ons volk bezig zijn.

Clément, G. *Le droit de l'enfant à naître.* Ed. 2e. Bruges, Beyaert, 1927. — In 12, 120 p. — Pr. 6 fr.

Le nom du Docteur Clément, chef du service de chirurgie aux hôpitaux de Fribourg, et membre de la Société de Gynécologie de la Suisse Romane, est connu bien au-delà des frontières de son pays, non seulement à cause de la compétence de cet éminent gynécologue et chirurgien, mais encore pour la vaillante campagne qu'il mène depuis des années contre la plaie antisociale et antichrétienne de l'avortement soi-disant « thérapeutique ». Dans ce petit ouvrage, l'A. commence par constater, en se basant sur des données physiologiques, que l'enfant, dès sa conception dans le sein de la mère, est bien un être humain, vivant de sa vie propre, distinct de l'organisme maternel, et par conséquent un individu, « *une personne morale et juridique, sujet de droits inaliénables et imprescriptibles* » (p. 22).

Dès lors, l'enfant, avant sa naissance, a droit à la vie, non pas un droit subordonné à celui de la mère, mais un droit égal, et de même dignité, justement défendu par la loi naturelle et par le commandement divin : « non occides ». — Les objections les plus communément opposées à ce principe, telles que : « l'enfant peut être considéré comme un agresseur injuste ; — l'enfant est de moindre valeur sociale que la mère », sont réfutées avec éloquence et chaleur et habilement rétorquées contre ceux-mêmes qui les proposent. — Reste cependant la grave et parfois angoissante question des *conflits* entre le droit à la vie de l'enfant et celui de la mère. Le Dr Clément défend ici la loi naturelle et la doctrine de l'Eglise, en montrant la nécessité d'une règle absolue, interdisant tout acte intrinsèquement mauvais, toute intervention directement occisive du fœtus, l'application de cette loi dût-elle aller parfois jusques à exiger le « martyre du devoir ». D'ailleurs, cette loi n'est pas si funeste à la mère qu'elle ne le semble au premier abord. L'A. prouve en effet, — faits et témoignages des plus autorisés à l'appui — que ces cas de « conflit aigu » sont *extrêmement rares*, et que de nos jours, grâce aux progrès continuels de la

science et de la pratique gynécologiques et obstétricales, l'énorme majorité des cas peut se résoudre par des moyens thérapeutiques qui sauvegardent la vie de l'enfant, et n'exposent la mère qu'à un minime danger; danger souvent bien moindre que le péril suscité par des interventions abortives. Ce livre intéressera certes en premier lieu les médecins et les étudiants en médecine. Il leur fournira une arme de plus pour repousser les sollicitations — hélas si fréquentes de nos jours — de mères malheureuses ou coupables, et pour surmonter une fausse « pitié », qui pourrait entraîner à une intervention nettement illicite. Parmi les non-médecins à qui s'adresse l'A., les membres du clergé seront, croyons-nous, les premiers à s'y intéresser et à se réjouir de ce qu'une fois de plus la véritable science vient éloquemment confirmer la doctrine catholique.

Et. Willems.

Opera ad redactionem missa (1).

Alphonse de Ligori (Saint). *Conformité à la volonté de Dieu* Esschen, Imprimerie St-Alphonse, 1927. — In 16, 78 p. — Pr. 2 fr.

Alphonsus-M. (Heilige). *Gelijkvormigheid met Gods wil.* 2e uitg. en *Wijze om met God vertrouwelijk om te gaan.* 2e uitg. herwerkt door P. L. De Bast. Esschen, St-Alphonsusdrukkerij, 1927. — In 24, 150 bl. en in 16, 70 bl. — Pr. 2 fr. en 1.50 fr.

Aertnys, P. J. (c. ss R.). *Compendium liturgiæ sacræ.* Ed. 9. Torino, Marietti, 1927. — In 8, VIII-192 p. — Pr. 11 lib. ital.

Berlière, U. *L'ascèse bénédictine des origines à la fin du XIIe siècle* Bruges, Desclée, 1927. — In 8, XI-282 p. — Pr. 20 fr.

Bertault, Ph. *Bossuet intime* (avec gravures). Bruges, Desclée, 1927. — In 8, XI-161 p.

Bontoux, H. *Les étapes de Déhival dans les voies de l'amour.* 3e éd. Paris, Beauchesne, 1926. — In 8, 634 p. — Pr. 16 fr.

Brou, A. *Le dix-huitième siècle littéraire.* Paris, Téqui, 1927. — In 8, 465 p. — Pr. 12 fr.

Cance, A. *Le code de droit canonique.* Vol. I. Paris, Lecoffre, 1927. — In 8, VIII-483 p. — Pr. 25 fr.

Cayre, F. (A. A.). *La contemplation augustinienne.* Paris, Blot, 1927. — In 8, XII-337 p.

Chaminade, G. J. *Petit traité de la connaissance de Marie.* Paris, Téqui, 1927. — In 16, VI-114 p. — Pr. 3 fr.

Chometon, A. (S. J.). *Le Christ, vie et lumière.* Paris, Lethielleux, 1927. — In 8, VII-556 p. — Pr. 40 fr.

Chrétien, P. *De matrimonio prælectiones.* Metis, « Imprimerie lorraine », 1927. — In 8, VII-332 p. — Pr. 25 fr.

Cimetier, F. *Pour étudier le code de droit canonique.* Paris, Lecoffre, 1927. — In 12, VI-245 p. — Pr. 12 fr.

Clemens-Joseph a pretº Sanguine (Ongeschoeide-Karmelict). *Inwendig bidden*, volgens den h. Joannes van het Kruis. Gent, Karmelieten klooster, 50 Burgstraat, 1927. — In 12, 132 bl. — Pr. 5 fr.

(1) Operum quorumdam, quæ hîc tantummodo indicantur, recensiones in proximis fasciculis parebunt.

Colli-Lanzi, C. *Theologia moralis universa juxta cod. jur. can.* Vol. I. Taurini, Marietti, 1926. — In 8, XXVII-362 p. — Pr. 15 lib. ital.

Cremers, V. (S. J.). *Kerk en Staat.* Leerboeken der Dogmatica, VI. Brussel, Standaard-Boekhandel, 1927. — In 8, XIV-149 bl. — Pr. 14 fr.

Croegaert, A. *Het ceremoniale der acolieten.* — *Word misdienaar.* Lophem, Abdij van S.-Andries, 1927. — In 16, 143 en 78 bl. met platen.

Cruysbergs, K. *Onze Verlossing.* Zes vastenpreêken. Antwerpen, N. V. « Leeslust », 1927. — In 12, 68 bl. — Pr. 6 fr.

Daeschler, R. (S. J.). *La spiritualité de Bourdaloue.* Louvain, Museum lessianum, 1927. — In 12, 194 p.

Daurignac, J. *Histoire de saint Louis de Gonzague.* 6e éd. Paris, Téqui, 1927. — In 12, VIII-361 p. — Pr. 10 fr.

de Barbezieux, Al. (O. M. C.). *Lectures évang.* pour le mois de Marie. Paris, Téqui, 1927. — In 8, 360 p. — Pr. 10 fr.

de Ghellinck, J. (S. J.). *Les franciscains en Chine aux XIII-XIVe siècles.* Louvain, Coll. « Xaveriana », 1927. — In 32, 39 p.

De Nolf, A. (C. SS. R.). *Wereldkoning. Het euch. Hart van Jezus.* Brugge, Beyaert, 1927. — In 12, 190 p. — Pr. 8 fr.

de Salinis (S. J.). *Marins et missionnaires.* 11e éd. Paris, Téqui, 1927. — In 8, 290 p. — Pr. 20 fr.

d'Espiny, P. (Dr). *La psychothérapie du Dr Vittoz.* Paris, Téqui, 1927. — In 8, 40 p. — Pr. 2 fr.

Dieu et ses infinies perfections. Esschen, Librairie St-Alphonse, 1926. — In 8, XII-310 p. — Pr. 16 fr.

Dourche, J. M. (O. S. M.). *La Vierge toute sainte.* Bruges, Desclée, 1927. — In 8, 326 p.

Drehmanns, Fr. *O. L. V. van het H. Hart van Jezus.* Abdij Averbode, 1927. — In 8, 206 bl. — Pr. 7.50 fr.

Duchaussois, P. J (S. M.). *In de ijsvelden van den poolcirkel.* Vrij bewerkt naar 't fransch door P. Peskens, O. M. I. Leuven, Vl. Boekenhalle, 1927. — In 8, 365 bl. — Pr. 17.50 fr.

Dupanloup (Mgr). *Conférences aux femmes chrétiennes.* 6e éd. Paris, Téqui, 1927. — In 8, XVI-429 p. — Pr. 10 fr.

Duplessy, E. *Le catéchisme en problèmes.* Cours moyen. Paris, Téqui, 1927. — In 8, 305 p. — Pr. 9 fr.

Id., *Sermons de carême.* Paris, Téqui, 1927. — In 12, 131 p. — Pr. 5 fr.

Eeckels, C. *De gelukz. Anna van den h. Bartholomeus.* Brugge, « Excelsior », 1927. — In 8, 95 bl. — Pr. 5 fr.

Id., *St Franciscus wereldvaart.* Drama in vier bedrijven. Brugge, « Excelsior », 1927. — In 8, 122 bl. — Pr. 10.40 fr.

Beckhout, J. *Proza van vlaamsche priesters.* IIe deel. Brugge, « Excelsior », 1927. — In 8, 233 bl. — Pr. 11.70 fr.

Extractum e Rituali depromptum ad commodum parochorum cum cantu emendato. Mechliniæ, Dessain, 1927. — In 4 parvo, 119 p. — Pr. (tela, fol. rub.) 16 fr.

Faber (Oratorien). *La dévotion au Pape.* 11e éd. Paris, Téqui, 1927. — In 12, 27 p. — Pr. 1 fr.

Fahsel, H. *Des hl. Thomas von Aquin Kommentar zum Römerbrief.* Freiburg im Br., Herder, 1927. — In 8, XVI-512 p. — Pr. 12 Mk.

Fallize, J. B. (Mgr). *Monnikken en Jezuïeten.* Vert. uit het Noorsch door Fr. A. Metz, O. Cist. Zout-Leeuw, Peeters, 1927. — In 8, 154 bl. — Pr. 10 fr.

Gatterer, M. (s. J.). *Praxis celebrandi functiones ordinarias sacerdotales.* 2a ed. Œniponte, Rauch, 1926. — In 16, XIX-400 p. — Pr. 5 Mk.

Grimaud, Ch. *Ma messe.* Paris, Téqui, 1927. — In 8, VIII-262 p. — Pr. 9 fr.

Hoornaert, G. (s. J.). *A propos des évangiles.* Bruxelles, Dewit, 1927. — In 8, 488 p.

Janssens, Al. (C. I. C. M.). *God als Schepper.* Leerb. der dogmatica, II. 2e uitg. Brussel, Standaard-Boekhandel, 1927. — In 8, XVII-246 bl. — Pr. 18 fr.

Janssens, R. *Begrippen van gregoriaanschen zang.* Mechelen, Dierickx-Beke, 1927. — In 8, 113 bl. — Pr. 6 fr.

Jésus en croix ou la Science du crucifix. Méditations par les Pères Pierre-Marie et Jean-Nicolas Grou, S. J. Nouv. éd. par le P. A. Cadrès. Paris, Téqui, 1927. — In 16, XV-236 p. — Pr. 3.50 fr.

L'amour du Cœur de Jésus contemplé avec les saints et les mystiques de l'ordre de Saint-Benoît. Coll. « Pax », v. XXVI. Maredsous, 1927. — In 8, XVI-231 p. — Pr. 10 fr.

Lanier, H. *Guide pratique de la procédure matrimoniale en droit can.* Paris, Téqui, 1927. — In 8, XV-81 p.

L'année liturgique d'après s. Gertrude et s. Mechtilde, I. Coll. « Pax », v. XXVII. Maredsous, 1927. — In 8, LV-178 p. — Pr. 10 fr.

Laveille, E. (s. J.). *Le Père Adolphe Petit, S. J.* (1822-1914). Louvain, Museum lessianum, 1927. — In 8, XVI-295 p.

Lavergne, C. (O. P.). *Synopse des quatre évangiles* d'après la Synopse grecque du R. P. Lagrange. Paris, Lecoffre, 1927. — In 8, 267 p. — Pr. 15 fr.

Le bienheureux J. de Avila. Lettres de direction. Trad. et notes par J. M. de Buck, S. J. Louvain, Museum lessianum, 1927. — In 12, 316 p. — Pr. 18 fr.

Leclercq, J. *Leçons de droit naturel.* Vol. I. Namur, Wesmael-Charlier, 1927. — In 8, 271 p.

Le Gouvello, H. *Le pénitent breton Pierre de Keriolet.* Ed. 5e. Paris, Téqui, 1927. — In 8, VI-412 p. — Pr. 10 fr.

Les élites en pays de mission. Compte rendu de la cinquième semaine de missiologie de Louvain. Museum lessianum, 1927. — In 8, 254 p.

Les épîtres de s. Paul (Aux hébreux, à Timothée et à Tite). Esschen, Imp. St-Alphonse, 1927. — In 8, 319 p. — Pr. 20 fr.

Louis de Blois. *Le guide spirituel.* Trad. F. de Lamennais. Nouv. éd. suivie des maximes spirituelles de s. Jean de la Croix. Paris, Téqui, 1927. — Id 16, XVI-164 p. — Pr. 3.50 fr.

Louis de Blois. Sa vie et ses traités ascétiques. I. Esquisse biogr. par les Bénédictins de Saint-Paul de Wisques. Coll. « Pax », v. XXV. Maredsous, 1927. — In 8, 181 p. — Pr. 7.50 fr.

Macaigne, R. *L'équivoque du laïcisme.* Paris, Téqui, 1926. — In 12, VII-122 p. — Pr. 5.50 fr.

Marie-Claire de Jésus (Carmélite). *Saint Jean de la Croix.* Sa liturgie commentée. II. Avec une biographie de l'auteur. Malines, Carmel, s. d. — In 8, VIII-330 p.

Marion, L. *Histoire de l'Église.* 9e éd. revue par V. Lacombe. Vol. I. Paris, Téqui, 1928. — In 8, XVIII-677 p.

Martens, J. B. (Kanunnik). *Schetsen uit de dierenwereld.* Brugge, « Excelsior », s. d. — In 8, 184 bl. — Pr. 8 50 fr.

Maurand, A. *Rome conquise ou les dieux s'en vont.* Paris, Téqui, 1927. — In 8, 47 p. — Pr. 2 fr.

Mazeau, H. *Hélène de Jaurias.* Sœur de charité. 16e mille. Paris, Téqui, 1928. — In 12, XVI-307 p. — Pr. 10 fr.

Meersdom, C. (c. ss. R.). *Zielevoedsel.* Esschen, St-Alphonsus-drukkerij, 1927. — In 12, 129 bl. — Pr. 7 fr.

Méric. T. (Mgr). *L'imagination et les prodiges.* Nouv. éd. Paris, Téqui, 1927. — Deux vol. in 8, XXXI-316 et 329 p. — Pr. 20 fr.

Mersch, E. (s. J.). *L'obligation morale principe de liberté.* Louvain, Museum lessianum, 1927. — In 8, 166 p.

Millot, J. *Plans de sermons de retraites.* Paris, Téqui, 1927. — In 12, 273 p. — Pr. 10 fr.

Monin, G. *Vade-Mecum fidelium ad officia sacra* et *Laudes vespertinæ seu melodiæ ad laudes vespertinas.* Tournai, Desclée, 1927. — In 8, 113 et 164 p.

Morice, H. *Pour vivre en beauté.* Paris, Téqui, 1927. — In 8, VIII-200 p. — Pr. 6 fr.

Nous ! Laissons-le règner. Il nous sauvera. Bruges, Desclée, 1927. — In 8, 297 p.

Office des défunts. Traduit et commenté par les Bénédictines de S.-Louis du Temple. Lophem, Abbaye de St-André, 1927. — In 18, 94 p. — Pr. relié 6 fr.

Ojetti, B. (s. j.). *Comment. in codicem juris canonici.* Vol. I. Romæ, Univ. greg., 1927. — In 8, VIII-854 p.

Pègues, Th. (o. p.). *Commentaire français littéral de la Somme théologique.* t. XVII. Les sacraments. Baptême. Confirmation. Toulouse, Privat, 1927. — Gr. in 8, VIII-461 p.

Philippe, A. (c. ss. r.). *Vivre la Trinité et Jésus ou la théologie vécue.* Esschen, Librairie St-Alphonse, 1926. — In 12, 258 p. — Pr. 9 fr.

Plus, R. (s. j.). *Hoe zullen we altijd bidden.* Vert. Eleutheer van Lichtervelde, O. M. C. Brugge, Beyaert, 1927. — In 12, XIV-126 bl. — Pr. 5.50 fr.

Prims, Fl. *De sociaal-economische geschiedenis van België* 2de uitg. Brugge, « Excelsior », 1927. — In 8, 187 bl. — Pr. 7.80 fr.

Prosper d'Enghien (Cap.) *Père Piat de Mons* (Chan. Loiseaux). Mons, 15 Rue A. Masquelier, 1927. — Gr. in 8, 232 p. — Pr. 10 fr.

Prümmer, D. M. (o. p.). *Manuale juris canonici.* 4 et 5 ed. Frib. Br., Herder, 1927. — In 8, XLV-741 p.

Rimbault, L. *Outre-Tombe !...* Paris, Téqui, 1927. — In 16, 171 p. — Pr. 3.50 fr.

Rituale romanum ad normam codicis accommodatum. Taurini, Marietti, 1926. — In 12, 700 p. — Pr. 24 lib. ital.

Rituale parvum. — In 24, 520 p. — Pr. 12 lib. ital.

Brevis collectio ex Rituali romano. — In 24, 288 p. — Pr. 7.75 lib. ital.

Roland-Gosselin (Mgr). *Lettres à un retraitant.* Paris, Téqui, 1927. — In 32, 76 p. — Pr. 2.25 fr.

Rouzic, L. *La famille.* Paris, Téqui, 1927. — In 32, XIV-416 p. — Pr. 5 fr.

Id., *Le père.* Paris, Téqui, 1927. — In 32, IX-288 p. — Pr. 5 fr.

Id., *Sur les pas de saint L. de Gonzague.* Paris, Téqui, 1926. — In 12, 182 p. — Pr. 5 fr.

Ruts, C. *De apocriefen uit het N. T.* Brussel, J. Felix, 1927. — In 8, XXII-264 bl. — Pr. 15 fr.

Simon, H. (c. ss. r.). *Prælectiones biblicæ in N. T.* 2 et 3 ed. Taurini, Marietti, 1926-1927. — In 8, XXXII-652 et XXVIII-527 p. — Pr. 35 et 32 lib. ital.

Sprengers, V. A. *Conferentiæ ad usum sacerdotum pro recollectione menstrua.* Torino, Marietti, 1927. — In 16, 468 p. — Pr. 15 lib. ital.

Ter Haar, Fr. (C. SS. R.). *De occasionariis et recidivis.* Torino, Marietti, 1927. — In 8, XVI-449 p. — Pr. 30 lib. ital.

Théodore de S. Joseph (C. D.). *Vers l'union parfaite selon s. Jean de la Croix.* Gand, 50 rue de Bruges, 1927. — In 8, VIII-88 p. — Pr. 3 fr.

Thévenot (Chan.). *La jeune fille à l'école de s. Marg.-Marie.* Paris, Téqui, 1927. — In 12, 156 p. — Pr. 4 fr.

Tissier (Mgr). *La femme française.* Hier-Aujourd'hui-Demain. Paris, Téqui, 1927. — In 18, 126 p. — Pr. 5 fr.

Vallet, A. (Dr). *Guérisons de Lourdes en 1926.* Paris, Téqui, 1927. — In 8, XVI-158 p. — Pr. 5 fr.

Van der Mueren, A. *Bij de ware levensbronnen.* Pæd. studiën, XXIII. Leuven, Vlaamsche Drukkerij, 1927. — In 8, VII-443 bl. — Pr. 20 fr.

Van Maele, B. (O. Praem.). *De euch. kruistocht voor kinderen.* Abdij Averbode, 1927. — In 12, 236 bl. — Pr. 7 fr.

Id. *De euch. kruistocht voor volwassenen.* — In 12, 111 bl. — Pr. 3,50 fr.

Volledig roomsch-katholiek kerkboek. Modern muziek, latijnsche tekst en nederlandsche vertaling. — Mechelen, Dessain, 1927. — In 12, 2048 bl. — Pr. ingenaaid 22 fr.; lijnwaad, roode snede 30 fr.

von Keppler (Mgr). *Lijdenschool.* Vert. door H. Van Hoeck. Leuven, Vl. Drukkerij, 1927. — In 8, 156 bl.

Vromant, G. (C. I. C. M.). *De bonis temporalibus Ecclesiæ.* Louvain, Museum lessianum, 1927. — In 8, XIV-396 p.

Yves-Marie (O. Cist.). *Petite Reine.* La jeunesse, le carmel, le ciel, la pluie de roses. Paris, Téqui, 1927. — In 16, 23 p.

Zimmerman, B. (P. Benoît-Marie de la Ste-Croix, carme déchaussé). *Les saints déserts des carmes déchaussés.* Paris, Librairie Art cathol., 1927. — In 16, 233 p. et 23 gravures. — Pr. 15 fr.

INDICES

I.

INDEX ARTICULORUM

Documenta romana (1)

Acta Pii PP. XI Pag

1927 febr. 24 *Declaratio* circa veniam legendi « L'Action française » 208
» sept. 4 *Breve* concedens indulgentiam plen. recitantibus tertiam partem Rosarii coram SSmo . . . 456
» sept. 9 *Litteræ apostolicæ* de sodalitio « Ligue du Christ-Roi » 452

E Supr. S. Congr. S. Officii

1914 jun. 10 * De crucifixis « toties quoties » 233
1926 dec. 29 Damnatio operum quorumdam C. Maurras et ephem. « L'Action française » 66
1927 maii 3 Instructio de sensuali et sensuali-mystico litterarum genere 209
» junii 2 * Declaratio circa decretum de authentia I Jo., v, 7 452
» julii 8 Dubium de conventibus ad promovendam unitatem omnium christianorum 377
» sept. 19 In indicem refertur opus « L'Action française et le Vatican » 377

E S. Congr. de disciplina Sacramentorum

1927 febr. 4 De facultate facta sacerdotibus-adoratoribus infirmis communicandi jejunio non servato . . 299

E S. Congr. Concilii

1927 febr. 22 Decretum de sacerdotibus magisterii munus gerentibus in publicis scholis 142

(1) Decreta, quæ asterisco * notantur, in hoc periodico adnotationibus illustrantur.

Pag.

1927 mart. 15 *Romana et aliarum.* Dubia de interdicenda actione politica viris ecclesiasticis 142
» maii 17 Epistola ad Ordinarios Belgii de instructione religiosa et catechetica 300

E S. Congr. de religiosis

1926 nov. 9 Circa auctoritatem Ordinarii permittendi transitum monialium ab uno monasterio ad aliud. . 68

E S. Congr. de Propaganda Fide

1927 mart. 28 * Litteræ Emin. Card. Van Rossum ad declarandas facultates sacerdotum unionis cleri pro missionibus 457

E S. Congr. Rituum

1925 dec. 9 Privilegium celebrandi missam votivam de ss. Corde conceditur sodalibus unionis apost. 456
1926 april. 14 Rescriptum de Opere de Prop. fide . . . 145
» nov. 24 *Urbis et Orbis.* Add. et var. in festo s. Joannis a cruce 147
1927 april. 27 *Romana.* Instructio circa missas in oratione XL horarum. 213
» julii 13 * Decretum de officio et missa s. Teresiæ ab infante Jesu 378
» » 27 * Dubium de missa coram SSmo exposito . . 380

E S. Congr. de Seminariis et Universitatibus studiorum

1927 april. 29 Declaratio de stato curriculo philosophiæ schol. elaborando 204

E. S. Pœnitentiaria apostolica

1926 nov. 10 Dubia de potestate Episcoporum quasdam facultates communicandi 69
1927 febr. 15 Actus sol. dedicationis generis humani ditatur indulgentiis 302
» mart. 8 Dubia soluta circa « L'Action française » . . 148

E Pont. Commissione ad interpr. can. Codicis

1927 mart. 6 De confrat. SSmi Sacramenti 150
» » » De indice taxarum funeralium 151

—

Conferentiarum quæstiones et responsa

E s. Scriptura V. T.

De restauratione judaïca 327, 406

Pag.

E s. Scriptura N. T.

In Jo., xi, 1-11 homilia 3
In Jo., vi, 1-15 homilia 26
In Jo., xvi, 23-30 homilia 81
In Jo., viii, 46-59 homilia 105
In Jo., xx, 19-31 homilia 161
Parabola boni pastoris — Jo., x, 1-16 185
De pericopa græcorum 241
De lotione pedum apostolorum 268
Do sanatione cæci nati 353

E s. theologia dogmatica

E tractatu de Verbo incarnato

De Christo Deo-homine 6
De unione hypostatica 28
De scientia Christi generatim 85
De scientia Christi naturali 108
De communicatione idiomatum 165
De impeccabilitate Christi 190
De duplici voluntate Christi 247
De voluntate humana Christi 275

E tractatu de Deo redemptore

De munere Christi mediatoris 334
De munere prophetico Christi 358
De munere sacerdotali Christi 413

E s. theologia morali

E tractatu de ss. Eucharistia

De jejunio eucharistico. 11
De defectibus missæ 32
De interruptione missæ. 89
Casus de jejunio eucharistico 118

E tractatu de pœnitentia

De materia remota sacr. pœnitentiæ 112
De præcepto annuæ confessionis 170
De constitutivis sacr. pœnitentiæ 193
De peccato mortali dubie commisso 250
De proposito non peccandi de cetero 253
De virtute pœnitentiæ 282, 339
De notione pœnitentiæ formalis et materialis 362
De remissione peccatorum mortalium 365
De necessitate pœnitentiæ 423

Pag.

E tractatu de indulgentiis

De actu heroico caritatis 38
De indulgentiis realibus 121
De altari privilegiato pro vivis 197
De crucifixo bonæ mortis 288
De cessatione indulg. juxta can. 924 § 2 368

E s. LITURGIA

De habitu liturgico in administrandis sacramentis 21
De modo conferendi baptismum per infusionem 100
De cura sacræ suppellectilis 180
De ordine baptismi adultorum 262
De baptisterio et fonte baptismali 346
De loco confessionis excipiendæ 431

E JURE CANONICO

De prohibitione librorum 44, 128, 200, 293, 372

KERKGESCHIEDENIS

Het apollinarisme 15
Het nestorianisme vóór Nestorius 94
Nestorius en het nestorianisme 175
Veroordeeling van het nestorianisme 256
Het nestorianisme na het concilie van Ephese 343
Het monophysisme 428

Dissertationes

De methodo demonstrandi Ecclesiam 50
De æterna generatione Verbi 133
De processione Spiritus sancti 216
De laudibus matutinis 383, 448
Doctrina Christi de regimine bonorum temporalium . . . 436

—

Analecta ascetica et mystica

Quædam notabilia de doctrina mystica, præprimis s. Joannis a cruce 321
Pretiosa quædam consilia in ordine ad vitam mysticam . . 401

—

Consultationes

Circa preces post missam privatam 70
De laudibus vespertinis. 152

Pag.
De licentia legendi scripta prohibita 153
De indulgentia « toties quoties » adnexa crucifixis . . 232
De usu pecuniarum confraternitatum 390
De imperata « Pro Papa » 391
De cantu « Ave Maria » in laudibus vespertinis 392
De litaniis recitandis in laudibus vespertinis 393
De modo agendi cum moribunda acatholica 459
De portione parœciali 460
Over processie en wegversperring 461

Legislatio civilis

Lex 20 martii 1927 de separatione corporum 303
Koninklijk besluit van 8 april 1927. — Gestichte kerkdiensten . 228

Libri dijudicati

ALLOSSERY, P. Het gildeleven in vroeger eeuwen . . . 238
Autour du problème de l'adaptation 315
AVANCIN, M. (s. J.). Méditations. N. éd. par le P. J. BUSÉE. . 160
BAINVEL, J.-V. De vera religione et apologetica. . . . 73
BEAUFAYS, I. (o. F. M.). Saint Paul 466
ID., Comm. des évangiles de l'année liturgique . . 467
BEELEN, Jo. TH. (N. T., I, 1-2). Het Evangelie volgens Mattheus en Marcus. Aangeteek. door A. VANDER HEEREN . . . 155
BERLIÈRE, U. (o. s. B.). La dévotion au sacré Cœur dans l'ordre de S.-Benoît 314
Biblia sacra [ed. Desclée] 467
BLUDAU, A. Die ersten Gegner der Johannesschriften . . 465
BRENTANO, R.-M. Wie Gott mich rief 473
CAPPELLO, F. M. Tract. can.-mor. de censuris 80
CASTEL, A. (o. s. B.). Les belles prières de s. Mechtildis et s. Gertrude 317
CAVALLERA, F. Thesaurus doctrinæ catholicæ 308
CIPOLLINI, A. D. De censuris latæ sententiæ 80
CLÉMENT, G. Le droit de l'enfant à naître 479
CORNELY, R.-MERK, A. Compend. introd. in s. Script. libros . 464
CUTHBERT, P. (o. M. C.). Leven van s. Franciscus van Assisië. Vert. P. ELEUTHEER VAN LICHTERVELDE. 76
DE BUSSCHERE, A. Gebedenkrans voor de jeugd. . . . 474
DECOENE, A. In 's konings dienst. 474
DEDERICHS, W. Predigt-Gedanken 400
DEHON, J. L. Etudes sur le sacré Cœur de Jésus. . . . 313
DEMEULDRE, P. Les peuples anciens de l'Orient. . . . 466
DE MOREAU, E. (s. J.). Saint Amand 236

Pag.

De Schepper, Gr. (o. m. c.). Conspectus generalis œconomiæ socialis 475
Desmet, A. Tract. de sponsalibus et matrimonio . . . 156
Dolan, G. (o. s. b.). Sainte Gertrude 318
Donders, A. Het bitter lijden van Onzen Heer J.-C. . . 311
Dorsch, E. (s. j.). De inspiratione S. S. 2 ed. 234
Dumoulin, L. (s. j.). De jesuiten-orde en hare belg. missiën. . 236
Entretiens spirituels de s. Anselme 316
Esser, F. X. (s. j.). Zepter und Schlüssel in der Hand des Priesters 320
Fredegand (o. m. cap.). Zeven eeuwen geschiedenis der franc. D. O. 310
Fröbes, J. (s. j.). Psychologia speculativa. 2 vol. . . . 471
Gabriel, J. Zorobabel 399
Galtier, P. (s. j.). De incarn. ac de redemptione . . . 309
Gebedenboek. — « Geloofsonderricht », Brugge. . . 240
Golla, E. Zwischenreise und Zwischenbrief 465
Gontier, P. Règlement de vie sacerdotale 79
Hatler, Fr. (s. j.). Jesus H. Hart. 5e uitg. door A. Botsch. Vert. Chr. Schets 313
Hontheim, J. (s. j.). Theodicea sive theologia naturalis . . 395
Hugon, E. (o. p.) Tractatus dogmatici. 3 vol. 467
Huonder, A. (s. j.). Zu Füszen des Meisters. II. Aan 's Meesters voeten. II. 312
Imitation de J.-C. méditée 472
Indica mihi. Médit. trad. M.M. Sabyeys 312
Irmine (Madame). Het dagelijksch brood der kleinen. . . 77
Jansen, F. X. (s. j.). Baius et le Baianisme 469
Janssens, Al. (c. i. c. m.). De H. Maagd en Moeder Gods. Eerste deel. 75
Id., Ons verweer tegen de protest. predikanten . . 470
Kanters, Ch. (Pr. du S.-Cœur). Le Cœur de Jésus dans la trad. cath. 3 vol. 314
Keulers, J. Die eschat. Lehre des vierten Esrabuches . . 465
Kœniger, A. M. Kathol. Kirchenrecht 157
Kortleitner, F. X. (O. Præm). Quæstiones de V. T. et comp. relig. hist. — De religione populari Israëlitarum. — De judæorum in Elephantine-Syene colonia. 397
La mère Jeanne Deleloë 318
Laveille, E. (s. j.). L'évang. au centre de l'Afriqne. . . 315
le Grand, A. Cours de religion chrétienne. 470
Lercher, L. (s. j.). Institutiones theol. dogm. Vol. I. . . 468
Lettres spirit. de s. Anselme 316
Longhaye, G. (s. j.). La prédication 472
Maes, B. Théologie mystique. Trad. du P. M. Lekeux . . 159
Minnaers, W. Godsdienstige methodeleer. 399
Monnin, A. De geest van h. J.-M. Vianney. Vert. E. de Spot. 319

Pag.
MUCKERMANN, H. Neues Leben 400
NONELL, J. (s. j.) Analyse des exercices de s. Ignace. Trad. par le P. E. THIBAUT 317
NOTHOMB, J. (s. j.). La légende de Notre-Dame 317
PÈGUES, TH. (o. p.). Com. franç. litt. de la Somme. XVI. La rédemption. 394
PESCH, CHR. (s. j.). Disput. recent. de inspiratione S. S. . . 72
PISCETTA, A. — GENNARO, A. (s s.). Elementa theol. mor. Vol. I. 239
PHILIPS, G. La raison d'être du mal d'après s. Augustin . . 396
POTTIER, A. (s. j.). La vie et la doctrine du P. L. Lallemant . 319
PRIMS, FL. Beknopte staatshuishoudkunde 478
REATZ, A. Jesus-Christus 235
RIEDER, K. Brautunterricht. 236
ROMEIS, K. (o. f. m.). Prinzessin Anna von Preuszen . . . 320
RONSE, FR.-TH. Het Wees-gegroet 77
ROUSSEAU, F. Moines bénéd. martyrs de la foi 475
RYCKMANS, G. Het boek Genesis (BEELEN, O. T., I, 1) . . 155
SAEGMÜLLER, J. B. Lehrbuch des kath. Kirchenrechts . . 157
SALSMANS, J. (s. j.). Plichtenboekje voor ziekenverpleging. . 477
SCHILLING, O. Christliche Gesellschaftlehre 478
SCHMITT, J. Manna quotidianum sacerdotum 473
SICKENBERGER, J. Kurzgefasste Einleitung in das N. T. . . 235
SLATER, TH. (s. j.). A manual of moral theology . . . 156
TANQUEREY, AD. Les dogmes générateurs de la piété . . . 78
TANQUEREY-GAUTIER. Abrégé de théologie asc. et mystique . 472
Tractatus de indulgentiis (Theol. Mechl.) 78
VAN DER MUEREN, A. Op den weg der wijsheid. Op den weg der liefde 79
VAN REUSEL, J. Mijn eerste boek. 475
VERMEERSCH, A. (s. j.). Godsvrucht tot 't H. Hart . . . 314
VON KEPPLER, P. W. Wasser aus dem Felsen. Vol. I. . . 320
VON ZEZSCHWITZ, G. Persönliches Erlebnis protest. u. kath. Frömmigkeit 473
VROMANT, G. (c. i. c. m.). Facultates apost. deleg. Ordin. mission. 158
WEISZ, A. M. (o. p.). Lebensweg und Lebenswerk . . . 474
WILLAM, F. M. Tempelreinigung, Pilgerbuch 471

—

Opera ad redactionem missa

Opera, quæ hoc anno ad redactionem missa fuere, necdum sunt dijudicata, indicantur. 481

II.

INDEX ALPHABETICUS

Action française. Damnatio per decr. 29 junii 1914 et 29 dec. 1926 s. Officii, 66; declaratio Pii XI circa veniam legendi l' « Action française », 208; dubia soluta 8 martii 1926 a s. Pœnitentiaria, 147; opus in indicem relatum, 377.

Actus heroïcus charitatis. Notio, 38. — Indulgentiæ et privilegia, 40. – Conditio, 42. – Quid de indulgentia in articulo mortis, 42. — Nonne pugnat cum ordinata dilectione nostri, 43.

Altare privilegiatum pro *vivis* et *defunctis*, quid sit, 197. – Quid altare privilegiatum pro *agonizantibus*, 198; quomodo cum can. 930 componatur, 199.

Apollinarisme. De eerste moeilijkheden van Apollinaris, 15; de veroordeelingen en de bestrijding, 18.

Associatio sacerdotum adoratorum. Facultas communicandi læso jejunio, 14 et 299.

Baptismus confertur per infusionem, immersionem, aspersionem, 101. Ad debitam infusionem requiritur *a*/ ablutio trina, *b*/ in caput, *c*/ in modum crucis, *d*/ eodem momento et *e*/ ab eodem a quo verba pronuntiantur. Hæc explicantur 101-104.

Antiquus ordo *catechumenatus*/: catechumeni et electi, 263; ritus admissionis, scrutinia, 264, — Ordo baptismi adultorum, cæremoniæ successivæ, 265 ss. — Præscripta Codicis, Ritualis et Statutorum de baptisterio, 146: locus decens, historice et practice, 347, s.; sit pavimentum excavatum, 349. Fontis baptismalis materia, 349: excavatio vel vas ad excipiendam aquam e capite defluentem, 350 s. Ornatus fontis et baptisterii, 351; mundities, 352.

Bona temporalia. Doctrina Jesu de regimine bonorum temporalium. Variæ sententiæ, 436; bona tem-

poralia periculosa sunt, 439 ; præceptum eleemosynæ, 440 ; consilium paupertatis et abnegationis, 443 ; exemplum Jesu, 445 ; conclusiones, 446.

Canones codicis explicantur : can. 340, p. 70 ; can. 522, p. 433 ; can. 711 § 2, p. 150 ; can. 773, p. 346 ; can. 858 § 2, p. 11 ; can. 901, p. 251 ; can. 908, p. 431 ; can. 909, p. 431 ; can. 910, p. 431 ; can. 924 § 2, p. 368 ; can. 1234, p. 151 ; can. 1296, p. 180 ; can. 1302, p. 180 ; can. 1384, p. 201 ; canones 1385-1392, p. 201 s. ; can. 1395, p. 48 ; can. 1398, p. 293 et p. 373 ; can. 2318, p. 130.

Catechetica Epist. s. Congr. Concilii 17 maii 1927 ad episcopos Belgii, 300.

Censura prævia librorum, ejus notio, 201 ; ejus differentia a notione licentiæ, 202 ; quinam libri censuræ præviæ subjiciendi sunt, *a*/ in genere, *b*/ in specie, 202 s. ; v. IMAGINES.

Christus.

Explicatur propositio : Christus est verus Deus et verus homo, 6. — Quid sit unio hypostatica, 27.

Scientia Christi triplex : visionis beatæ, infusa, naturalis, 85. – Explicatur scientia naturaliter acquisita, 108.

Communicatio *idiomatum* in tractatu de Verbo incarnato, 165.

Voluntates duæ naturales in Christo, 247 ; voluntas humana Christi semper conformis fuit voluntati divinæ et nunquam ei contraria, 275.

Munus Christi *mediatoris* probatur, 335 ; explicatur quid sit mediator, 336 ; unus mediator naturalis et perfectus, 338.

Munus *propheticum* Christi explicatur, 358 ; probatur, 359 ; excellentia declaratur, 361.

Munus *sacerdotale* Christi probatur, 413 ; de oratione Christi, 416 ; munus Christi sacerdotis consideratum in aliis tractatibus, 418 ; non datur sacrificium cœleste, 420 ; excellentia sacerdotii Christi, 421 ; Christus sacerdos in æternum, 422.

Doctrina Christi de bonis temporalibus, 436.

Archisodalitium « *Ligue du Christ-Roi* », 452.

Circumincessio in tractatu de Deo trino, 141.

Comma joanneum. Declaratio 2 junii 1927 s. Officii, 452 ; adnotationes, 453.

COMMUNICATIO, v. FACULTATES.

Confessio.

Necessitas ejus. Præceptum annuæ confessionis obligat fideles rationis usum adeptos, etsi nondum septennes, 171, conscios peccati gravis nondum directe clavibus remissi, 172, ad confitendum saltem semel in anno, 173, peccata gravia quorum conscientiam habent.

Peccatum mortale, dubie commissum, non debet clavibus subjici, si probabiliter non est commissum, 252, et quatenus hæc probabilitas manet, 253. Quomodo id componi possit cum doctrina de necessitate medii sacramenti pœnitentiæ, 251.

Contritio formalis importat dolorem explicitum de peccato commisso, adeoque exercite ejus detestatio, propositum autem non peccandi saltem implicitum, 363. Contritio virtualis dicitur per oppositionem ad formalem, 364, vel habitualem et actualem, 365. — Quid sit propositum firmum non peccandi, 253, et quomodo prævisio relapsus ipsi non contrarietur, 254, v. PŒNITENTIA.

Confessionalis historica evolutio, 434 ; requiritur crates, 434; quid de forma sit curandum, 435.

Confraternitates.

Resp. 6 martii 1927 datum a Pont. Commiss. ad can. cod. interpretandos de confraternitatibus ss. Sacramenti, 150.

Facultas facta archisodalitio « Ligue du Christ-Roi » aggregandi confraternitates, 452.

De usu pecuniæ confraternitatum, 390.

Consecratio mulierum. Dubium solutum 25 martii 1927 a s. Congr. de Religiosis, 145.

Crucifixus.

Crucifixi *bonæ mortis* notio et divisio, 288. — Conditiones ad benedicendum talem crucifixum, 290, et ad lucrandam indulgentiam ei adnexam, 291.

Crucifixi cum adnexa indulgentia plenaria *toties quoties* recta notio, 232.

Dedicatio generis humani. Actus solemnis dedicationis, in festo D. N. J. C. Regis, indulgentiis ditatur, decr. 15 febr. 1927 s. Pœnitentiariæ, 302.

Ecclesia.

Quomodo ponatur problema de Ecclesia, 50. Duplici via probari potest divina missio Ecclesiæ, 52; via empirica, 53; via historica, 53; in hac altera via duplex demonstratio: prima christiana, 54, altera catholica, 54; de proprietatibus Ecclesiæ, 55.

Hæc demonstratio non est theologica, 57; nec constituit dogmaticam generalem, 57; quomodo dicatur apologetica, id est, fidei defensiva, 58; quomodo sit propædeutica ad theologiam, 59; quid ad theologiam demandandum, 60, 62.

Quomodo se habeant ad hanc demonstrationem propædeuticam quæstiones quædam præviæ, 61; quomodo ad invicem se habeant demonstratio christiana et catholica in consideratione notarum Ecclesiæ, 62.

Quomodo dicatur tota demonstratio tractatus de vera religione, 63; quomodo dici possit apologetica, 63.

Eucharistia, v. Confraternitates, Indumenta, Jejunium, Laudes vesp., Oratio xl horarum.

Facultates sodalium *Unionis cleri pro missionibus*, 457.

Dubia soluta 10 nov. 1926 a s. Pœnitentiaria de potestate episcopi in communicandis quibusdam facultatibus, 70.

Quoad facultatem legendi et retinendi libros prohibitos, v. Prohibitio.

Fondatiën, v. Tarief.

Generatio in divinis, 136; proprie sumenda, 139; processio Spiritus non est generatio, 222.

Hypostasis et Unio hypostatica, v. Christus.

Idiomatum communicatio in tract. de Verbo incarnato, 165.

Imagines sacræ, quænam sint præviæ censuræ subjiciendæ, 206.

Indulgentiæ.

Indulgentiæ *reales*. Ut objecta pia indulgentiis ditentur, requiritur ut sint ex debita materia confecta, 122, et ut benedicantur ab habente facultatem, 124, ritu præscripto, 126.

Cessatio indulgentiarum juxta can. 924 § 2. Disciplina antiqua, 368. — Indulgentiæ objectis piis adnexæ cessant 1° quando objecta prorsus desinunt esse, 369, 2° quando venduntur, 370.

Indulgentiæ *concessæ*, v. ACTUS HEROICUS CHARITATIS, ALTARE, CRUCIFIXUS, DEDICATIO GENERIS HUMANI, MISSA (preces post Missam); ROSARIUM; UNIO CLERI.

Indumenta liturgica in administratione sacramentorum, 21 s.; superpelliceum, stola, 21; stola bicolor, 22, color stolæ ad s. communionem, 23; pluviale ad solemne baptisma, 22. — Quomodo curanda, 183. Trita vel comburantur vel ad nova conficienda adhibeantur (Stat. Brug.), 184.

Interpretatio legis, ejus notio stricta, lata, 128.

Jejunium eucharisticum. Casus infirmi a mense decumbentis qui sumpsit aliquid per modum potus aut medicinæ, quamvis sine gravi incommodo jejunium servare potuisset, 11. — Casus de eo qui nocte bibit aquam et examinare negligit utrum ante an post mediam noctem aliquid sumpserit, 118. — Facultas facta sacerdotibus adoratoribus infirmis communicandi jejunio læso, 14; declar. facta, 4 febr. 1927, a s. Congr. de Sacramentis, 299.

Joannes a cruce. Difficultas in intelligendis ejus scriptis, 321. Substantia ejus doctrinæ, 322. Confirmatio ex s. Augustino, 323. Textus s. Doctoris hipponensis, 324; paucis explicatur, 325.

Additiones et variationes in ejus festo ex decr. 24 nov. 1926 s. Congr. Rituum, 147.

Laudes.

Matutinæ ortæ sunt ex primitiva Vigilia, 383; sæc. II-IV celebrantur certis diebus publicæ Laudes cum missa, Vesperæ cum agape, 384; ceteris diebus saltem privatæ, 385; usus romanus, sæc. III, 386; sæc. IV

Laudes celebrantur publicæ quotidie, 386; praxis in Jerusalem, 387; in Occidente, 388.

A sæc. v oriuntur cursus diversi, 448; ex romano et benedictino ortum videtur Breviarium nostrum, 449. De connexione Laudum cum nocturno officio, 449; an separari possint, 450 et utrum sint una Hora an vero duæ, 451.

Vespertinæ. « Ave Maria » in diœcesi Brugensi cantari debet, quando Litaniæ Lauretanæ cantatæ fuerunt, 392. Duæ Litaniæ recitandæ sunt in prima feria vi mensis octobris, non vero junii et martii, 393.

Casus de jure parochi et vice-parochi, quod spectat laudes vespertinas, 152.

Ligue du Christ-Roi. Sodalitium existens in Paray-le-Monial per litteras apost. 9 sept. 1927 erigitur in archisodalitium cum facultate aggregandi confraternitates, 452.

Magistri. Decr. 22 febr. 1927 s. Congr. Concilii de sacerdotibus munus gerentibus in publicis scholis, 142.

MATRIMONIUM, v. SEPARATIO CORPORUM.

MEDIATIO, v. CHRISTUS.

Missa.

Theologice.

Sacrificium missæ. Defectus materiæ. Quid fieri debeat si materia deprehendatur invalida ante consecrationem, 32, communionem corporis, 34, sanguinis, 36; post communionem sub specie vini, 37.

Interruptio et abruptio. Causa requisita ad missam interrumpendam et obligatio dein eam perficiendi, si interruptio fiat ante offertorium, 90, canonem, 90, consecrationem panis, 91, vini, 91, ante communionem, corporis, 93, sanguinis, 93; post communionem, 94.

Preces post missam privatam, recitandæ a Leone XIII præscriptæ, sunt obligatoriæ, 71. — At nihilominus sunt indulgentiis ditatæ, 71. — Trina invocatio *Cor Jesu* etc. non est obligatoria, 71.

Liturgice.

Missa coram ss. Sacramento ex decr. s. Congr. Rituum 27 julii 1927 nunquam licet, si SSmum sit velatum aut in pyxide; licet tantum ex necessitate, vel gravi causa vel de speciali indulto, si SS^{m} sit expositum in ostensorio, 380 ss.

Votiva solemnis *de ss. Sacramento* vel *pro Pace* in Oratione XL horarum quoad dies quibus permittuntur et quoad commemorationes et Symbolum æquiparantur votivis solemnibus pro re gravi ex instr. 27 apr. 1927 s. Congr. Rituum, 213.

Votiva solemnis *Pro propagatione fidei* in festis et congressibus missionariis ex decr. 14 apr. 1926 s. Congr. Rituum, 145.

Privilegium Unionis apostolicæ celebrandi privatim votivam de ss. Corde Jesu in prima feria sexta, 456.

Imperata pro re gravi Pro propagatione fidei in die precum et propagationis missionariæ, 145. — Imperata pro Papa in diœcesi Brugensi jam non præscribitur, 391.

Moniales. Decr. 9 nov. 1926 s. Congr. de Religiosis de transitu monialium ad aliud monasterium, 68.

Monophysisme. De aanleiding, 428; Eutyches, 428; zijne leering, 429; het mildere monophysisme, 430.

Moribunda. Casus de modo agendi confessarii cum moribunda acatholica, 459.

Mystica theologia. Quædam consilia pretiosa in ordine ad vitam mysticam ex anonymo, 401. Exercitium purgativum consistens in mortificatione christiana, 401; positivus ascensus ad unionem cum Deo per exercitium virtutum theologalium, 403; actus generalis nudæ fidei, 403; actus spei, 423; actus caritatis inspirans omnes actus cujuscumque virtutis, 404; v. JOANNES A CRUCE.

MYSTICI SENSUALES LIBRI, v. PROHIBITIO.

Nestorianisme. De voorloopers, Diodorus van Tarsus, 95, Theodorus van Mopsueste, 97; Nestorius eerste optreden, 175; de tusschenkomst van Cyrillus van Alexandrië, 177; de leering van Nestorius, 178; de veroordeeling door paus Celestinus, 257: het concilie van Ephese, 259; de strijd na het concilie, 343; het verzoenend optreden van paus Xystus III en keizer Theodosius, 344; het lot der overgeblevene nestorianen, 346.

OFFICIUM CANONICUM, v. LAUDES.

Oratio XL horarum. Quomodo celebrandæ missæ, ex decr. 27 apr. 1927 s. Congr. Rituum, 213. — In missa pro Pace et in missis privatis *semper* dicenda est collecta de ss. Sacramento, nisi ob identitatem mysterii et in Commem. omn. defunctorum, 213.

PERICHORESIS, v. CIRCUMINCESSIO.

Philosophia. Decl. 27 apr. 1927 s. Congr. de Seminariis circa statum curriculum philosophiæ scholasticæ elaborandum, 214.

Piatus. In dioc. brugen. festum s. Piati transfertur ut duplex in 9 oct. cum com. ss. Dionysii et soc , 379.

Pœnitentia.

Virtus. Actus pœnitentiæ salutaris est dolor et detestatio, 282, peccati commissi, cum proposito non peccandi de cetero, 283; ex plurium virtutum motivo poni potest, 286; necessarius est peccatori adulto necessitate tum medii, 423, tum præcepti, 425. — Datur aliqua specialis virtus pœnitentiæ, 339, quæ respicit peccatum commissum ut est emendabile per actus peccatoris resipiscentis, 340, quæque reducitur ad justitiam, 341, tanquam pars potentialis, 342. — Unum peccatum mortale sine alio, pœnitentia remitti nequit, 365.

Sacramentum pœnitentiæ. Ejus constitutiva. Secundum s. Thomam sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in partes essentiæ, 194. Præterea, contritio, confessio et satisfactio sunt partes integrales sacramenti. Thomistæ docent absque contritione et confessione non consistere sacramentum, 195. Scotus vero docet solam absolutionem esse sacramentalem, 195, contritionem, confessionem et satisfactionem non esse partes quibus signum sacramentale intrinsece constituitur, 196. Antiquiores Scotistæ docent confessionem dolorosam esse conditionem sine qua absolutio non est sacramentalis, recentiores vero requirunt pœnitentiam interiorem, tanquam dispositionem necessariam, et confessionem, ob præceptum divinum, 196.

Materia remota sacramenti. Potestati clavium, 112, non subjiciuntur peccata eorum qui nondum sunt baptizati, 112. Baptizatus nunquam absolvi potest a peccatis quæ ante baptismum commisit, 113. Peccatum

tamen sacrilegæ susceptionis baptismi est materia absolutionis, 116.

Regula est ut mulierum confessiones audiantur in ecclesia in sede confessionali, 431 ; hæc tamen ob justam causam alibi poni potest in loco conspicuo, 432; ut autem audiantur extra confessionale requiritur infirmitas 432, vel vera necessitas, 433 ; v. Confessionale.

Politica. Decr. 15 martii 1927 s. Congr. Concilii de interdicenda actione politica viris ecclesiasticis, 144.

Portio parœcialis. Casus solvitur, 460.

Processie. Wetgeving over wegversperring, 461.

Prohibitio librorum. Quid veniat nomine libri, nomine scripti, 203 ; pœnæ a codice in hac materia statutæ, 129; facultas legendi ac retinendi, 130 ; indulta concedendi facultatem legendi, 130 ; quænam interpretatio in hisce legibus sit adhibenda, 130 ; de sensu licentiæ obtentæ legendi scripta prohibita, 153; quinam actus afficiantur lege librorum prohibitiva, 293 s. ; quænam sit materia gravis in lectione libri pravi, 245 s. ; necessitas legis positivæ prohibentis lectionem librorum pravorum probatur, 46 ; cuinam competat hæc potestas, *a*/ in genere, 46 ; *b*/ in specie, 47 s.

Prohibetur decr. 3 maii 1927 s. Officii litterarum genus sensuale et sensuale-mysticum, 209.

Propagatio fidei. Dies precum et propagationis missionariæ instituenda signanter in ultima dominica octobris cum collecta imperata, prædicatione et indulgentia plenaria ex rescr. 14 apr. 1926 s. Congr. Rituum, 145. — In festis et congressibus missionariis permittitur votiva solemnis pro propagatione fidei, 145.

Propheta, v. Christus.

Restauratio judaïca. Status judæorum in captivitate, 327 ; edictum Cyri, 330 ; primus reditus, 331 ; occupatio Jerusalem, 408 ; exstructio altaris holocaustorum, 407 ; fundatio templi, 408, ejusque exstructio, 410.

Rosarii tertiam partem recitantibus coram ss. Sacramento conceditur indulgentia plenaria toties quoties, dummodo confessi ac s. Communione refecti fuerint, 456.

Sacerdotium Christi, v. Christus.

Scriptura sacra.

Quoad V. T. vide Restauratio judaïca.

Interpretatio locorum N. T.

Jo., vi, 1-15 [homilia] 26
» viii, 46-59 » 105
» ix 353
» x, 1-16 185
» xi, 1-11 [homilia] 3
» xii, 20-36 241
» xiii, 1-17 268
» xvi, 23-30 [homilia] 81
» xx, 19-31 » 161

Separatio corporum. Mutationes legis civilis de regimine separationis corporum, 304.

Spiritus sanctus.

Processio Spiritus dicitur spiratio, 216; de hac spiratione quærentes nihil ratione probamus, 217; obtinet secundum voluntatem: Deus amat seipsum, 217; existit Deus amatus in Deo amante se, 217.

Analysis amoris, 217; est actus appetitus, 217 et principium motus, 217; differentia inter appetitum naturalem et appetitum sensitivum aut intellectivum, 218; amor terminative spectatus est in amante, 219.

Nomen Spiritus in divinis est nomen accommodatum, 221: spiratio non potest dici generatio, 222.

Spiritus procedit a Patre et Filio tanquam ab uno principio, 222; unde unus spirator, licet duo spirantes, 222; quomodo sit Spiritus amor et Patris et Filii, 223.

Nomen « Amor » quomodo sit nomen proprium Spiritus, 224; item quoad nomen « Donum », 225.

Statuta brugensia. Explicantur n. 82, p. 432 et p. 434; n. 118, p. 433; n. 165, p. 184; n. 169, p. 382; n. 170, p. 392; n. 171, p. 382; n. 174, p. 391; n. 178, p. 184; n. 179, p. 184 et p. 346.

Suppellectilis cura, custodia, inventarium præscripta, 180. Quare, 181. Requiritur ordo, 182; quomodo consulendum integritati, 183; Naaikamertje, 183; practica de munditie, 184.

Tarief Nieuw tarief der gestichte kerkdiensten, 228; opmerkingen nopens het toepassen van het tarief, 230 s.

Taxæ funerales Resp. 6 martii 1927 s. Pœnitentiariæ de indice taxarum funeralium, 151.

Teresia a Jesu infante. Officium et missa ex decr. 13 julii 1927 s. Congr. Rituum, 378.

Theandrica actio, seu communio naturæ divinæ et humanæ in Christo, 168.

Unio apostolica [*Omnia pro Jesu*]. Sodalibus conceditur privilegium celebrandi privatim in prima feria sexta mensis votivam de ss. Corde Jesu, 456.

Unio cleri pro missionibus. Quædam facultates declarantur, 457,

Unitas christianorum. Dubium solutum 8 julii 1927 a s. Congr. S. Officii de conventibus ad unitatem omnium christianorum promovendam, 377.

Verbum.

Quomodo rite intelligenda generatio Verbi æterna, 133. Verbum est Deus intellectus, 134, existens in Deo intelligente se, 135; habet essentiam divinam numero eamdem cum Deo intelligente se, 125; relatione sola distinguitur, 136.

Quomodo generatio in divinis sit concipienda, 136; comparatur Verbum ad Deum cujus est Verbum, sicut similitudo, 137; ad res alias tanquam exemplar, 137; imago substantialis est Dei, 138; figura substantiæ Dei, 138; imago Dei cum eadem natura, 138; ergo Filius, 139, dum Deus intelligens se, Pater, 139.

Nomine proprio dicitur processio Filii a Patre, generatio, 139; generatio per prius in Deo quam in creaturis, quantum ad rem significatam, 139. Heic non distinguendus conceptus et partus, 140. Filius semper existens in sinu Patris, 140.

GTU Library
3 2400 00271 9387

THREE DAY 25322

Collationes Brugenses

v.27
1927

CBPaG

v.27
1927

25322

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

G.-J. Waffelaert, S. T. D. et M., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*. Ed. nouv. Bruges, Beyaert, 1919. Vol. 2 in-12. Fr. 8.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*. Editio altera. Brugis, Beyaert, 1924. Maj. in-8, XV-391 p. Fr. 25.

Id. *Tractatus de Deo uno et trino*. Brugis, Beyaert, 1917. In-8, XIX-658 p. Fr. 8.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio quarta. Brugis, Beyaert, 1927. In-8, XLV-840 p. Fr. 85.

Id. *Praxis matrimonialis ad usum parochi et confessarii*. Ed. altera. Brugis, Beyaert, 1920. In-12, XIII-189 p. Fr. 4.50.

Id. *Het christelijk huwelijk*. Derde druk. Brugge, Beyaert, 1923. In-16, VIII-176 bl. Fr. 5. (Trad. franç., 2e édition, 1924. Fr. 6).

Id. *De sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione*, 2 ed. Brugis, Beyaert, 1925. In-8, XX-331 p. Fr. 25.

Id. *De absolutione complicis et sollicitatione*. Ed. altera. Brugis, Beyaert, 1921. In-8, XI-129 p. Fr. 6.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii*. Brugis, Beyaert, 2 editio, 1913. In-8, LXXXIV-376 p. Fr. 7.20. — 3 editio, 1924. In-12, VIII-250 p. Fr. 21.50.

Id. *Maria's lied of het klein Officie van O. L. Vrouw uitgelegd*. Brugge, Beyaert, 1924. — In-24, XXIV-232 bl. Fr. 8.50 (vermindering bij getal).

R. De Schepper. *Inleiding tot de studie der kerkgeschiedenis*. Brugge, Beyaert, herziene druk, 1922. In-8, 154 bl. Fr. 6.

C. Callewaert. *Liturgicæ institutiones. Tractatus I: De S. Liturgia universim*. Ed. altera. Brugis, Beyaert, 1925. Majus in-8, VIII-160 p. Fr. 12.

Id. *Cæremoniale in missa privata et solemni aliisque frequentioribus functionibus liturgicis servandum*. Brugis, Beyaert, 1922. In-8, VIII-347 p. Fr. 10.

Van Coillie-De Meester. *La sepulture et les fabriques d'église en droit civil-ecclésiastique*. 2 éd. Bruges, Desclée et Cie, 1924. In-8, XVI-508 p. Fr. 30.

A. De Meester. *Compendium juris can. et can.-civilis*. Ed. nova. T. I (Lib. I, Lib. II, t. 1-6 codicis); T. II (Lib. III, tit. 6-19); T. III. P. I. (Lib. III). Brugis, Desclée et Soc., 1921, 1923 et 1926. In-8, 340, 543 et 432 p. Fr. 19, 19 et 30 fr.

H. Lamiroy. *De essentia ss. Missæ sacrificii*. 1919. In-8, XV-536 p. Fr. 10.

H. Mahieu. *Probatio caritatis. Meditationes ad usum cleri*. Ed. 3. Brugis, Beyaert, 1923. In-12, XXI-609 p. Fr. 16.

A. Camerlynck. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam Synopsis*. Ed. 3. Brugis, Beyaert, 1921. In-8, LXXXV-206 p. Fr. 12.

Id. — A. Vander Heeren. *Commentarius in Actus Apostolorum*. Ed. 7. Brugis, Beyaert, 1923. — In-8, 422 p. Fr. 27.

J. Brys. *De dispensatione in jure canonico, præsertim apud decretistas et decretalistas usque ad medium XIVs*. Brugis, Beyaert, 1925. In 8, XXXI-275 p. Fr. 20.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES constat pretio 20 francorum (pro regionibus exteris, 25 fr.).

TYPIS G. BARBIAUX-DE GHESELLE
BRUGIS.